DE REBUS SACRIS
& Ecclesiasticis
EXERCITATIONES
HISTORICO-CRITICAE.

In quibus

CARDINALIS BARONII ANNALES, ab Anno CHRISTI XXXV, in quo CASAUBONUS desiit, expenduntur:

Tum & multa

Adversus BELLARMINUM, LIGHTFOOTUM, PAGIUM, *& alios discutiuntur; plurimique Historiæ & Chronologiæ errores emendantur.*

AUCTORE

SAMUELE BASNAGIO FLOTTEMANVILLEO.



ULTRAJECTI,

Ex Officina GUILLIELMI VANDE WATER.

MDCLXXXXII.

EPISTOLA NUNCUPATORIA

Illustribus ac Potentibus Comitatus Zutphaniensis Ordinum Deputatis, nec non Amplissimis & Gravissimis Inclytæ Urbis Zutphaniæ Consulibus, literarum Patronis, Patriæ Patribus.

ZEno ille Citticus ob naufragium in mœrore jacens, cum secundis avibus in Xenophontis libros incidisset, his valde delectatus, ad Philosophiam studia contulit sua, maximum exclamans, *quam bene fortuna facit quæ nos ad sapientiam impellit!* Actus ego horrida tempestate quæ Galliarum cœlum contrahit, naufragio tandem expulsus auspicato me huc appuli. Miserrima quidem mihi fortuna erat, cum mora colligendi sarcinas nulla daretur exuli. Tota fere supellex, uxor, liberi, pars librorum fortunæ lautæ satis tristes reliquiæ. Una spes ex-

orabile numen, præsens semper ac propitium iis quibus infixus Religionis amor, opes, Patriam, amicos, Christiana cum paupertate commutat. Nec spes vana me fefellit, Amplissimi Domini, ut vocem in laudes, non questum conferre queam: felix exilium, quod me vestras ad oras applicuit. Ingratam Patriam sanctiori chariorique mutavi. *Patria est ubicunque est bene:* sub vestra vero ditione, Domini Amplissimi, multa sunt & vitæ blandimenta, & jucundæ Libertatis delinimenta. Vos hominibus, non animantibus, imperatis: vos legibus secundissimis ac æquissimis, non cæco impetu animi subditos ad obsequium redigitis: vos in summam Dei Majestatem non involatis. *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas:* vos spirantia in Ordinibus & Conciliis Numinis exempla, domi hominem induitis, mansuetudine, & erga omnes urbanitate: vos novam impotentissimamque Dominationem vobis non comparatis in Religionem:

nem: nec immerito, Ampliſſimi Domini, placet vobis æternumque placebit Lactantius ille Cicero Chriſtianus. *Nihil eſt tam voluntarium quam Religio, in qua ſi animus Sacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Placet Nazianzenus ille, cui prudens antiquitas Theologi nomen impoſuit. Ὄυπω δὲ χρησιμώτερον τοὺς ἑκόντας ἑκόντων ἄρχειν, οὐδὲ ἀσφαλέστερον, ἐπειδὴ μὴ πρὸς βίαν ἄγειν τοῦ ἡμετέρου νόμου μηδὲ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως: *Non tamen conducibilius eſt, nec tutius, quam ut volentes volentibus præſint: quando quidem neminem vi duci vult Lex noſtra, coacteque ac non ſponte gubernari.*

Utinam! iterumque utinam Principes Sapientiam Calani animo affigerent familiarius, cujus ad Alexandrum Magnum Epiſtolam inſigni laude affecit Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. *Amici perſuadent tibi manus & neceſſitatem inferre Indorum Philoſopho, nec in ſomniis videntes noſtra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum: animas non coges facere quod nolunt, non magis quam ſaxa*

& ligna vocem emittere. Maximus ignis viventibus corporibus dolorem inurit, & gignit corruptionem: ſuper hunc nos ſumus: viventes enim exurimur: non eſt Rex, neque Princeps, qui extorqueat nobis facere quod non propoſuimus. Præclara verba.

Sed curas in Reipublicæ ſalute dum configitis, Domini Ampliſſimi, nec vos Muſarum cepit oblivio. Scholam illuſtrem, ut Hiſtoriæ Sacræ Philoſophiæque cupidi ſuum explerent animum, Anno Chriſti 1686 inſtituiſtis: nec interea vos pietate exolviſtis. Exulem laborantemque Religionem foviſtis; egenis eleemoſynas erogaſtis; profugis Evangelii præconibus ſtipendia ſolviſtis; Gallicam Eccleſiam veſtra in urbe condidiſtis; mihique honeſte accerſito, ac laute excepto, novi gregis curandi Provinciam demandaſtis. Triſti itaque recreata fortuna, quæ paſſus eram gravia nunc meminiſſe juvat, ut in Chriſti mei laudes erumpam, beneficiaque Mœcenatum grata memoria recolam.

En gratulationis meæ pignus, Ampliſſimi Do-

Domini,in Cardinalis Baronii Annales Ecclesiasticos, aliosque Sacræ Historiæ peritos, Bellarminum, Petavium, Pagium, Leightfootium,diatribæ Historico-criticæ: exiguum sane munus, sed animi tamen non adversum vos ingrati τεκμήριον. Una & vobis, & mihi sententia est, puram scilicet Religionem,ac salvam Rempublicam tueri: utrique Baronius hostis est infensissimus. *Puræ Religioni*,cum multis monumentis Pontificis Romani autoritatem, Traditionisque vim, omnem ad memoriam commendare, manibus pedibusque conatus sit. *Saluti Reipublicæ*,cum summam principum autoritatem infra pedes sui Tarpeii Jovis depravatione turpificati animi tam fœdissime deprimat, ut Philippus **II.** Rex Hispaniarum hæc in Baronium edixerit: *Ad nos perlatum est Cæsarem Baronium olim S. R. E. Cardinalem --- longa & prolixa dissertatione verbis & rationibus minus æquis, & modestis --- aggressum non modo in suspicionem adducere, sed etiam falsos & injustos, & violentos Titulos & origines evin-*

evincere, quarum ope deceſſores noſtri Sereniſſimi reges Siciliæ, ſimul cum Dominio regales, & prærogativas acquiſiverunt -Itaque conſtituimus ne cui cujuſcunque ſit dignitatis -- undecimum tomum cum diſſertatione illa adverſus dictam Monarchiam exponere, habere, vendere, & in regnis noſtris & ditionibus emptitare liceat, mulcta primo delinquenti quingentorum aureorum irrogata. Vobis gladius; mihi calamus: ille in corpora, hic in animos ſtringitur: ille metu, hic argumentis permovet; ambo in graviſſimis hiſce & Eccleſiæ, & Reipublicæ temporibus maxime neceſſarii. Vivite felices, Domini Ampliſſimi & excellentiſſimi, ut & Reip. & Eccleſiæ emolumento longum eſſe valeatis; vobisque addictiſſimo ac obſequentiſſimo Samueli Basnagio Flottemanvilleo ſingularem benevolentiam, ſempiternumque amorem præſtate.

Zutphaniæ XII. Kal. Sept.
anno æræ Dom. 1691.

IN EXERCITATIONES
HISTORICO-CRITICAS
Reverendi, Doctissimique VIRI,
D. SAMUELIS BASNAGII,
Flottemanvillei, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ apud Zutphanienses Pastoris vigilantissimi.

AUgiæ Alcides stabulum purgaverat, unde
Sordes Alpheis eluit unus aquis.
Cæsaris *Annales purgare* Casaubonus *orsus,*
Viribus at sordum copia major erat.
Quis queat infandas artes, mendacia, fraudes,
Quis queat innumeros enumerare dolos?
Pontificis solium fulcire Baronius ardet,
Scilicet hinc mendax nascitur Historia.
Ut quondam Alcides fesso successit Atlanti,
Basnagi, *Herculeæ suscipe mentis opus.*
Neve reformida stabuli ne sordibus unquam
Fusceris, nomen clarius inde feres.
Amphitryoniades, odiis Junonis iniquæ
Exclusus terris, sidera summa tenet.
Basnagides, *odiis agitatus Regis iniqui*
Exul, in æthereas nititur usque domos.
Cumque Casaubonia Basnagia *gloria surgit,*
Nobile par, junctis passibus astra petit.

JOH. LOMEJER,
Eccl. Zutphaniensis Pastor. Histor.
& Phil. Pract. in illustri schola Professor.

** Reve-

Reverendo & Clarissimo V I R O

D. SAMUELI BASNAGIO,

Flottemanvilleo, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ apud Zutphanienses Pastori facundissimo, Animadversiones suas in Annales Cardinalis Baronii edenti.

GRajus homo immensos libros mala magna vocavit;
Nec puncto vates fallitur ille meo:
Flumina nam veluti, vires crescentibus undis
Dum largitur hyems, plus lutulenta fluunt;
Sic sæpe immanis multoque volumine turgens
In lucem prodit non sine sorde liber;
Pumice jam quamvis arente sit ille politus,
Et quamvis cedro & sindone comptus eat;
Purpura quin etiam quamvis commendet, & arma
Munierint illum Cæsaris atque Papæ:
Seu quod, cum nimio languet mens ægra labore,
Inserpunt chartis tunc quoque digna lini;
Seu quod nonnullis festino scribere pulchrum
Multa stylo, lima queis opus atque mora:
Nec tantum hoc, Tamesis bibitur queis, Sequana, Rhenus,
Experti; haud puram fert quoque Tybris aquam:
Hinc illa a priscis Romæ fastidia seclis,
Hinc ronchi, nasus, Rhinocerosque, tuus:

Anna-

Annales Volusî hoc, Marsi & testatur Amazon
Risa, quot & tales pagina prisca refert:
Nunc Tyrio splendens testatur charta Baronî
Murice, non modio qui sua scripta fuit,
At plaustro admensus Latio, Phœbi orbe peracto
Vix uno ut possint omnia rite legi:
Contineant hæc multa licet dignissima cedro,
Authorisque ostro quo nituere comæ;
Traxerunt tamen & fæcem properata lutumque,
Augiæ stabulum hac ut quoque parte voces.
Inde Casaubonus multum detersérat, ille
Alcides verus, Gallia, luxque tua;
Ast aliis tamen Augiam, cœnique reliquit
Tergendum haud, vita deficiente, minus;
Quos inter quantas, Samuel doctissime, sordes
Eluis, errorum quantaque monstra domas!
Humanarum aliquis rerum si sensus in umbris
Quæ superas sedes arvaque læta colunt,
Magna Casauboni lætabitur umbra, nepotem
Tam clarum auxilium suppeditasse sibi.
Tu modo, de rebus veluti male olentibus aurum
Cordatus medicus divitiasque legit,
Æternum nomen fulvo pretiosius auro,
Ex isto tibi sic perge parare fimo.

JOACHIMUS LANSSINCK. J. V. D.

ELENCHUS OPERIS,

Seu singularum ejus partium.

Ad ANNUM 35. NUM. 7.

D*E advenis dispersis error Baronii, & a Scriptura & ab ipso Baronio confutatus. Qui sponte migraverant in alias Regiones, aut per bella patriis ejecti sedibus ante commotam Ecclesiæ Hieros. persecutionem, ad Judæos dispersos pertinent. Insignis Josephi locus.* 4

De *Hellenistis quibus Evangelium instillavere profugi ex dispersione Hierosol. An sint Judæi Græcis Bibliis utentes? Clariss. Virorum, Scaligeri, Petavii, Lightfooti, affirmantium sententia ad examen revocata. Hellenistas Religionis Judaicæ proselytos esse, argumentis ostenditur. Præceps Lightfooti Bezam vexantis censura. Orientales Nationes ex Scriptura phrasi* τοῖς Ἕλλησιν *annumerandas esse, & qua de causa, declaratur. An Hellenistæ Antiocheni Ethnicos agerent? Ajentis Petavii opinio multis rationibus rejicitur. An apud Lucam Act. 11. 20. Hellenistæ discrimen statuat inter Judæos purioris ordinis, & indignioris? Asserentis Lightfooti sententia refellitur. Viri Clarissimi contradictio. Hellenistas proselytos fuisse, tum ex orto Hellenistarum murmure, cui comprimendo Nicolaus proselytus in Diaconum electus, tum ex dissensione inter Hebræos versioni τῶν LXX. adhærentes, & Judæos Hebraïca Biblia legentes, ostenditur. Argumentum ex Novella Justiniani illustratur. Cur Proselytus Antiochenus Diaconis permixtus, ex Josepho conjectura.* 5. 6.

Ad ANNUM 35. NUM. 2.

An in dispersione Ecclesiæ Hierosolymitanæ soli Apostoli manserint in Urbe? Quid apud Lucam Omnes? *Act. 8. 1. Baronii a vero abhorrens sententia. De 120. Evangelii Præconibus fugam maturantibus opinio Lightfootiana multis confutata argumentis. Explicatio verisimilior. Causa cur Apostoli se in fugam non contulere. Apollonii Traditio. De profugorum numero otiosa à Purpurato mota quæstio, quæ & ab eo male solvitur. Athanasii versio emendata.* 10

Ad ANNUM

I N D E X.

Ad ANNUM 35. NUM. 3.

De Lazaro, Magdalena, Josepho, navi impositis. Acta Magdalenæ, Marthaque apud Vincentium Bellovacensem fabulis referta. Traditio Massiliensium Advenarum compluribus argumentis falsi postulata. 1. *Ex statu Judæorum qui tunc mortem exiliumve Viris Clarissimis imperare non poterant.* 2. *Ex suppliciis in usu apud Hebræos, quibus moris non erat damnatos navi imponere.* 3. *Ex Lucæ silentio magni hac in causa ponderis.* 4. *Ex criterio judicandarum falsarum Traditionum. Natalis Alexandri ad Eusebium exceptiones examinantur. Ex Actis Ecclesiarum, more antiquo, aliisque rationibus ostenditur tristis in Magdalenam lata sententia insolentem esse non potuisse. Jacobus Januensis, Vincentiusque Bellovacensis testes sublestæ fidei.* 5. *Ex sermonibus Gregorii Magni, & Bernardi de Magdalena.* 6. *Ex vita Dionysii quem Natalis Alexander pro Areopagita habet. Magdalenam in Gallia non obiisse ex Antiquitatis fide demonstratur. Clarissimus Launoius a telis Pagianis defensus. Græcos & Latinos multis post Christum seculis persuasissimum habuisse Magdalenam supremum diem obiisse Ephesi. Lazarum Massiliensibus in Episcopum non fuisse impositum, multis argumentationibus colligitur. Lapsus Launoii circa Epiphanium. De Maximino Aquensi Episcopo fabula. Lites Vezeliacos inter Monachos & Sammaximinenses Dominicanos de Magdalenæ Reliquiis. Quæstionis conclusio.* 13. 14

De Josephi Arimathensi in Angliam appulsu. Nil opus esse hac Traditione removendo a cervice Ecclesiæ Anglicanæ Pontificis Romani jugo. Concesso Evangelium e Romanis in Britannos manasse, nil potestatis apponeretur Romanæ Ecclesiæ in Anglicanam, quod argumentis compluribus ex Epiphanio, Synodis Constantinopolitana, Ephesinaque comprobatur. Peregrinatio Iosephi Anglicana rejicitur. Ex Theodoreto, Nicephoro, rationeque impugnatur. Legatio Fugatii & Damiani, rogante Lucio Britannorum Rege, falsi postulat Josephi appulsum in Angliam. Ab Eleutherio Damianum Fugatianumque in Britanniam missos non fuisse, multis confirmatur. Germana Anglicanæ Ecclesiæ antiquitas. Ejus incunabula, non secus ac Gallicanæ, secundo debita seculo. Casus fidei Britannicæ fluctu Saxonico oppressæ. De expeditione Augustini in Angliam. Ostenditur contra Bellarminum, Perroniumque, multis in Britanniæ locis Christi Religionem extinctam non fuisse. In aliis a Columbano fuisse ante propagatam quam a Gregorio mitteretur Augustinus.

nus. Certamina Episcoporum cum Augustino de ritibus a ceremoniis Romanorum multum diversis, qua ex Antiquitatis monumentis illustrantur. 26. 27

Quid Marco βουλευτὴς c. 15. v. 43? Sententia Lightfooti. An Josephus Buleuta, quia & Sacerdos erat & de Liturgia publica consulebat? Rejicitur Lightfootiana explicatio. Gracis, Latinisque Buleuta munus politicum sonat. Teste Spartiano nec non Budao. Verosimillimum Josephum fuisse Concilii magni Senatorem confirmatur. 35

Ad ANNUM 35. NUM. 9. & 11.

De Petri Joannisque legatione ad Samaritanos. Vis vocis ἀποστέλλειν. Chamierus notatus. Legatio Petrina tadium movens Ecclesia Rom. procis. Papa olim missi: exempla suppeditantur a Paulo Diacono. Objectiones Baronii solvendo Evangelicorum argumento. Missio Christi legationis Petrina non arripit similitudinem. Hac exceptione ostenditur Petrum conventu Apostolico esse inferiorem. Exemplum Baronianum de misso Ismaele, Judaorum Pontifice, ad examen revocatum. An Pontifex Hebraorum nulli subditus. Sententia Baronii argumentis compluribus confutata. An Regia imperia perferret? Negantium Annalium assertio falsi damnata. Jure Regio, non Prophetico, Abiathari Pontificalem fuisse abrogatam. Antonii Pagii opinio negantis Petrum & Paulum ex aquo Capita Ecclesia esse constituta, refellitur. 37. 38

Ad ANNUM 35. NUM. 9.

An Samaritani Spiritum Sanctum a Gentibus ignoratum impugnarint? Baronii incuria. Personam Spiritus Sancti perinde Samaritanis ignotam ac Ethnicis, multis probatur. Lapsus Clarissimi Beza. Joannis Baptismo formulam Christianorum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. affixam non fuisse. Quid Spiritus Sanctus Judais significet? Novus Baronii error circa Epiphanium, apud quem de pugna Samaritanorum in Spiritum Sanctum ne μῦ quidem. 44

Ad ANNUM 35. NUM. 2.

De Sacri Thesauri Custode. Γαζοφυλάκιον quid significet Joanni. 8. 20. Vocis explicatio, unde occasio de Vellere aureo arrepta. Gazophylacium Novo Testamento homonymum, quod & comprobatur autore Josepho. Sacri Ærarii opes. An servandis tantis opibus unus prafectus? Affirmantis Baronii opinio Rabbinorum placitis contraria. De Catholicanis, eorumque munere. De binis sacri Thesauri Custodibus, sive Catholicanis, Traditio a Josepho dissidens.

dens. Unum fuisse Ærario præfectum multis rationibus ostenditur. An Custos ille Pontifici dignitate proximus? Affirmantis Baronii sententia rejicitur. An perpetuus Sagan Custodem Ærarii emineret? Saganis munus ad examen revocatum. Figmentum esse Rabbinorum, contra Scaligerum, Casaubonum, Lightfootum, ex ratione & Josepho declaratur. An Anna Ἀρχιερεὺς *Luc.* 3. *fuerit Sagan. Scaligeri aliorumque sententia confutatur. An Anna Pontificatus dignitatem civilem designet: Seldeni, Baroniique opinio refellitur. Vero proprius alternis Cajapham Annamque functos esse Pontificatu. Lapsus Casauboni circa Josephum.* 45.46

Ad ANNUM 35. NUM. 13.

De impositione manuum. Non incognita Ethnicis ceremonia. Numa Pompilius imposita manu consecratus. Ritus ille apud Judæos frequenter usurpatus. Ratio hujus disciplinæ. Sententia Grotii & Sanctii rejiciuntur. Alia verosimilior. Variæ species impositionis manuum. 1ª. *Consecrandis victimis adhibita.* 2ª. *Benedicendis adjuncta, quæ teste Tertulliano, manavit in Baptisma.* 3ª. Χειροθεσία *ad sanandos ægros, cui inserenda illa Ananiæ apud Lucam.* 4ª. *Ad consecrandos Presbyteros. An a Judæis in ordinandis suis Presbyteris adhibita? Sententia Lightfooti freti autoritate Maimonidis rejicitur. Verosimilius* Χειροθεσίαν *a Judæis fuisse adhibitam ævo Christi. De impositione manuum apud Christianos.* 1. *Curatoria; quæ exemplis illustratur.* 2. *Catechumenorum.* 3. *Pœnitentium, quæ tergemina.* 4. *Ordinationis, cujus mysteria explicantur ex Dionysio & Amalario.* 58

Ad ANNUM 35. NUM. 13.

De Confirmatione. Nullum hujus Ceremoniæ vestigium inesse in Χειροθεσίᾳ *Apostolica. Latina Confirmatio vacua impositionis manuum, teste Florentina Synodo. Audacia Bellarmini quærentis manuum impositionem in cruce pollice facta, refellitur. Ficta Mimatensis Apostolicæ* Χειροθεσίας *effigies in alapa, Confirmato impacta. An Apostoli confirmandis Baptizatis adhibuerint Chrisma? Inventa* ἀνιστορικὰ *Maldonati refutantur. Dona extraordinaria Spiritus, impositis manibus collata, ætate Apostolica non evanuisse, sed & temporibus Irenæi adhuc perdurasse. An impositione manuum Chrisma Lucas complexus fuerit? Affirmantis Estii sententia compluribus argumentis explosa. Ingens balsami precium pauperes Apostolos ab ejus usu prohibuit. Ostenditur contra Clarissimos Viros Pearson, Hammundumque, in Apostolica*

postolica manuum impositione Confirmationis suæ nullum esse vestigium. Philippum Evangelistam Episcopos eminentem, aptumque hodiernæ Confirmationi Præsulum administrandæ, expertem esse autoritatis imponendæ manus, de qua Act. 8. agitur. Effecta hujusce Χειροθεσίας *ab Episcopali multum discrepare.* 65. 66

Ad ANNUM 35. NUM. 14.

De antiquitate Confirmationis. Examinatur Clar. Pearsonii de Chrismate statim post Tempora Apostolorum in Confirmatione adhibito, sententia. Chrisma in Baptismo, Confirmatione ve, nullo vestigio in Patribus, Tertulliano antiquioribus, reperiri. Argumenta ex Justino Irenæoque in Ceremonias Baptismo additas. Balsami usus a Valentinianis in Baptismum introductus. Impositio manus Baptizatis collata, ab instituentibus Apostolis non manavit. De Baptismo simplici, & solemni. Baptismi Chrisma ex quo tandem conflatum. Confirmationis Sacramentum Apostolicam Traditionem non esse, ex variis administrandi ritibus probatur. Baronii in Chrismatis quæstione, sive incuria, sive versutia. Confirmationem non in qualibet unctione, sed & frontis, & Episcopali esse quærendam. Causa instituti Chrismatis. 1ª. honor & pompa Religioni concilianda. 2ª. Remedium offendiculo mortalium, de simplicitate disciplinæ male existimantium. 3ª. Animorum inclinatio ad res Divinas duplici via exhibendas, quod exemplis declaratur. An manus impositio diversa a Baptismo solemni pars fuerit? Affirmans Clarissimi Valesii aliorumque sententia refellitur ex Tertulliano, Cypriano, Patribus Eliberitanis, Leone. An frontis unctio Baptismo solemni inserenda? Negantium Latinorum opinio compluribus argumentis impugnata. Lapsus Cabassutii circa Amalarium de impositione manuum. Notabilis Cassandri de Confirmatione observatio. Geminus error Baronii circa Eusebium coarguitur. Plurima in hodierna Confirmatione novitates, antiqua aliena. 74. 75

Ad ANNUM 35. NUM. 13.

An Confirmatio, manusve impositio, solis concessa Episcopis? Usus Antiquæ Ecclesiæ varius, quo demonstratur Confirmationis disciplinam non manasse ab Apostolis. Consuetudo Ecclesiæ Rom. solis Episcopis Confirmandi contribuens Autoritatem. Argumenta ex Innocentio, Gregorio Magno, Amalario, Rabano: quorum sententiæ Theologi insignes Latinæ Scholæ adhæsere. Aliarum Ecclesiarum ritus diversus. Pugna Latinorum de Ministro Confirmationis. Ante Sylvestrum

Sylvestrum jus dispensandi & conficiendi Chrismatis, Presbyterorum in Ecclesia Rom. fuit. De insigni Gregorii ad Januarium Calaritanum Epistola. Corruptam fuisse ostenditur, ac restituitur. Concessam esse Presbyteris manuum impositionem, contra Baronium, Clarissimumque Cestriensem probatur ex Clem. Alex. Eliberitana Synodo, Ambrosiastro, liturgia Æthiopum. Quæ de causa in jus præsulum concessit Confirmatio? Manus impositionem ad Presbyteros etiam pertinere, Cypriani sententia fuit, & argumentis declaratur. 91

Ad ANNUM 35. NUM. 17.

De Confirmationis efficacia. Quam Chrismati suo vim Baronius contribuit, ad Solemnem Baptismum pertinere, testimoniis Nazianzeni, & Damasceni probatur. De Charactere, altero Confirmationis effectu. Inventum esse cum ratione & Antiquitate pugnans, breviter demonstratur. Incognitus Character Rabano, Amalario, Straboni, Lombardo; dubius Scoto. Confirmationem non fuisse Sacramentum Antiquis ostenditur, cum Novatianis Chrisma rejicientibus, tum insigni Bedæ loco. Æthiopes, Nestorianique Sacramenti Confirmationis insolentes. 100

Ad ANNUM 35. NUM. 20.

De Simone Mago, Vix a Josephi Simone ille Lucæ diversus. An pro Summo Deo Simon adorari voluerit. Hæc Antiquorum Traditio ad examen revocatur. De Simone multa patrum ἀσύςατα. Pugna Augustini cum Epiphanio. De Summa Divinitate non potuisse se jactare apud Judæos, vel Samaritanos, quibus expectatus Messias, homo divinus quidem erat, non Jehova. Nec potuisse imagines a Simone, vel Judæo, vel Samaritano, ad cultum proponi sine scandalo. Alia argumenta in Summam Simonis Divinitatem ex Tertulliano, Epiphanio, Theodoreto, licet ad Vulgi opinionem abeuntibus. Fons antiquæ, de usurpata a Simone Numinis Majestate, Traditionis aperitur. 103. 104

Ad ANNUM 35. NUM. 26.

De Duce Samaritanorum a Pilato fuso. An ille a Simone diversus? Negantis Baronii audax conjectura refellitur, cum Josepho, tum ratione. Verosimile Ducem securi percussum. Simonem non in tanta gratia apud Samaritanos fuisse, si ejus a Pilato deleta copiæ. De Simonis libris alia Baronii conjectura rejicitur. 111

Ad ANNUM 35. NUM. 27.

De Eunucho Candaces converso. Ejus vocatio signanter ab Esaia prædicta. Lapsus Nazianzeni nomen Candaces ejus servo affigentis. Quænam illa Candaces. Cur Reginæ Æthiopum agitata mentio, Regis omissa? Quæstionis explicatio ex Autoribus & Sacris & Prophanis. Oraculum Esaiæ Eunucho Candaces accommodatum. Lud Æthiopia est. Eunuchi Patria Meroe, non Arabia. Nulla Æthiopia Arabica, quod contra Clar. Lightfootum probatur. An Æthiopum Religio ad Judaicæ Christianæque similitudinem accedebat? Affirmantis Baronii gravissimus error autoritate Strabonis, & Plinii, rationeque refellitur. An Circumcisionis disciplina ex Ægyptiis in Judæos manaverit? Baronii Marschamique sententia compluribus argumentis evertitur. An Judæis Æthiopum nomen impositum ab Herodoto? Ajentis Baronii error ex ipso Herodoto coarguitur. De Religione Eunuchi antequam Christi teneret disciplinam. Lapsus Baronii, non unum Eusebium, sed & Chrysostomum, & Nicephorum existimasse Eunuchum fuisse Ethnicum. Vero similius non fuisse proselytum. Quæ Græcis sacrificia concessa Hierosolymis? An Cornelii Baptismus Eunuchi conversioni prævius? Quæstio Chrysostomi, cur ab Angelo Eunuchus ad Philippum non adductus est, solvitur. 112, 113

Ad ANNUM 35. NUM. 27.

Explicatur versus 26. c. 8. Act. De Gaza urbe sententia Lightfooti expenditur. Utri, viæ, an urbi, addendum desertæ *epithetum? Oecumenii sententia Lightfootiana verisimilior. Lapsus Eruditi Viri circa Sozomenum, atque contradictio.* 126

Ad ANNUM 35. NUM. 28.

Exemplum Eunuchi legentis Scripturam imitandum, judice Chrysostomo. Aurea Sancti hujusce Patris verba. Olim lectioni scripturarum incubuisse pueros, mulieres, milites, Reges, compluribus exemplis declaratur. Inventa Eruditi Simonis de prohibita lectione Scripturæ, refelluntur ex Clem. Alex. Chrysostomo, Augustino, Theodoreto. Diurnis nocturnisque manibus Sacri Codices terebantur. Egregium Monachi Marciani Exemplum. Ordo legendæ Scripturæ ex Nazianzeno, Hieronymoque declaratur. 128

Ad ANNUM 35. NUM. 29.

De Caligula hoc ipso anno ad imperium evecto

evecto ansa erroris Baroniani. Nodus in Dione difficilis. Qui Cajo Caligula Traditum Imperium. Cujus hares Tiberius Drusianus Tiberii Testamento relictus est? Quaritur ex Suetonio difficultatis solutio, ut tamen semper aqua hareat. 134

Ad ANNUM 35. NUM. 19.

De Tiberio rogante senatum ut Christus inter Deos referretur. Traditio Tertulliani ad examen revocata. Argumentum Clarissimi Hueti pro affirmante sententia, vanum esse ex Justino ostenditur. Differentia inter Tertullianum, Eusebium, Chrysostomum, de hac Dominica Apotheosi. Pugna Tertulliani cum Luca. Nomen Christiani Discipulis non additum fuisse ante Claudii Imperium. Verosimile non esse de Christo Deo Tiberium sibi induisse persuasionem. An Pilatus ad Tiberium scripserit de Divinitate & miraculis Domini. Refellitur ajentium opinio, multis argumentis. Christo Pilatus hostis. Fidem Dominica Resurrectioni non addidisse probatur. Epistola Pilati falsa. De Actis publicis sub Pilato. Nulla fuisse Pilati Acta de Christi miraculis. Acta a Justino memorata subdita esse, multis ostenditur. Non flagitatam fuisse a Tiberio Christi Apotheosin demonstratur. 1. Ex odio Tiberii in Judaos, cujus causa explicatur. 2. Ex negligentia Tiberii in Deos. 3. Ex autoritate ejus in Senatum. Solutiones Clarissimi Cestriensis rejiciuntur. Verba Tertulliani suis ponderibus examinantur, unde novum argumentum ducitur. De Actis Pilati a Maximino divulgatis. Cestriensi notatus. 136

Ad ANNUM 36. NUM. 1.

De Anno Paulina conversionis. Obscura Quastio: nec certis argumentis definienda. Martyrologii Rom. sententia Baronio arridens a Thoma, Mimatensi, aliisque Romana Schola Theologis rejecta. Annus defuncti Stephani & baptizati Pauli unus & idem. Anno Ascensionis Dominica nec hic sacris undis expiatus, nec ille ad mortem missus. Error Baronianus de Oecumenio. Martyrologium Rom. sibi constare non videtur de tempore mortis Stephani & Paulini Baptismi. Dies Stephani emortualis 26°. Decembris non est illigandus. An septennium a morte Christi ad Stephani Martyrium intercesserit? Clariss. Virorum Capelli, Valesii, Spanhemii sententia refellitur, multis ex Historia, cum Sacra, tum Prophana, ductis argumentis. Ingens Valesii contradictio. Opinio Lightfootiana de anno Pauli conversi, rejicitur. Ejus contradictio. Petaviana sententia de anno baptiza-

ti Pauli fundamentum convellitur ex Josepho, & Sulpitio Severo. Verosimilior opinio de Stephani morte Paulique conversione, An. Dom. 37. quæ Scripturæ Historiæque phænomenis satis apte cohæret. 150.151

Ad ANNUM 36. NUM. 5.

De Paulo adolescente Baronii Critica. Quid Lucæ νεανίας? An juvenem audacem vehementisque animi significet? Frigida Purpurati Critica a Jesuita Petavio castigata. Opinio Lightfootiana a Baroniana non multum abludens, exemplis refutata. בחור Hebræis adolescentem significat, vel absque ad strenuitatem habitu. Cur juvenis dicatur בחור. De Paulina ætate vana Baronii conjectura. Maturum fuisse consilio, cum baptizatus, senem, cum ad mortem missus est, ut certissimum, sic quot annos vixerit, incertissimum. 161

Ad ANNUM 36. NUM. 4.

Error Baronianus de Religione Regis Aretæ. Non fuisse hostem, sed tenacem Judaismi, ostenditur ex Josepho. Idumæi ab Hyrcano Circumcisionem admittere coacti. Confirmatur & Aretæ Religio, cum ex provincia data Paulo persequendi Damascenam Ecclesiam, tum ex nuptiis Herodis cum Aretæ filia. 163

Ad ANNUM 36. NUM. 10.

De mutato Pauli nomine. Cur ante legationem Cypriam semper Saulus, post vero Paulus semper vocetur? Sententia Hieronymi, cui & nonnunquam adhæsit Augustinus, & a nonnullis, Origene antiquioribus, proposita, rejicitur. Ambrosiastri absurda. Ingeniosæ Clar. Spanhemii rationes, quibus tamen aqua hæret. Origenis opinio verosimilior. Paulum ante Baptismum binominem fuisse ostenditur. Ex quo missus præcipue ad Gentes, Ethnico suo nomine donatus est in æternum. Vanæ Baronii objectiones. 164

Ad ANNUM 36. NUM. 12.

De mutato Pauli nomine Baroniana sententia. An Saulo Pauli nomen additum a Sergio Proconsule? Refellitur opinio. Exemplum a Baronio petitum ex Josepho, affectum errore gemino. Josephus a Vespasiano, non a Tito, civitate donatus; nec a Flaviæ familiæ cognomine insignitus. 168

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

De morte Philippi Tetrarchæ. Viri cum æquitas, tum modestia. Exemplum insigne ex Josepho. Tempus Philippæa in Tetrarchia Præfecturæ. Censura

sura Baroniana de Josephi Chronologia circa annos Herodis Magni, Philippique ejus filii. Josephi locus de Philippæis annis corruptus, emendatur. Error Clar. Pagii ex Librariorum vitio colligentis Herodianos annos. Philippum non ante abiisse ad plures quam Vitellius, Vir Consularis, Syriæ præficeretur, quo Critica Pagianæ nævus aperitur. Sinceram esse Josephi cum de Herode, tum de Philippo, Chronologiam, contra Baronium aliquot argumentis demonstratur. Fundamentum Baronianæ & Censuræ, & Chronologiæ, de annis & Philippi & Herodis, vanissimum, in errore Librariorum collocatum. Non 15°. sed quinto & vicesimo Herodem a Parente suo Galilææ impositum, ostenditur: quo probato, argumentatio & Chronologia Baroniana evanescit, atque diffluit. 169

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

An Patres ab Anno Julii Cæsaris emortuali faciant annorum Augusteorum initium? Chronologia Baroniana, Pagianaque ad examen revocata. Observabilia ad tractandam materiam, quæ & coarguendis Baronii erroribus multo sunt usui. Fasti a Julio Cæs. emendati. Dionis, Macrobii, Censorinique discrimen de diebus Anno confusionis intercalatis. Annus in Chronologia Pagiana oblivione obrutus. Modi annos Augusteos numerandi diversi. Baronii lapsus circa Librum de Oratoribus. Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Orosium, Cassiodorum, Autorem Breviarii Temporum, principium Æræ Augusteæ ab Anno Julianæ Editionis 3°. Hirtio ac Pansa Coss. deducere, probatur contra Baronium; Eruditumque Anton. Pagium. Ejus exceptiones ad Eusebium & Epiphanium confutatæ. Error Baronianus circa Horatium ex Dione coarguitur. Σφάλμα cum Pagianum in Æra Antiochena; tum Baronianum, de captæ Alexandriæ mense. Vitium Baronii de intercalationis vitio. 174. 175

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

De imperata ab Augusto totius Orbis Descriptione. Quid apud Lucam πᾶσα ἡ οἰκουμένη? Ingeniosa eruditi Binæi explicatio ad examen revocatur. An solum Orbem Israeliticum Divinus Scriptor designarit. Rationes dubitandi. 1ª. Quod N. Testamenti Scriptores hanc phrasim nunquam adhibuerint designandæ Judææ: imo apud Lucam, 4. Act. 11. Orbem Romanum significat. 2ª. Quod phrasis magnificentior est quam ut Regnum Herodis, centum milliariorum amplitudine minus, designet. 3ª. Quod Edictum Augusteum ad Breviarium

Imperii Rom. conficiendum pertinere videatur. An eodem momento Temporis Descriptio mandata, & executioni mandata? Cur silentio prætermissa sit, conjectura. 4ª. Quod si descriptio in solo Herodis regno peracta, æque magnam Josephi silentium movet admirationem, ac si ubique gentium Rom. Imperio facta sit. Josephi locum a Clariss. Binæo ad Descriptionem accommodatum, nec ad illam pertinere, & ea significare quæ Descriptioni antevertere. 183. 184

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

De ἀπογραφῇ jubente Augusto peracta. Sententia Scaligeri. An bis Quirinius in Judæam missus peragendæ Descriptioni? Viri Illustrissimi sententia validissime a Valesio, nec immerito impugnata. Eruditissimi Hueti Abrincensis Præsulis opinio, ad examen revocata. Nec aliis opinionibus simpliciorem esse, nec sese angustiis facilius expedire ostenditur. 1°. Quod nullis argumentis nititur illa diuturnitas quam Censui peragendo contribuit. 2°. Quod Suetonius Census nomine Judæam non complexus est. 3°. Quod maximas a Chronologia patiatur difficultates. 4°. Quod unam Judææ Descriptionem Saturninum inter & Varum dividat. In verbis Lucæ Cyrenium esse retinendum, nec pro illo restituendum sive Saturninum, sive Quintilium, contra Viros Clar. Huetum, Valesiumque, probatur. An Saturninus Quirinio subordinatus Censui peragendo? Affirmantis Doct. Antonii Pagii sententia compluribus argumentis refellitur. Quam rejecit Lucæ explicationem Casaubonus, verosimillima est. Gemina Descriptiones: prior a nullo Præside Rom. posterior a Quirinio executioni data. Errores Valesii, Petavii, Scaligeri, refelluntur ex Josepho. Demonstratur contra Petavium Quirinium in agendo Censu Præfectum fuisse ordinarium: contra Scaligerum, non solam Archelai Tetrarchiam, sed & Syriam Descriptioni Quirinianæ fuisse subditam. An Saturninus Syriæ Præfectus, cum Descriptio, nascente Christo, facta est? Affirmantium Petavii, Pagiique Chronologia rejicitur. Verosimilius Varum administrasse Syriam. Rationibus probatur Lucæ de Descriptione narrationem, licet a Josepho omissam, in dubium non esse adducendam. 190. 191

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

An unus Syriæ Præses Varum inter & Quirinium incognitus? Aientis Pagii secundum Norisium opinio rejicitur ex Dione. Hac ex sententia non unus, sed plures Anonymi admittendi.

mittendi. Sentius Saturninus, qui Anno V. C. 735. Collega Lucretii Vispalionis fuit, Cajus, non Cnejus a Dione scribitur, ut a Pagio existimatum. 200

Quibus & Consulibus, & Anno, Christus ortus est? Geminum Domini Natale, verum, & Dionysianum. Dionysiani vitium, cum Antiquorum opinione pugnat. A Matth. Paris aliisque dudum improbatum, cum Scriptura Historiaque non consentit. Baronii in Josephum instantia refelluntur. Ejus & lapsus a Cassiodoro indicatur. Anno Juliano 41. editum Christum esse vero proximum, quod ex obitu Herodis astruitur. Criterium ex annis Dominicis e Luca desumptum non designare verum Christi Natale, ostenditur. Insigne argumentum in hanc Scaligeri, & bene multorum sententiam ex Philippei imperii Epocha. Lightfooti de annis Christi Chronologia a vero longissime abhorrens. Petavii temeraria assertio rejicitur. Explicatur percelebris ille Lucæ versus 23. c. 3. Vana Scaligeri conjectura. Verosimillima Jansenii explicatio confirmatur. Contra Baronium, qui Lentul. & Messalin. Coss. habuit annum non fuisse bissextilem, ostenditur. Error ejus circa Dionem. An Augustus Æmilii Pauli Collega in Consulatu? 203

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

An Christus 25. Decembris die in lucem editus. De consensu Orientis & Occidentis praeceps Baronii judicium. Ante 4um. seculum dies Natalis Dominicus 25. Decembris non illigabatur. Ante Chrysostomum Orientalis Ecclesia cum Occidentali discrepabat. Probatur diserte ex Chrysostomo & Joanne Nicano. Clementis Alex. temporibus dies Natalis non affigebatur Decembri. Quid Pachon mensis? An December? Ajentis Pamelii figmentum convellitur. Mensium Ægyptiorum nomina Latine reddita. Rectam esse explicationem ex Athanasio, Theophilo, Epiphanio, demonstratur. Responsiones Baronianæ refelluntur. Ant. Pagius de die Epiphaniæ apud Clem. Alex. notatus. Epiphanius Latinorum Traditioni adversarius. Epiphania aliud Græcis, aliud Latinis sonant. Illis Natalem Domini, his Baptismum significant, Marcellino & Hieronymo teste. Christum Hyeme natum non esse ostenditur. Præstantissimi Spanhemii instantia ad examen revocata. Lapsus Viri Docti a Josepho, cujus testimonio declaratur & Augustum Judæis fauisse, & e Classibus Sacerdotalibus nullam extinctam fuisse. Fundamentum Scaligeri ex familiis Sacerdotum petitum, expenditur.] Quæ de causa

causa Natales Dominici Decembri affixi? 214. 215

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

Clarissimorum Virorum Isaaci Vossii, Anton. Capelli, Ant. Pagii nova Proconsularis imperii Tiberiani Epocha, ad examen revocata. An eam Lucas usurparit in Evangelio suo. Ajentis Baroniani Critici Contradictio. Refellitur Epocha Proconsularis inventum. 1°. *Ex Æra Tiberiana quam adhibuere Autores Historiæ Rom. a qua, veluti communi & publica, Lucam recessisse improbabile est.* 2°. *Epocha Augustea Tiberii in usu fuit apud Judæos, teste Josepho.* 3°. *Patres insolentes fuisse Epochæ Proconsularis, nec ab illa Tiberii annos numerasse, demonstratur ex Clemente Alex. Tertulliano, Lactantio, Eusebio, Epiphanio, Cassiodoro.* 4°. *Geminæ Regum Imperatorumque Epochæ ab Historicis aperte indicatæ, cum nullus geminam illam Tiberii Æram perspicue indicarit.* 5°. *Inventum Epochæ Proconsularis vanum conciliandæ Chronologiæ Patrum & Scripturæ. Contradictio Pagiana de Cleti creatione in Pontificem. Aperiuntur causæ cur Patrum Chronologia a Scriptura dissentiat? An Tertullianus de annis Christi sententia decesserit? Affirmantis Critici Baroniani opinio pluribus impugnata argumentis. De Chronologia Irenæi quinquaginta annos Christo contribuentis. Huic errori inventum Proconsularis Epochæ nil afferre remedii. An corruptus Irenæus? Ajentium Baronii Antoniique Pagii opinio impugnatur. Pagianæ objectiones pro Epocha Proconsulari Tiberii ex Clem. Alex. Pugna Critica & dissert. Hypathicæ. Vera Clementis sententia de annis Tiberii. Testem ab Erudito Pagio suppeditatum testimonium dicere pro Augustea Epocha. Respondetur Sulpitio, corruptum fuisse ostenditur. Lapsus Pagianus circa Origenem.* 224. 225

Ad ANNUM 37. NUM. 3.

An Tiberius vere Imperii Collega fuerit? Ambages vocis Collegæ explicantur, definiendæ Quæstioni. Triplex ejus significatio. Quid apud Tacitum de Tiberio, Collega imperii? Jejuna veri Collegæ Pagiana descriptio. Quid juris attulerit Tiberio Tribunitia potestas. Vis ejus ex Cicerone & Budæo. Tribunitiæ potestati creandorum in Urbe aut Provinciis magistratuum, facultas, non competebat; quod a veri Collegæ imperii dignitate abesse non debuit. Ex autoritate adjunctæ Vipsanio Agrippæ ostenditur, aut illum pro vero Augusti Collega habendum, aut Tiberium non esse habendum. Pugna & contradictio Clarissimi Pagii.

gii. Ex precibus Senatus Tiberium adeuntis ut capesseret Imperium, demonstratur a veri Collegæ imperii dignitate alienum fuisse Tiberium. Pagiana Taciti explicatio a mente Autoris discrepans. Argumentum, ex Dionysio ductum ab Adversariis, explicatur, & solvitur. Cur Tiberius Imperatoris nomen abnuebat? Non semper illud recusasse, ostenditur ex Dione. 241

Ad ANNUM 39. NUM. 9.

De Antiochenæ Ecclesiæ institutione Menda in Eusebiano Chronico, fatente Augustino. An a Petro condita Ecclesia Antiochena, Anno 1°. Caji? Fundamentum Baronianæ Chronologiæ in lacinia Eusebio assuta constitutum. Petavii immanis contradictio. Ejus de fundata Antiochia Chronologia cum ratione pugnans. Onuphrii de instituta a Petro Antiochena Ecclesia post ejus adventum Romam sententia, exploditur. An Petrus Antiochenæ Ecclesiæ positor haberi potuerit? Tres modi fundandæ alicujus Ecclesiæ: vel prædicato primum Evangelio; vel constituto Senatu Ecclesiastico; vel indultis Spiritus donis extraordinariis; quorum nullus Petro competit. 4us. ex Dionysio Corinthio indicatur, sed a Latinorum opinione multum dissimilis. An per suffectos Petrus Ecclesiam Antiochenam condere potuerit? Ajentis Baronii opinio, Patrum rationisque autoritate confutata. Sententia Bellarmini Petaviique de anno institutæ Antiochenæ Ecclesiæ Antiquitati contraria. De Apollonii Traditione. Lapsus Bellarminianus. Clemens Alex. emendatus. Verosimillimum Petrum Antiochiam non venisse nisi Anno Dom.44. An Petrus Episcopus Antiochenus? Ambages nominis Episcopi remotæ. Differentia Episcopatum inter & Apostolatum quadruplex, ex Antiquitatis monumentis illustrata, qua constat & promptum est Apostolos Episcopis non esse inserendos; proindeque Petrum Antiochenum Episcopum non fuisse. Jure Apostolico præfuisse Antiochiæ, non Episcopali, ex Patribus demonstratur. Baronii contradictio. An Episcopi Apostolis successerint? Affirmantis Clarissimi Pearson opinio examini subjicitur. 248. 249

Ad ANNUM 39. NUM. 16-24.

De institutione Sedis Patriarchalis Antiochenæ. Origo Patriarcharum. De Judæorum Patriarchis ante Christum. An eorum autoritas Monarchica, & in Politia, & in Religione? Absurda Bellarmini sententia rejicitur. Notabilis Marci Antonii de Dominis observatio. Patriarchæ, Prophetæ titulo insignes. Eruditi Richardi Si-

monis ex adjuncto Abrahamo Propheta titulo, de Actuariis publicis opinio refellitur. Josephus & huic sententia adversarius. De Patriarchis Judaicis post Christum. Archontes Judaeorum apud Antiochiam, ante deletam Hierosolymam. Munus Judaicorum Patriarcharum; Autoritatis suae finis. An de Patriarcha Alexandrino Vopiscus debeat explicari? Affirmantis Clarissimi Salmasii sententia multis refellitur. De descriptione nominis Patriarchae apud Christianos. Metropolitanum Metropolitanorum, sive Archiepiscopum Exarcham, caput dioeceseos proprie significare, demonstratur. Functiones & munera Patriarcharum, quorum nomen tandem quinque Sedibus praecipuis accommodatum. Distinctio graduum Episcopi, Metropolitani, Patriarchae, monumentis Antiquitatis illustratur. Sententia Socratis de Patriarcharum institutione explicatur, & defenditur. Valesii opinio multis impugnatur. An Petrus instituerit Sedem Patriarchalem Antiochenam? Opinio Baroniana argumentis compluribus rejicitur. Lectio pervulgata Innocentii contra Petrum de Marca & Henricum Valesium propugnatur. Quae de causa Episcopus Alex. praelatus Antiocheno? Futiles Latinorum conjecturae confutantur. Originem & causam dignitatis Patriarchalis non ad institutionem Apostolicam, sed ad majestatem urbium esse referendam, ex Josepho & Patribus ostenditur. An Apostoli, occasione ex magnitudine urbium capta, Patriarchas instituerint? Opinio haec, quae bene multorum est, impugnatur; & nominis, & rei per Patriarchae vocem significatae, insolentem fuisse Ecclesiam ante Synodum Nicaenam, multis ostenditur. De Canone Nicaeno 6°. Condendo canoni Meletium occasionem dedisse, contra Valesium demonstratur. An Meletius idolis sacrificium perpetrarit? Argumentis verosimilibus ejus innocentia contra pervulgatam opinionem defenditur. De Patriarchis Nicaenos non agitasse mentionem, argumentis confirmatur. Epiphanius emendatus. De suburbicariis Ecclesiis atque Provinciis. Jacobi Sirmondi sententia falsi postulatur. An autoritas praesulis Rom. exemplo fuerit Nicaenis adjungendis Alexandrino suis privilegiis? Majora fuisse Alexandrini quam Romani, contra Salmasium demonstratur. An pauci Episcopi sub ditione Alexandrini? Magni Salmasii, magnum παρόραμα refellitur. Episcopo Alex. titulus Archiepiscopi prius additus quam Romano. An titulus desit vulgatae canonis Nicaeni editioni? Fides ejus multis astruitur. Explicatio canonis Baroniana Bellarminianaque impugnatur. 277.278.279

Ad

Ad ANNUM 39. NUM. 16. 24.

De Privilegiis Æliensis Episcopi. An subditus Cæsariensi? Clarissimi Blondelli sententia, contra quem probatur Hierosolymitanum Præsulem sub Metropolitani ditione olim fuisse. Argumenta ex Hieronymo, Theodoreto, Leone. Rationes Blondellianæ solvuntur. Eruditissimi Salmasii explicatio Canonis Nicæni 7. ad examen revocata. Quænam erant Privilegia Æliensis Episcopi. An sedebat ac subscribebat ante Cæsariensem? Affirmantis Salmasii opinio rejicitur compluribus exemplis. Verosimile Æliensem extra Provinciam Cæsariensis Episcopi, magnis in Conciliis ante suum Metropolitanum sedisse: quod exemplis ostenditur. Cur & in Synodo Nicæna, & ante Synodum, Episcopus Æliæ, non Hierosolymæ dicitur? Sententia Valesii illustratur. Hierosolyma funditus eversa. Ubi Ecclesia Hierosolymitana post urbis hujusce eversionem? De Cathedra Antiochena Petri festo. 322

Ad ANNUM 40. NUM. 3.

De Carraba nuga Baroniana. Nodus in Josepho vindice dignus Eruditis proponitur. Qui jus eligendorum Pontificum Herodi, Agrippæ Magni fratri, liberisque ejus concessum, potuit a juniore Agrippa exerceri. 330. 331

Ad ANNUM 40. NUM. 17.

Errores Baroniani de Lydda Urbe. Non incensa fuit belli exordio. Nobilis schola Lyddæ. Lydda Diospolis dicta, cui præfuit Ætius, Arii fautor acerrimus. 332

Ad ANNUM 41. NUM. 1.

De Consulatibus Caligulæ errores Baronii complures. Falsum, Dionem scripsisse, post Consulatum Proculi & Nigrini, Caligulam quotannis Consulatum gessisse. Falsum, non omnes Caligulæ Consulatus a Dione notari; Falsum, ultimos notari a suffectis Coss. Alii levioris momenti errores. Antonius Pagius notatus. Lapsus circa cum Dionem, tum Suetonium. Suetonius ex Dione emendatur. 333

Ad ANNUM 41. NUM. 3.

De Cornelii Centurionis Cæsaream habitantis vocatione ad fidem. Antonii Pagii de Cæsarea, prius Sebaste dicta, sententia, ex Josepho, Plinio, Eusebio refellitur. An condita Anno Urbis 732? Argumentum in Critici affirmantis opinionem. Cæsarea maritima, non Philippi, Cornelius incola. Nomen Centurionis cum statuarum præfectis communicatum.

Quot militibus constabat Centuria? 110. viros comprehendisse ex Vegetio ostenditur, qui & emendatur. Centurioni dotes requisitæ. An ad designandum Centurionem vitis ipsi dabatur. Clar. Casauboni affirmantis opinio, merito rejicitur. Cur primitiæ gentium ex Centurionum genere in Ecclesia colliguntur? Durior de Cornelii vocatione Chrysostomi phrasis. Religiosior Augustini sententia. De Marino, & Centurione, & Cæsaream habitante, observatio. An Centurio cohortalis, vel Castrensis militiæ? De armata intelligendum esse Eusebium, contra Valesium ostenditur. Quid Lucæ σπεῖρα. An legio? Clarissimi Bezæ sententia rejicitur: Unde nomen Legioni Italicæ partum? An ex Italis quibus constabat: error Baronii circa Dionem de Legione ferrata. Gravissima solvitur difficultas, qui Cornelius Cohortis Italicæ Centurio habeatur a Luca, cum a Nerone Legio Italica nondum fuisset instituta, & post institutionem hyemaret in Mysia? 336. 337

Ad ANNUM 41. NUM. 5.

Baronii incuria circa discrimen δώματος & ὑπερῴου. δῶμα solarium est, ὑπερῷον Cœnaculum: quæ inter se discrepant. Erasmus & Tremellius notati. Cur Petrus ascendit in solarium orando Deo? Facti ratio ex antiqua disciplina deducitur. Mandata Judæis data de oculis, inter orandum, templum versus dirigendis. Ritus causa aperitur. Spencerus refutatur. Cur Petrus orabat circa horam sextam? Id ex Judæorum antiqua disciplina manasse probatur multis. Ratio mysterii ex Cypriano. Ex certis, more Ebræorum, orandi temporibus deductæ horæ Canonicæ apud Christianos. An ab Apostolicis viris observatæ? Affirmantis Cassiani sententia insigni Clementis Alex. loco refellitur: necnon ex ritu Ægyptiorum Monachorum. De orandi tempore aurea verba Clementis. An die Sabbati legati Cornelii Petrum convenerint? Ajentis Baronii opinio rejicitur. 344. 345

Ad ANNUM 41. NUM. 7.

Quid rei sit linteum è cœlo demissum Act. 10. v. 11. An Patribus omnibus Ecclesiam significarit? Temeraria ajentis Baronii refellitur ex Chrysostomo, Cassiano, Gregorio Magno, aliisque. Lapsus Purpurati circa Augustinum. Linteo Ecclesiam, sive internæ, sive externæ formæ respectu, non significari, probatur. Animalia immunda Gentium effigies, quod ex Scriptura, Clemente Alex. & Augustino, declaratur. Linteum status Ethnicorum in peccatis mortuorum symbolum. Quænam mactatio

tio Petro *mandata? Quî manducavit immunda? Spencerus notatus. Jocularis Bellarmini verborum,* macta & vescere, *interpretatio.* 351

Ad ANNUM 41. NUM. 9.

An Cornelius Cæsareæ Episcopus? Martyrologii Rom. subleſta fides, quod argumentis docetur. Quem Zachæo ſufficiunt ſucceßorem Conſtitutiones Clementinæ, a Cornelio Centurione diverſum eſſe, oſtenditur. Fictus ille Epiſcopatus refellitur ex Euſebio, Hieronymo, ratione. 355

Ad ANNUM 41. NUM. 11.

De Cerintho: utrum in Petrum concitæ ob baptizatum Cornelium litis Autor fuerit? Affirmantis ſecundum Epiphanium Baronii ſententia rejicitur. 1°. Nullus præcipuus ſeditionis incentor fuit. 2°. Sibi non conſentit Epiphanius. 3°. Pugnat cum antiqua Chronologia. 4°. Affingit ea Cerintho, quæ cum Judæorum moribus pugnant. An ille ipſe Cerinthus motæ apud Antiochenam Eccleſiam ſeditionis, de Circumciſione Gentibus imponenda, Autor fuerit? Communis opinio refellitur 1°. ex Scriptura. 2°. ex vi indita Apoſtolis diſcernendi Spiritus, qui ducem turbarum infamia notaſſent. 3°. ex diſciplina Phariſæorum Cerinthi moribus adverſante. 4°. ex amore Phariſæorum erga Legem Moſis, quam ex parte Cerinthus rejiciebat. 5°. ex Chronologia. Utrum lavantem Cerinthum, vel Ebionem Joannes Apoſtolus fugerit? Vero ſimiliorem eſſe Epiphanii quam Irenæi narrationem, oſtenditur. Ex ſubdita Pii Epiſtola Baroniana Chronologia diſſipatur. 358

Ad ANNUM 41. NUM. 14.

De ordine Evangeliorum. An Anno Caligulæ tertio Matthæi Evangelium conditum ſit? Baroniana Chronologia hoc affirmans, ab illa Antiquorum diverſa; quod multis exemplis illuſtratur. An Matthæus primus ad ſcribendum animum appulit? Opinio Veterum id affirmantium, ad examen revocata. Inſignis Clementis Alexandrini locus, quo Evangeliſtarum Lucubrationes, quæ Chriſti Genealogiam texuerunt, aliorum libros antiquitate vincere demonſtratur, & rationibus confirmatur. Uter, Lucas, an Matthæus, antiquior? Pluribus argumentis Lucæ antiquitas aſſeritur, cum ex ejus præfatione, tum ex Genealogia Dominica; quo conſtituto ordine, facilius nodus expeditur, quomodo Matthæus conſilium ſuum recte executus ſit, cum Joſephi Genealogia ad Chriſtum non pertineat? An Lucas

e numero Discipulorum fuerit? Affirmantem opinionem verosimiliorem esse ostenditur. Egregia hac de re verba Petavii. An Paulus Lucam indicarit, 2 Cor. 8. v. 18. Clarissimi Hueti dicentis ex Hieronymiana explicatione opinio rejicitur. Vero proprius non de Luca, sed de Sila, nec de Evangelio scripto, sed de prædicato, locum esse capiendum. De Matthæi Evangelio. Traditio de Bartholomæo, Hebraicum Matthæi Evangelium ad Indos deferente, falsi suspicione respersa. Valesii contradictio. Anno Claudii 3°. Marcum non exarasse Evangelium suum ostenditur in Baronium. Romæ, an Alexandriæ conditum sit, incerta Traditio. An Antiquorum sententia fit Joannem in Patmo scripsisse Evangelium? Affirmantis Combefisii sententia rejicitur. 368. 369

Ad ANNUM 41. NUM. 18.

An Evangelium Matthæi Hebraice conditum? Negantium Cajetani Chamierique argumentum ab interpretatione vocum Hebraicarum ductum, inefficax esse demonstratur. Aliis rationibus perantiqua sententia impugnatur. Quæritur an antiquo, vel novo sermone Hebraico Matthæus scriptus sit? Veteri conditum non esse eo ostenditur, quod vel ipse Josephus Historicus, antiqua Lingua Hebraica insolens fuerit, ut apparet exemplis compluribus. Clar. Buxterfius notatus. Novo sermone Hebraico sive Syriaco, Matthæum editum non esse, probatur contra illustrissimum Grotium. Patres antiquiores non nova, sed veteri Hebraica Lingua scriptum existimasse Matthæum, rationibus astruitur. Non Syriace, sed Græce editum fuisse ostenditur. Argumentum Lightfooti de ingrata Judæis Lingua Syriaca rejicitur. Traditio suppeditata a Baronio, de reperto codice Hebraico Matthæi in sepulchro Barnabæ, refellitur, ac Purpurati errores deteguntur. Hebraicus Matthæi codex versio fuit adornata adducendis ad fidem Hebraicæ Linguæ peritis. An Marcus Latine suum Evangelium ediderit? Temeraria affirmantis Baronii opinio rejicitur. Ejus rationes solvuntur. 385

Ad ANNUM 41. NUM. 19.

Baroniana incuria in laudandis Patribus. Ejus error de Ebionæis. A Genealogia Christi apud Matthæum quam resecabant, suam hæresim non hausisse, ostenditur. An Nazaræi Christum Divinitate sua abdicarent? Affirmantis Theodoreti opinio falso simillima. An Nazaræis Jessæorum nomen imposuit Epiphanius? Lapsus Lamberti Danai. An Jesu nomen, a quo titulus Jessæorum ortus, curatorem significet? Scaliger a Petavio hic

hic immerito vexatus, defenditur. De Nazaraeorum Evangelio Petaviana sententia. Sit-ne depravatum Matthaei Evangelium? Compilationem fuisse variarum Traditionum, Paraphraseωn, ac desumptorum ex Evangeliis textuum, ostenditur. An Patres Evangelium secundum Hebraeos, esse Evangelium Matthaei depravatum, crediderint: verosimile Nazaraeis & Matthaei versionem, & Evangelium secundum Hebraeos in usu fuisse. 397

Ad ANNUM 41. NUM. 21.

De tribus Petroniis a Baronio in unum conflatis. Petronium Valerii Max. Petronium Ægypti praefectum, Petronium Syriae Praesidem, tres Petronios esse demonstratur. 403

Ad ANNUM 42. NUM. 1.

Error Baronianus de Pomponio Secundo. Non anno Caligulae tertio, sed 4°. Pomponium Consulem suffectum fuisse demonstratur ex Dione. Servilis honos a Pomponio exhibitus Caligulae. Anton. Pagius notatus. 405

Ad ANNUM 42. NUM. 2.

Quo anno, Philonis ad Cajum Legatio suscepta. Sententia Baroniana rejicitur. Non An. Dom. 40. Juliano 85, sed Dom. 39. Julian 84. Philonem Romam venisse probatur. 406

Ad ANNUM 42. NUM. 8.

Pugna Philonem inter & Josephum, de anni Tempestate qua Judaei Petronium convenere. Josephi a Baronio rejecta sententia, illa Philonis verosimilior est. Error Baronii de frugum maturitate festo Paschatis, refellitur cum ex Scriptura, tum ex Josepho. Clarissimi Cocceji sententia de die Manipuli oblati, autoritate & ratione refutatur. 407

Ad ANNUM 42. NUM. 29.

De Ægyptiorum in pastores odio. An greges curare Ægyptiis illicitum? Error affirmantis Josephi. An omnibus Ægyptiis pastores abominationi? Ægyptiorum partem pastoribus infensam non fuisse, ex Herodoto & Diodoro demonstratur, qui & Mosi conciliantur. Odii Ægyptiorum in pastores causa obscurissima. Opinio Spenceri. An pastores loco vilissimo suos greges haberent, quos Ægyptii venerabantur? Greges suis pastoribus in pretio. An odii materiam praebuit libertas quam pastores receperant sub Dynastia 15ª. Heideggeri sententia rejicitur. Dynastias fabulosas esse, ex insigni Augustini loco declaratur. Magni

Magni Bocharti opinio cum disciplina Ægyptiorum, quibus furta fuere permissa, pugnans. Hugonis Grotii de pastoribus ex Josepho desumpta opinio, rejicitur. Gentem Manethoni Hycsos dictam, ab Hebrais multum esse diversam, argumentis confirmatur. Contra Baronium eruditosque bene multos ostenditur Ægyptios & a cruentis animantium sacrificiis non temperasse, & nonnunquam vel sacras pecudes immolasse. Verba Mosis, sacrificabimusne Ægyptiorum abominationem? *explicantur ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho.* 410

Ad ANNUM 42. NUM. 32.

Baronii circa Philonem error ex Legationis ad Cajum libro. Bis conventum a Judais fuisse Petronium ostenditur. Josephi narrationem ad verum hic magis accedere quam illam Philonis probatur. Josephus ab injuria Baroniana defenditur. 420

Ad ANNUM 43. NUM. 12.

De Christiani nomine, discipulis apud Antiochiam indito. An faciendi discriminis causa affixum fidelibus, quo distinguerentur a Dosithai discipulis. Dosithai haretici plures. Alter ante, alter post Christum. Dosithai Christo antiquioris mores ex Epiphanio docentur. Notabilis Drusii observatio de Dosithao. Dosithaanorum disciplina. De Dosithao Scaligeri sententia ad examen revocata. Rejicitur ex Patribus. דוסתאי *Hebraum, optime reddi per* Δοσίθεον *ostenditur. De Dosithao post Christum. Verosimile Apostolis non esse coavum, sed paulo juniorem, quod declaratur ex insigni loco Origenis. De origine Dosithai, sententia Autoris Recognitionum. Qua de causa Christiani nomen discipulis impositum? Nominis majestas ab hareticis usurpati, obtendendo turpitudini sua colori. Oraculum Esaia de imponendo hoc nomine explicatur. Vis nominis compluribus exemplis declarata.* 421. 422

Ad ANNUM 43. NUM. 14.

De Carpocratianis geminus error Baronii. Epiphanium nec dixisse Carpocratianos primum sibi Christiani nomen imposuisse, nec dicere potuisse demonstratur. Plurimi ante Carpocratem Haretici floruerant. 427

Ad ANNUM 43. NUM. 16.

De conjectis Judaorum in Nazaraos maledictis, apud Epiphanium. An ad Christianos pertineant? Affirmantis Baronii sententia pugnans cum illa Epiphanii qua defenditur. Nazaraorum nomen, diu ante Epiphanium

nium appellationi Christiani decesserat. Capitale odium Judaeos inter & Nazaraeos Haereticos exercebatur. Judaei Nazaraeis infensiores quam Christianis. 428

Ad ANNUM 43. NUM. 18.

De *Thaddaei ad Abgarum peregrinatione. Error Baronii Chronologicus. Non ad Æra Christianae annum tertium & quadragesimum, sed ad* 29. *referendam esse peregrinationem, ex Eusebio ostenditur. Doctissimorum virorum Guillelmi Cavii, & Abbatis Faidit sententia, hanc in Traditionem propendens, ad examen accuratius revocata, refellitur. De Epistolis Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum missis. Rejiciuntur Epistolae tum ex silentio Scripturae, ac Antiquitatis consensu, quae scriptis Apocryphis Epistolam Christi ad Abgarum ascripsit, cum argumentis plurimis ex Epistolarum materia ductis. Peregrinatio Thaddaei falsi postulata.* 1°. *ex circumstantia Temporis.* 2°. *ex statu Edessae urbis, cui Ethnicus praeesse videbatur imperante Trajano.* 3°. *ex rebus ipsis quibus Eusebiana narratio constat. Sanctum Abgarum Edessae Regem, qui Anno Dom.* 218. *florebat, ansam dedisse fingendae fabulae, verosimile. Error Clar. Cavii de Origene ad vitium Æthiopissae offerendum compulso, in transitu coarguitur.* 430

Ad ANNUM 44. NUM. 1.

De *Jacobaea in Hispaniam peregrinatione. Pietatis obtentu, nominumque* ὁμωνυμίᾳ, *vulgus Christianorum in fraudem saepius deductum fuisse, exemplis compluribus illustratur. Non improbabile Evangelii praeconem, Jacobum nomine, contendisse in Galaeciam, fide Christi hominibus imbuendis, qui honoris causa in Apostolum Jacobum, Zebedaei filium, mutatus est. Fabulosa Apostoli Legatio in Hispaniam refellitur.* 1°. *Ex alto totius Antiquitatis silentio.* 2°. *Ex Provincia Jacobo a Patribus assignata, quae ab Hispania multum diversa.* 3°. *Ex Martyrologio, quod de hac Jacobaea Legatione non secus ac de Reliquiarum ejus Translatione, mentionem agitasset.* 4°. *Ex pugna cum perantiqua Traditione de mandato dato Apostolis, ne ante duodecennium exirent Judaeam. Jacobum in Hispaniam non contendisse, in dispersione quae Stephani mortem excepit, multis demonstratur. An Herodes Tetrarcha Jacobo mortem imperaverit? Affirmantis secundum Antiquos nonnullos Clarif. Bailii, Glascuensis Professoris, gravis error, ex Josepho coarguitur.* 437. 438

***** Ad

Ad ANNUM 44. NUM. 3.

De Petro ab Agrippa in carcerem conjecto. Cur milites sexdecim ad custodiendum? De precibus pro captivo fusis. An Ecclesia intentissimis orationibus Deum adiit, quod totius Ecclesiæ Monarcham exerceret? Inventum hoc Baronii & Bellarmini rejicitur. Cur nullæ preces conceptæ legantur pro Jacobo Apostolo? Subito impetu Jacobum, non secus ac Stephanum, missum ad mortem fuisse, verosimillimum: quæ sententia illustratur ex Chrysostomo. Hinc nullæ preces publicæ fusæ ab Ecclesia pro salute Jacobi. Concesso & Jacobum in carcerem detrusum fuisse, germana aperitur causa cur Ecclesia pro Petro descenderit in preces, non pro Jacobo. 443.444

Ad ANNUM 44. NUM. 5.

De Petri liberatione ab Angelo. Cur spiritus ille lumine suo carcerem illustravit? Num hoc fulgore custodes carceris perstricti, atque exanimati? Affirmantium sententia refellitur. Vero propius gravem somnum occupasse artus militum. Miraculum liberationi Petri geminum, ex Palladio suppeditatum. An carcer Agrippæ intra vel extra Hierosolymam? Locus Act. 12. v. 10. difficillimus explicatur. Lightfootiana opinio de Porta ferrea, & carcere extra murum constituto, rejicitur. Lucas ex Josepho explicatur. Cur Jacobo præcluditur effugium mortis, non Petro? Insignis Oecumenii locus in hanc rem. 447

Ad ANNUM 44. NUM. 7.

De catenis Petri Hierosolymitanis. Ante sextum seculum jam affectum incognitas fuisse probatur. Petrus vincula sua secum non abstulit. Quamobrem in carcere relicta? Egregia Chrysostomi verba. Eusebianis temporibus catenarum Petri nullus adhuc usus Ecclesiæ fuit. Sacris Petri vinculis a prophanis distinguendis opus erat miraculo, quod intervenisse faciendo discrimini nemo perhibet. Traditio Metaphrastis de catenis, Regis Agrippæ familiari creditis, refellitur. Prudens de Reliquiis Lateranensis Concilii decretum. Traditio de Petri catenis, cum apud Bedam, tum apud Durandum, maximis affecta erroribus. Ex gemina Eudoxiæ ad urbem Hierosolymitanam profectione donatio catenarum Eudoxiæ collata coarguitur. Error Baronianus de solemnitate vinculorum Petri. Pauli catenas cum Petrinis vinculis fama certare, ostenditur ex Gregorio Magno. Qualis honos Petri vinculis exhibendus, judice Chrysostomo? 451

Ad

Ad ANNUM 44. NUM. 9.

Cur Petri custodes non fugerint, elapso Petro? An morti ab Agrippa missi? Negantis Erasmi sententia refellitur. Ultimo supplicio affectos esse vero propius est; quod ex Chrysostomo, Oecumenioque confirmatur. Observabilis Petri Alexandrini locus. De militum supplicio. An suffocati? Baronii ex Linguæ Græcæ imperitia affirmans opinio refellitur. Inter Judæorum supplicia nulla suffocatio. 457 458

Ad ANNUM 44. NUM. 10.

De Agrippæ in Sidonios offensionis, nec non Regii adventus Cæsaream, caussis. Baronii figmentum hasce causas quærentis in Petri facto Palæstinæ Ecclesias instituentis & componentis. Adventus Regii Cæsaream ratio longe verisimilior, a Josepho suppeditata. Petrum Agrippæ ditionem exiisse probabilius est. 460

Ad ANNUM 44. NUM. 11.

An Petrus hoc anno Romam venerit? Argumenta quædam Chronologica in hanc sententiam, infra accuratius examinandam, afferuntur. An necesse fuerit sive Petro, sive Papæ, apud Ecclesiam Romanam adesse, ut ejus audiret Episcopus? Negantis Bellarmini opinio refellitur. De Bullis plumbeis in quibus Paulus dexter est, Petrus sinister. Quænam hujusce ordinis ratio? Thomæ explicatio. Antonii Nebrissensis sententia rejicitur. Clar. P. de Marca & Antonii Pagii interpretatio. Petri in Bullis locum non esse honoratiorem, sed Pauli, ex monumentis Antiquitatis ostenditur. Ordinis Apostolici in Bullis plumbeis ratio aperitur. Paulus ad salutem Romanorum ante Petrum laboravit, ideoque dexter. 462

Ad ANNUM 44. NUM. 12.

An primos Bizantinos Thraciæque Episcopos Petrus creaverit? Temeraria affirmantis Baronii sententia, ex unius Agapeti Epistola constantem Ecclesiæ Græcæ Traditionem convellentis. De Andrea primos Bizantinæ urbis Thraciæque creante Apostolos. Antiquitatis monumenta Baronio adversa, testibus Hippolyto Portuensi Episcopo, Origene, ipso Martyrologio Rom. Provinciæ non sine autoritate Spiritus Sancti datæ Apostolis. Petro mandatam esse Thraciam non legitur, sed Andreæ. Agapeti Epistola prospera Baronius non usus est. 468

Ad ANNUM 44. NUM. 17. 18. 19.

De Symbolo Apostolico. An ab Apostolis con-

conditum? Antiqua cum Rufini, tum Hieronymi sententia. Traditionem a Rufino suppeditatam a vero quam longissime abesse, argumentis compluribus ostenditur. Ex Clem. Alex. & Chrysostomo demonstratur, Jacobum abiisse ad plures, antequam Apostoli proficiscerentur ad Gentes. An quisque Apostolus suum articulum Symbolo contulerit? Baroniana sententia ex Augustino, Rufino, necnon pugna Traditionis de articulis additis. Occasio condendi Symboli ex erroribus grassantibus. De usu Symboli. Antiquae disciplinae varietas circa diem, reddendo a Catechumenis Symbolo, praefinitum. Symboli recitatio super baptizandi caput in ceremoniis Baptismi solemnis annumerata. Constantinopolitanum Symbolum, petitione Regis Reccaredis, publice in Hispania recitatum ante Eucharistiae celebrationem. Modus tradendi Symbolum, ex ordine Rom. declaratur. 471

De Catechumenis. Origo nominis. Instituendis Catechumenis modo Presbyteri, modo Lectores, sed eruditi tamen, impositi. Locus institutionis olim extra Ecclesiam, teste Eusebio. Accurata observatio Valesii. De ritibus ad faciendos Catechumenos adhibitis, ac manuum impositione. Locus ordinarius χειροθεσίας, Ecclesia. Quo tempore Constantinus Imperator Catechumenis insitus? Paulo ante obitum in Catechumenorum ordine annumeratum fuisse, ostenditur ex Eusebio. De variis Catechumenorum gradibus. In tres ordines divisos non fuisse probatur contra Maldonatum. An quatuor Catechumenorum Classes? Affirmantis Bonae Cardinalis sententia, multis rejicitur. Competentes, Orantes, Electos, unum & eundem Catechumenorum ordinem constituisse, declaratur. Geminus tantum Catechumenorum ordo, Audientium, atque Competentium. Miserrima Audientium fortuna, vel a privatis fidelium precibus exclusorum. De Competentibus. Necessitas addiscendi Symboli ipsis imposita, cujus officii contemptio castigata divinitus. An panis Benedictus Catechumenis traditus? Affirmantium opinio rejicitur. Canonis Carthaginensis explicatio Petaviana refellitur. De velamine Competentibus imposito. An semper Catechumenis abdita religionis mysteria? De gradu Catechumenorum in Ecclesia. An eminerent Poenitentes? Distinctione quaestio solvitur, & Antiquitas illustratur. Iniqua apud veteres Catechumenorum conditio. Varia Antiquorum disciplina de tempore κατηχήσεως. 479

Ad ANNUM 44. NUM. 21.

De Apostolorum in Orbem terrarum Legatione. Tempus profectionis incertum.

tum. Baroniana de hac profectione Chronologia, ab illa Patrum multum diversa. De Provinciis Petro mandatis. Qua de causa Judai Petro crediti in dispersione dicuntur? Accurata Valesii observatio. Quaestio ex insigni loco Josephi explicata. Baroniani erroris retractatio, frigida, nec satis candida. De Provinciis Andrea mandatis, & mortis loco. An cruci decussata affixus? Erudita Francisci Combefixi animadversio. Quanam Regiones assignata Thoma? De monumentis ejus in Indiam Legationis, & a Baronio ex Osorio, & a Kirkero in China illustrata, suppeditatis. Compluribus argumentis monumenta hac configuntur. Palum cingulo Thoma alligatum, signo crucis facillime, non secus ac paleam, tractum, fabulam esse demonstratur, perinde atque crucem in lilia desinentem. Thomam Apostolum, cum Thoma Cananao qui Anno Dom. 800. in Indiam contendit, restituenda Religioni, permixtum fuisse, ex Semedo Jesuita ostenditur. An Lucas, Crescensve missi in Gallias? Eruditissimi Prasulis Petri de Marca secundum Epiphanium sententia, ad examen revocata. Stata fuisse vocandorum populorum tempora, ad quos non suo, sed Spiritus Sancti nutu accesserunt Apostoli. Hujus rei ex Augustino ratio, qua fundamenta Illustrissimi Prasulis convelluntur. Petavius notatus. Eusebium iis potius annumerandum qui Crescentem in Gallias missum esse contendunt, probatur. An Gallia nomen olim Cisalpina inditum, deletum sit jam a divisione Italia ab Augusto peracta? Error eruditi Petri de Marca a Strabone & Plinio castigatus. Gallias luce Evangelica nondum refulsisse, vitam ducentibus Apostolis, aliquot argumentis declaratur. 494. 495

Ad ANNUM 44. NUM. 36.

De Jacobo fratre Domini. An ab Alphai Jacobo diversus? Negantis Baronii sententia ab erudito Combefixo temeritatis postulata. Patrum bene multorum opinio, ab illa Purpurati diversa. Jacobum fratrem Domini, & Jacobum Alphai, inter se non differre, vero similius. Argumenta ex Clemente Alex. & Hippolyto, qui Recentioribus merito sunt anteponendi. An Hegesippus de tribus Jacobis sententia faveat? Affirmantis Combefixi assertio rejicitur. Jacobum fratrem Domini, in majori Apostolorum ordine reponendum esse, contra Clarissimum Valesium, atque ὁμοδόξυς, ostenditur. Argumentum ex 1 Cor. 15. ab adversariis petitum, nullius ponderis. Ex verbis Paulinis ad Galatas, Jacobum maximis Apostolis inserendum esse, demonstratur. Cur frater Domini dictus? 506

An Paulus in Hispaniam profectus sit prædicando Evangelio? Affirmantis Pearson, aliorumque bene multorum cum illo conspirantium, opinio, ad examen revocata. Fundamenta hujusce sententiæ in verbis Paulinis jacta. Unde Patres hanc Pauli peregrinationem sibi affixere animo familiarius. Nutare Hispanicæ profectionis fundamentum eo demonstratur, quod verba Paulina Legationem in Hispaniam indicantia, non ex oraculo, sed humano consilio dicta sint. Legatio Pauli Hispanica incognita Origeni, & Eusebio. Cum Annalibus Paulinis non conspirat. Paulus Neronianis vinculis liberatus, non contendit in Hispaniam, sed in Asiam, nec sine causa. Nullum Apostolicæ Ecclesiæ à Paulo in Hispania conditæ monumentum, in scriptis Antiquorum. Inscriptio Pisvergana, de purgata a Nerone Hispanica superstitione, falsi postulatur. 510.511

Ad ANNUM 44. NUM. 38.

De adducta ad Christi disciplinam Africa. An Augustinus Salvianusque tradiderint, Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse? Affirmantium Baronii & Francisci Combefixi error, repræsentatis Salviani & Augustini verbis, coarguitur. Clarissimi Shelstrati argumentum ex Hippolyto petitum, ad imminuendam Dorothei, & Nicephori, de Simonis Cananæi Legatione Africana autoritatem, iners esse perhibetur. Jacobum fratrem Domini, non decessisse Simoni Apostolo, compluribus ostenditur. Simon Clopæ Episcopus Hierosolymitanus a Simone Apostolo multum diversus. Magnum Valesii παρόραμα circa Dorotheum. Shelstratiana de tempore Evangelii in Africam propagati sententia, ad examen revocata. In quibusdam Africæ Provinciis instillatam fuisse Christi Religionem, vitam ducentibus Apostolis, demonstratur. An Tertullianus Augustinusque initia Religionis Christianæ in Africa, ex Ecclesia Rom. repetant? Errores Shelstratiani complures coarguuntur. 516.517

Ad ANNUM 44. NUM. 22.& 40.

An Apostoli ad omnia mundi climata perrexerint? Tornielli & Antonii Pagii sententia, ad examen revocata. Profectionem Apostolicam in Americam ex Scriptura probari non posse, demonstratur. In novum Orbem excursus Apostolicos ignotos fuisse Patribus, ostenditur ex eorum opinione de Antipodibus. Lactantius, Augustinus, Zacharias Papa adversi atque infesti Antipodibus, quibus tamen America est inserenda. Tertullianus Mexicanas Peruvianasque Regiones in Provinciis Christo subditis bene multis non annumerat. Origenis,

nii, Augustinique ævo, partes Orbis plurima insolentes ignaræque Evangelii. Pagiana contradictio. Ex lato prosperoque Evangelii successu tot Orbis Romani Provincias Apostolico ministerio illustrantis, veritas Christianæ Religionis aperte ostenditur. Insignia hanc in rem Clementis Alex. Augustini, Chrysostomi, argumenta atque testimonia. De percelebri Suetonii loco. An Chrestus, cujus causa a Claudio Judæi Roma pulsi, Christum Dominum significet? Negantis Magni Usherii sententia rejicitur. An nominatim pulsi Judæi? Affirmans opinio, contra Clar. Valesium propugnatur. De Christianorum Romam incolentium numero, ex Cornelii ad Fabianum Epistola, solers Clar. Sarisburiensis Episcopi conjectura. Romanorum Christo venerationem exhibentium multitudinem, summa Burnetiana longe majorem esse, ostenditur ex Plinio, atque Tertulliano. 523. 524

Ad ANNUM 44. NUM. 25.

De Petri Romam adventu. Baronii, Bellarmini, Petavii, aliorumque bene multorum, Petrum in Urbem venisse Anno Claudii secundo statuentium, sententia, accurate ad examen revocata. Cum Antiquitatis pene totius opinione pugnare ostenditur. Orosius Anno 1°. Claudii, non secundo; Marcellinus Comes ultimo Caligulæ; Beda Claudii quarto adventum Petri Romam illigavit. Eusebiana de Petro Romam proficiscente Chronologia, ex Josepho falsi damnata. Agrippa rudi anno Claudiani imperii secundo Romæ agens, ante Paschale festum adesse Hierosolymis non potuit, ut Jacobum ad mortem, Petrum ad vincula damnaret. Ex anno Agrippæ emortuali refellitur & Chronologia Eusebiana. Baronii contradictio. Petrum Sedem Romanam non tenuisse annos sive quinque, sive quatuor & viginti, demonstratur cum ex Scriptura, tum ex Patribus. Episcopatus ille Petrinus titulum Apostoli Gentium abdicat Paulo. Caput 2. ad Gal. v.7. explicatur ex Gregorio Naz. & Ambrosiastro. Tertullianus, Clemens Alex. Lactantius, Sulpicius Severus, Augustinus, Latinorum Traditioni de Petro viginti quatuor annos Sedem Rom. occupante, adversarii. Lapsus Petavii circa Dionysium Corinthium. Fraus Bellarminiana in laudando Eusebio de profectione Petrina Romam. Iners Purpurati ratio probanda institutioni Romanæ Ecclesiæ ministerio Petri. Ex Tertulliano, Autore Recognitionum, rationeque ostenditur, Petrum in urbem Rom. fidem primum non invexisse. 533. 534

Ad

An Paulus in Hispaniam profectus sit prædicando Evangelio ? Affirmantis Pearson, aliorumque bene multorum cum illo conspirantium, opinio, ad examen revocata. Fundamenta hujusce sententiæ in verbis Paulinis jacta. Unde Patres hanc Pauli peregrinationem sibi affixere animo familiarius. Nutare Hispanicæ profectionis fundamentum eo demonstratur, quod verba Paulina Legationem in Hispaniam indicantia, non ex oraculo, sed humano consilio dicta sint. Legatio Pauli Hispanica incognita Origeni, & Eusebio. Cum Annalibus Paulinis non conspirat. Paulus Neronianis vinculis liberatus, non contendit in Hispaniam, sed in Asiam, nec sine causa. Nullum Apostolicæ Ecclesiæ à Paulo in Hispania conditæ monumentum, in scriptis Antiquorum. Inscriptio Pisvergana, de purgata a Nerone Hispanica superstitione, falsi postulatur. 510.511

Ad ANNUM 44. NUM. 38.

De adducta ad Christi disciplinam Africa. An Augustinus Salvianusque tradiderint, Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse ? Affirmantium Baronii & Francisci Combefixi error, repræsentatis Salviani & Augustini verbis, coarguitur. Clarissimi Shelstrati argumentum ex Hippolyto petitum, ad imminuendam Dorothei, & Nicephori, de Simonis Cananæi Legatione Africana autoritatem, iners esse perhibetur. Jacobum fratrem Domini, non decessisse Simoni Apostolo, compluribus ostenditur. Simon Clopæ Episcopus Hierosolymitanus a Simone Apostolo multum diversus. Magnum Valesii παρόραμα circa Dorotheum. Shelstratiana de tempore Evangelii in Africam propagati sententia, ad examen revocata. In quibusdam Africæ Provinciis instillatam fuisse Christi Religionem, vitam ducentibus Apostolis, demonstratur. An Tertullianus Augustinusque initia Religionis Christianæ in Africa, ex Ecclesia Rom. repetant ? Errores Shelstratiani complures coarguuntur. 516.517

Ad ANNUM 44. NUM. 22.& 40.

An Apostoli ad omnia mundi climata perrexerint ? Tornielli & Antonii Pagii sententia, ad examen revocata. Profectionem Apostolicam in Americam ex Scriptura probari non posse, demonstratur. In novum Orbem excursus Apostolicos ignotos fuisse Patribus, ostenditur ex eorum opinione de Antipodibus. Lactantius, Augustinus, Zacharias Papa adversi atque infesti Antipodibus, quibus tamen America est inferenda. Tertullianus Mexicanas Peruvianasque Regiones in Provinciis Christo subditis bene multis non annumerat. Origenis,

nis, Augustinique ævo, partes Orbis plurima insolentes ignaræque Evangelii. Pagiana contradictio. Ex lato prosperoque Evangelii successu tot Orbis Romani Provincias Apostolico ministerio illustrantis, veritas Christianæ Religionis aperte ostenditur. Insignia hanc in rem Clementis Alex. Augustini, Chrysostomi, argumenta atque testimonia. De percelebri Suetonii loco. An Chrestus, cujus causa a Claudio Judæi Roma pulsi, Christum Dominum significet? Negantis Magni Usherii sententia rejicitur. An nominatim pulsi Judæi? Affirmans opinio, contra Clar. Valesium propugnatur. De Christianorum Romam incolentium numero, ex Cornelii ad Fabianum Epistola, solers Clar. Sarisburiensis Episcopi conjectura. Romanorum Christo venerationem exhibentium multitudinem, summa Burnetiana longe majorem esse, ostenditur ex Plinio, atque Tertulliano. 523. 524

Ad ANNUM 44. NUM. 25.

De Petri Romam adventu. Baronii, Bellarmini, Petavii, aliorumque bene multorum, Petrum in Urbem venisse Anno Claudii secundo statuentium, sententia, accurate ad examen revocata. Cum Antiquitatis pene totius opinione pugnare ostenditur. Orosius Anno 1°. Claudii, non secundo; Marcellinus Comes ultimo Caligulæ; Beda Claudii quarto adventum Petri Romani illigavit. Eusebiana de Petro Romam proficiscente Chronologia, ex Josepho falsi damnata. Agrippa rudi anno Claudiani imperii secundo Romæ agens, ante Paschale festum adesse Hierosolymis non potuit, ut Jacobum ad mortem, Petrum ad vincula damnaret. Ex anno Agrippæ emortuali refellitur & Chronologia Eusebiana. Baronii contradictio. Petrum Sedem Romanam non tenuisse annos sive quinque, sive quatuor & viginti, demonstratur cum ex Scriptura, tum ex Patribus. Episcopatus ille Petrinus titulum Apostoli Gentium abdicat Paulo. Caput 2. ad Gal. v.7. explicatur ex Gregorio Naz. & Ambrosiastro. Tertullianus, Clemens Alex. Lactantius, Sulpicius Severus, Augustinus, Latinorum Traditioni de Petro viginti quatuor annos Sedem Rom. occupante, adversarii. Lapsus Petavii circa Dionysium Corinthium. Fraus Bellarminiana in laudando Eusebio de profectione Petrina Romam. Iners Purpurati ratio probandæ institutioni Romanæ Ecclesiæ ministerio Petri. Ex Tertulliano, Autore Recognitionum, rationeque ostenditur, Petrum in urbem Rom. fidem primum non invexisse. 533. 534

Ad

Ad ANNUM 44. NUM. 25.

De Petrini Romam adventus anno, sententia Papebrochiana. An in Urbem Apostolus se contulerit anno Claudii decimo? Vana Viri Eruditi conjectura evertitur. Fundamentum Papebrochianum in ordinationibus Ecclesiasticis, die Dominica celebratis, positum, convellitur. Regula hac refellitur 1°. ex Scriptura, ubi Diaconorum creationem, & Pauli Barnabaque Legationem, cui χειροθεσία *adjuncta fuit, extra diem Dominicum contigisse ostenditur. 2°. Ex Traditione Asianorum, festum Paschale diei Solis non affigentium. 3°. Experientia. Linus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus Papa, extra diem Dominicum ordinati. 4°. autoritate Ambrosiastri, Regulam Papebrochianam funditus evertentis.* 543

Ad ANNUM 44. NUM. 25.

An Petrus aliquando Roma versatus sit? Virorum Clarissimorum Parai, Salmasii, Frederici Spanhemii, negantium sententia expenditur. Potentissima eorum argumenta in Eusebianos esse, nulla vero & inertia, in illos, qui meliori Chronologia utentes, adulto jam Neronis imperio, Petrum in urbem contendiße existimant. Argumentum Cestriense pro Petrino adventu Romam inefficax. Petrina profectio probatur. 1°. Ex oraculo Christi mortem Petro portendentis, quo colligitur, antiquam Ecclesiam loci quo Petrus passus est, non fuisse insolentem. 2°. Ex Clemente Romano, qui loci Martyrii Apostolici gnarum se prabet in Epistola sua, quem a Romana civitate diversum non fuisse, multis ostenditur. 3°. Ex Dionysio Corinthio, ad quem manarat antiqua Ecclesia sua Traditio, qua, Clementis avo, a vero aliena eße non potuit. 4°. Ex Irenao a Lugdunensibus Romam legato. Ecclesiam Rom. id de loco mortis Petrina opinionis, sedente Eleuthero, non abieciße, quod imbiberat sub Clemente. 5°. Ex Testimonio Caji de Petri Paulique Trophais, argumentum iners non esse, ex more agitandi conventus ad Martyrum sepulchra, circumstantiisque bene multis, declaratur. 6°. Ex Tertulliano, Firmiliano, Cypriano, Ecclesia Rom. adversariis, quibus de Petro in Oriente ad mortem misso nil suboluit. Lapsus Clarissimi Pearson. Argumentum Salmasii pracipuum solvitur. Ejus error impugnatus ex Josepho. Petrum, imperante Nerone, venisse Romam ostenditur. An primus Petrina Sedis Rom. annus cum 1°. Neroniani Imperii anno illigandus? Affir-

Affirmantis Antonii Pagii Chronologia multis refellitur. Cur Petrus Romæ passus est? 547. 548

Ad ANNUM 44. NUM. 29.

An Beata Virgo una cum Joanne Ephesum se contulerit? Affirmantis ex Ephesina Synodo Baronii sententia, Polycrate, Epiphanio, Pseudignatii ad Joannem Epistola, rationibus confutatur. Eruditorum Combefixi, & Antonii Pagii opinio de Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum ad examen revocata, multis coarguitur. Patres Ephesinos falsæ de Virginis adventu Ephesum Traditioni favisse verosimillimum. 564

Ad ANNUM 44. NUM. 55.

De statua Simonis magi Romæ posita, si creditur Antiquis. Fluitans incertaque hæc Traditio. Confirmandæ Justini Martyris narrationi, allata a Baronio argumenta expenduutur. Justini peritiam non impedire quo minus Semonis & Simonis nominum vicinitate deciperetur. Ambiguas etiam fuisse Ethnicorum Deorum appellationes, testibus Virgilio, Macrobio, Clemente Alex. Potuisse & Justinum labi in Apologia Imperatoribus oblata de Simone, cum gravissime in eadem Apologia erraverit de Herode faciente Ptolomæo Sacrorum Librorum copiam. Quisnam Deus fuerit Semo Sancus? Manca Baroniana hujus Idoli descriptio. Herculem non modo, sed & ab illo diversum numen significari. Ex circumstantiis statuæ Justino oblatæ, Simonem non exprimi confirmatur. Argumenta in Simonianam statuam plurima. Simonem Samaritanis a cultu imaginum alienis cultum imaginum non imperasse. Error Jansenii de Idololatria Samaritanorum. Ratio ex Eusebio petita probandæ adorationi Simonis imaginibus exhibitæ solvitur. 569. 570

Ad ANNUM 44. NUM. 62.

Quonam Claudiani imperii anno fames instinctu Spiritus Sancti ab Agabo prænunciata acciderit? Clarissimorum Virorum Usherii Spanhemiique sententia hanc famem quarto Claudii anno illigantium. Opinio ad examen revocata. Josephum non 4um. Claudii, sed sextum vel septimum indicasse in memorata fame Hierosolymitana, cui Helena Regina remedium attulit. Verosimilius famem anno Claudii secundo præcipue affigendam, ostenditur ex Dione & scriptura circumstantiis. Errores Baroniana Chronologia complures. Famem, de qua Josephus mentionem movit, ab illa Dionis esse diversam. Cuspidium Fadum de stola Pontificali servanda Judæis anno Claudii sexto

non fecisse negotium. Audax purpurati critica, in Rufi locum Valerium Asiaticum substituens. Cur fames sub Claudio? Horrenda Principis hujusce crudelitas. 580

Ad ANNUM 44. NUM. 66.

De Helena Izatisque Adiabenorum Regis religione. An Christi disciplinæ adhæserint? Baronii in Orosium propendentis absurda opinio. Orosius immerenter damnatus a Scaligero de fame a Prophetis prænuntiata. Stilo Paulino Prophetæ non solum V. Testamenti, sed etiam novi vates significant. Izatem Christianum hominem non egisse probatur, non modo ex Scriptorum Orosio antiquiorum silentio, sed etiam ex insigni Josephi loco, quo apparet Izatem polygamiæ a Christi disciplina abhorrentis tenuisse morem. 584. 585

Ad ANNUM 44. NUM. 66.

An obtinente Mosis disciplina, Ethnicis circumcisio ad salutem necessaria. Baronii, clarissimique Cocceji affirmans sententia ad examen revocata. Fœdus Nationale cum Abrahamo contractum, bona æterna sub conditione fidei, & temporalia sub Lege circumcisionis comprehendisse. Illa omni mortalium generi esse oblata, hæc ad solam Abrahami progeniem pertinere. Adipiscendæ saluti imperatam Ethnicis non fuisse circumcisionem, ostenditur ex Scriptura, Patribusque. Exemplis compluribus adversus Baronium demonstratur, non omnes recutitos salutem abdicasse Gentibus præceptorum Noacho datorum observantissimis. 586. 587

Ad ANNUM 44. NUM. 67. 73.

De Collecta Antiochena Hierosolymam missa. Usus Collectarum frequens. An prima fuerit pro egenis discipulis facta? Affirmantis Baronii sententia refellitur. Collecta ordinaria & extraordinaria. Ordinariarum usus viguit a teneris Ecclesiæ unguiculis ad morem disciplinæ Judaicæ in Gazophylacium opes congerentis. Cujus occasione explicatur Matthæus. c. 6. v. 2. Eruditissimi Stephani Le Moine, Janseniique explanatio. Alia verisimilior. Quid sit Corbona apud Cyprianum. Gazophylacium non designari, contra Baronium ostenditur. Extraordinariæ Collectæ sæviente persecutionum procella, exempla quam plurima. De Summa pecuniæ a Carthaginensi Ecclesia collecta ad levandam Confessorum miseriam. Valor Summæ ex Rigaltio. Alia ex Gascendo æstimatio. De Collecta Denarii Sancti Petri, nec non Eleemosyna Paschali. Cur Christianis Judæam habitantibus missa potius Collecta quam

quam cæteris? Conjectura Baroniana rejecta, melior affertur. 594.595

Ad ANNUM 44. NUM. 78. & 80.

De septem Latinæ Ecclesiæ Ordinibus. Distinctio Ordinem inter & Officium a Baronio proposita. Quid rei sit, declaratur ex Bellarmino. Distinctionis hujusce insolens Antiquitas. Fundamentum distinctionis Ordinem inter & Officium, ex respectu Ordinis ad Sacrificium male jactum fuisse, ostenditur ex Ignatio, Epiphanio, Amalario. An septem Ordines Latinorum ab institutione Apostolica manarint? Ignatii ad Antiochenos Epistola, cui plurimum innituntur Shelstratus Baroniusque, subdita est. Pugna hujusce Epistolæ cum illa ad Trallianos. Apostolicis temporibus bina tantum Officia Ecclesiastica, teste Clementis ad Corinthios Epistola. Minores Ordines nescit Autor ille qui audit Ignatius. Strabonis, Lombardi, Aquinatis de institutis ab Ecclesia minoribus Ordinibus testimonia. Distinctio ab Ordine Rom. aliisque bene multis usurpata Ordinum Sacrorum & non Sacrorum. Discriminis origo. Pamelii sententia rejicitur. Distinctionis fundamentum ab institutione petendum. In tertio seculo incunabula reperiuntur minorum Ordinum. An septem Latinorum Ordines in usu fuerint apud Græcos? Affirmantis Shelstrati opinio multis rejicitur. De Ordinum numero Latinorum lites. σοφὸν Bellarmini φάρμακον rejicitur. Tot Ordinum multiplicatio inutilis Ecclesiæ ædificandæ. 603

De Ostiariis. Templi Hierosolymitani janitores. Cur ab ipso Deo instituti? In Oeconomia Legali Deus civilem Regem exercebat. Hinc palatium, mensa, Cantores, Ostiarii: quæ ex antiquitate probantur. Diversa Ecclesiæ Christianæ ratio Ostiarios sacris Ordinibus inseri non flagitat. Ostiariatus fusa ex Patribus explicatio. 617.618

De Lectoribus. Officii hujusce & necessitas & requisita declarantur ex Isidoro. Mos palam legendi Scripturas a Judæis in Christianos introductus. Insignis in hanc rem Josephi locus. De Lectoribus Judaicis observabilia. In Ecclesiæ Christianæ incunabulis, Lectoris munus non fuisse peculiare officium ab aliis discretum. Lectores lapsu temporis in Clerum allecti, in maxima Orbis Christiani parte. Ætate Cypriani creando Lectori non videri adhibitam ceremoniam tradendi libri, sed solum mandatum Præsulis. Non ubique terrarum Lectores Clericorum titulo censeri contra Clariss. Dodwellum aliosque innumeros ostenditur ex more Ecclesiæ Alexandrinæ Catechumenos Lectorum muneri præficienti. Quo ætatis anno Lectores creabantur. Eruditissimi

Stephani Le Moine cum Balsamonis emendatio, tum opinio de Lectoribus non ante annum 13. ordinatis, ex antiquitate rejicitur. Julianus Imp. Lectoris officio donatus. 621. 622

De *Exorcistis. Exorcismorum usus apud Judæos, ex Salomone falso deducitur a Josepho, Beda, Alcuino, aliisque bene multis. Explicatur Matth. 12. v. 18. Quid υἱοὶ apud Evangelistam? Apostolos non significari ostenditur contra veteres recentioresque. Vis pellendorum Dæmonum extraordinaria fuit, nec in Ordinum perpetuum mutanda. Constitutiones Clementinæ de Exorcista non ordinato, contra Shelstratum propugnatæ. Censoris contradictio. An Apostolicis seculis indita Christianis omnibus vis in Dæmones? Affirmantium opinio rejicitur. Exorcistæ Apostolici nullam ejiciendis Dæmonibus ceremoniam adhibuere. Illustratur v. 21. c. 17. Matthæi. Latinorum superstitiosæ ceremoniæ ab Exorcistis usurpata, antiquis ignota. Discrimen inter Apostolicos Exorcistas & Ecclesiasticos. Ejiciendis Dæmonibus nulla adhibita χειροθεσία, qua ægri sanabantur. Quamobrem? Cur tantus apud antiquos Energumenorum numerus, qui nunc sunt rarissimi.* 627. 628

De *Acolythis. An hodierni Acolythi antiquorum similes? Acolythos Cyprianicos a Carthaginensibus multum esse diversos. Argumento est cereorum usus qui olim interdiu non adhibebantur in officio Ecclesiastico celebrando. Quid rei esset Acolythus ævo Cypriani, dictu difficillimum. Notarii functum esse munere apud Episcopum non improbabile. An Orientalis Ecclesia Acolythos Ordinibus olim inseruerit? Affirmans Shelstrati aliorumque sententia refellitur. Eusebium huic sententiæ non favere ostenditur.* 638

De *Subdiaconis. Id officii ducentis amplius annis Ecclesiæ fuisse incognitum multis probatur. An Gregorii magni ævo in sacris majoribusque Ordinibus Subdiaconatus annumeratus fuerit? Affirmantis Shelstrati sententia refellitur. An Subdiaconatus a Nethinæis ortus? Isidori Hisp. atque ὁμοδόξων error rejicitur.* 641. 642

Ad ANNUM 44. NUM. 86.

De *ceremoniis Ethnicorum ad Ecclesiam derivatis. Latinorum de ceremoniis sententia. Audax Bellarmini opinio de potestate Ecclesiæ in ritibus instituendis ad effectus ex opere operato edendos. Ceremoniæ a prisca antiquorum simplicitate, nec non germana Evangelii indole aliena. Quo jacto fundamento novitatis & imprudentiæ damnatur Baronii sententia de ritibus Ethnicorum pie in Ecclesiæ disciplinam introductis. Ab hac præpostera sapientia Patres omnes Constantino*

tino magno antiquiores alienos fuisse, probatur ex Tertulliano, Minucio Felice, aliisque. Imo nec Ambrosio, nec Augustino arrisisse hanc Latinorum prudentiam. Argumentis experientia ductis ostenditur tercentum amplius annis, thuris in cultu publico, festorum, imaginum, musicæ, luminarium, Ecclesiam fuisse insolentem. De Canone Elibertino 34. prohibente per diem cereos in cœmeteriis incendi. In germanum obscuri decreti intellectum inquiritur. Quid rei sit Patrum illa præscriptio? Cabassutii hunc ritum ad sacra magica referentis explicatio rejicitur. An eo consilio sancitus sit ille Canon, ne Pagani Martyrum corpora abducerent? Mendozæ Garcias sententia impugnatur. Verisimilior explicatio ex Clemente Alex. Nazianzenoque illustrata. Rationes Baronianæ ex Theodoreto Gregorioque magno de introductis in Ecclesiam gentium ritibus petitæ, ex Augustino confutatæ. Solemnitates epulares ad Sanctorum memorias ab Ambrosio improbatæ. Misso Baronio, cum clarissimis Marshamo, Spenceroque certamen committitur, de ritibus gentilium ad Hebræos derivatis. Argumentis compluribus derivationem hanc cum sa[...]entia numinis, & scopo ejus in in[st]ituenda veteris Ecclesiæ disciplina, & facto non consentire demonstratur. Spenceri plurima παροράματα. Ad confutandam adversariorum sententiam, duo etiam atque etiam observanda. Alterum, plurimas esse ceremonias naturales ab ipsa natura quodammodo institutas: alterum, ante legem a Mose latam, plurimas viguisse ceremonias, ab Hebræorum legislatore renovatas. Ante Mosem sacrificia publica, festa, ἐμπυρισμὸν victimarum, discrimen animantium mundorum & immundorum, genera sacrificiorum, ritum offerendi, ablutiones, decimas, suscitationem seminis per defuncti fratrem palam in usu fuisse. Unde colligitur plurimas & ceremonias, quarum mentio non injicitur, etiam a Patriarchis fuisse usurpatas: ut disciplinam Mosaicam ceremonialem solis circumstantiis & numero rituum ab illa antiqua Patrum differre, sit longe probabilissimum. Fundamentum Marshami & Spenceri, in subdita ceremoniarum Ægyptiacarum vetustate male collocatum, cum a Patriarchis consensus ille rituum deductus sit. Præcipua a Spencero exempla allata examinantur. De origine sacrificiorum quæstio examini subjicitur. Non a pia mortalium simplicitate, sed ab ipso Deo, usum descendisse sacrificiorum contra bene multos ostenditur. 1°. Ex Sacerdotali munere, in quod mortalium nemo, ne Christo quidem excepto, involare debuit. 2°. Ex natura cruentorum sacrificio-

rum, a quibus cessante Dei mandato ratio abhorret. 3°. Ex addita cultus divini qualitate. 4°. Ex sacrificiorum vi, quam nullus ipsis incutere potuit. 5°. Ex fide offerentium. 6°. Ex respectu victimarum ad Christum. Hugonis Grotii & Spenceri lapsus circa Chrysostomum. 7°. Ex disertis a Deo additis mandatis de sacrificiis diu ante Mosen offerendis. 8°. Ex Eusebio, Athanasio, Augustino. 664. 647. 648

Ad ANNUM 44. NUM. 88.

De ritibus qui communes Christianis fuere cum Judæis Ethnicisque, Baroniani errores plurimi. Primus circa Dionem de Pontifice Romanorum, cadavera inspicere prohibito. Secundus de Sacerdotibus Judaïcis funerum insolentibus, concessum ipsis fuisse ad proximos defunctos accedere, demonstratur. An & ad uxorum cadavera? Negantis Jansenii aliorumque sententia refellitur. Soli Pontifici Maximo nefas pollui cadaveribus. Quod in summa necessitate, & illi concessum. Tertius de Episcopali mitra, quam in Ammiano Marcellino frustra Purpuratus quæsivit. Locum Marcellini de Sacerdotum Ethnicorum corona intelligendum esse, probatur cum ex Tertulliano, tum ex ratione. An usus mitræ, & aureæ laminæ ab Apostolis fluxerit, & initio rerum Christianarum obtinuerit? Valesii Petaviique sententia multis rejicitur. 685. 686

Ad ANNUM 44. NUM. 89.

De raptu Paulino in cœlum. Quo anno contigerit. Temeraria Baronii assertio. Quæstio illa Chronologica, in ἀπόροις Scripturæ annumeranda. An triduo cæcitatis Paulinæ raptus illigandus? Aquinatis & Doctissimi Lud. Cappelli sententia rejicitur. An contigerit raptus in lapidatione Paulina apud Lystrenses? Affirmantis Clarissimi Usherii opinio refellitur. Eruditissimi Pearsonii sententia ad examen revocata. Cestriense ex tempore datæ Epistolæ posterioris ad Corinthios petitum criterium, improbatur. Ante annum Neronis tertium Epistolam hanc missam fuisse, ostenditur. Sed & in Legatione Pauli & Barnabæ, Paulini raptus neque vola neque vestigium. An raptus Paulinus unum & idem sit cum extasi Hierosolymitana? Impugnatur & hæc sententia quæ multorum est. Quomodo Paulus in illo raptu se habuerit? Quid sibi velit extra corpus? *Mortem non indicari pluribus ostenditur contra antiquos novosque Interpretes bene multos. Estius notatus. Quid revelatum Paulo fuerit, ignotum. Baroniana contradictio.* 690. 691

DE REBUS SACRIS
& Ecclesiasticis
EXERCITATIONES
HISTORICO-CRITICAE.

In quibus

Plurima adversus* BARONIUM, BELLARMINUM, PAGIUM, *& alios, discutiuntur; multique Historiæ & Chronologiæ errores emendantur.

ALexandri Magni pater cum expeditionem aliquando apparare in Corinthum diceretur, Corinthii prætrepidi, rerumque suarum satagitantes, ad opera certatim incumbere cœperunt. Hic arma sibi comparans, ille lapides congerens, alius muros in altitudinem substruens; nonnulli propugnacula firmantes, alii aliud agentes quod ad munitiones pertineret. Quod eorum studium Diogenes cum cerneret, nihil habens aliud commodius quod ageret, extemplo Philosophico pallio præcinctus, dolium illud suum fictile, quod gurgustii vicem præbuisse ei dicitur, subvolvere, devolvere, ultro citroque versare per vicinum urbi collem cœpit. Admirante autem quodam ejus amico, ac percunctante, quidnam id agis, ô Diogenes?

Budæ. in Pand.

genes? Volvo, inquit ille, ego quoque dolium, ne unus inter tot operi intentiſſimos ceſſator eſſe videar. Ex eo die quo Gallicanis Eccleſiis nox atra incumbens Chriſti præcones vertere ſolum coegit, omnes pene dicam ad ſcribendum animum applicuere: atque abundantior fuſiorque quam decebat materia fuit. Hi labantes animos refecerunt; illi triſtes fortunas recreavere; nonnulli oppugnatæ Religioni aſſertores ſeſe accommodaverunt: alii doctis concionibus in lucem editis mores inſtituere. Dum omnes incumbunt operi, dolium quoque meum verſare inſtitui, ne deſidia, aut inertia emarcuiſſe crederer. Quanquam enim à lento Tityro alieniſſimus vitam agam otium vix permittentem, fert tamen animus ad majora niti.

Cæſar Baronius Cardinalis eruditione clarior quam purpura, elegans & elaboratum Annalium opus condidit, quibus non minimum patefecit & illuſtravit obſcura Hiſtoriæ. Atque, vere ut dicam, grande & inſolitum onus ſuſcepit ſuſtulitque. Nec piget fateri, illuſtris hujus viri lucubrationes vaſtus apparent Doctrinæ Oceanus, in quem Antiqua Hiſtoria cum ſacra, tum prophana, Patres, Concilia, Ritus, Conſuetudines, Chronologia, Critica, Theologia, tanquam rivuli vectigales influxere. Tanto cum adverſario manus conſerere, res ardua eſt ac difficilis. Eruditiſſimus Caſaubonus ſuas Exercitationes induxerat adverſus Annales Baronianos: ſed fata terris hominem invidere: nec, defuncto Caſaubono, inchoatum opus ullus continuare tentavit, Annalium erroribus, quibus paſſim Hiſtoria, Chronologia, antiquitas, Theologia afficitur, refellendis, & confutandis. Tantus homo Baronius eſt, ut vix una manu atque calamo, læta agiliſque victoria magno hoſti ſit extorquenda. Exul ego, tanto impar oneri ferendo, multoque curarum æſtu ſæpius in mentem recurrente diſtractus, opus arduum ac multæ plenum aleæ tentare vix auſim. Interim, ſicut medicorum filii hydropem curaturi παρακεντήσει rem aggrediuntur, paulatim aquam educentes, ita quaſdam favente Deo vomicas Annalium aperiam tenui ſcalpello, quarum ſanie exempta morbi reliquiæ utcunque tolerari poterunt. Dum jam meum opus ſub prælo fervet, pervenit in manus meas eruditi Pagii *Critica hiſtorico-chronologica in Annales Baronii Anno* 1689. Lutetiæ edita; in quo inſigni libro multa ex ſua, plura ex aliorum pharetra, in Baronianos errores tela contorquet. At præ-

ter

ter quam quod Theologica non attingit, multos etiam historiæ nævos non tollit, fabulas à credulis Latinis admissas, verbi gratia Massiliensem Magdalenæ peregrinationem, & similia non rejicit, quosdam & errores admittit ipse Criticus, ut reipsa comprobabitur.

In Conditore Annalium Ecclesiasticorum, & prudentia, & animi candor debent una certare; quæ laudes sæpius, in opere Baroniano desiderantur. Exempla infantiæ nonnulla subjiciam oculis. *Quod ad Æthiopum Religionem spectat, autor est Strabo, eos primum colere Deum immortalem qui omnium causa sit, ac rursus alterum mortalem qui nomine careat, nec sit cognitu facilis: ut ex his appareat eos cum Judæis eadem pene sensisse, & à Christianis non adeo discrepasse; unde libenter imbibit Eunuchus de Christo Deo pariter & homine olim mortali Doctrinam.* An. 35. n. 27. Quis ad hæc cum Comico non exclamet, ô maria, ô Cœlum! Ergone crassissima Idololatria similitudinem arripit Religionis castissimæ, quæ tota unius Dei cultu floret ac innititur? Ex ipso Strabone Baronium suo loco refellemus. Imperante Caligula Petronius Judææ præfectus est. *Sed ut quis fuerit iste Petronius intelligatur, sciendum est fuisse equestris ordinis, militia clarum, qui & sub Augusto adversus Æthiopes copias duxerat. Cæterum enim humili loco natum ad equestrem pervenisse dignitatem autor est Valer. Max.* inquit Parens Annalium an. 41. n. 21. Hæccine scripsit inter vigilandum? Hominem qui annis ante pluribus quam Caligula lucem aspiceret, violentas sibi manus intulerat, revocat ab inferis, ut agat gestum in scena. Candorem porro Baronianum laudibus nullus cumulabo, dum Chrismatis Sacramentum tractat, nec tempori, nec perituræ chartæ parcit. Tertullianum, Cyprianum, Cyrillum Hierosolymitanum, Prudentium ad confirmationis mysterium testes accommodavit. Latuitne Baronium gemina Latinorum unctio; una verticis, qua census Sacramentorum non fit ditior; altera frontis, quam ad suæ Confirmationis naturam aptant? Hoccine est humanum factum aut inceptum, magnis clamoribus jactare *Chrisma*, *Oleum*, quasi hæc omnia verticalem unctionem non subirent? Quo nomine appellabo miram Purpurati industriam in colligendis quisquiliis ad confirmandas Latinorum Traditiones? Labentem causam imaginum subdito Antiocheno Apostolorum Concilio fulcit & sustinet. Rectum est quidquid servit utilitati.

Ut porro solidior succique plenior currat oratio, non unum Baronium hostem legimus, sed & ad ea quæ ab aliis dicta sunt, mentes auresque erigimus: provocatis & ad certamen cum usus venit, Bellarmino, Estio, Petavio, Pagio, & ex Evangelicis Salmasio, Blondello, Spencero, Lightfooto:

Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habetur.

Hic est nostrarum Exercitationum scopus, ut & Scripturæ locos paulo difficiliores qui ad intelligendam historiam conducunt, illustremus; & luculentam ad dicendum materiam Antiquitati explicandæ tractemus accuratius. Prorsus rem magni & corporis, & animi, herculea pene dicemus audacia aggredimur. Audacibus annuat cœptis Deus Opt. Max. ut tenuis ille quo nobis illuxit Gratia favoris sui radius, discussa tandem errorum nebula suo fulgore omnium perstringat oculos, & ad cor cum suavitate illabatur.

EXERCITATIO PRIMA.

ANNO XXXV. NUM. VII.

Tiberii Imp. an. 19.

De advenis dispersis error Baronii & à scriptura & ab ipso Baronio confutatus. Qui sponte migraverant in alias Regiones, aut per bella patriis ejecti sedibus ante commotam Ecclesiæ Hieros. persecutionem, ad Judæos dispersos pertinent. Insignis Josephi locus.

POstquam Deo visum tristi persecutionis procella Ecclesiam Hierosolymitanam agitare, discipuli qui sese Christi disciplinæ addixerant, fugæ incertæ & periculosæ se dare coacti sunt. Hinc ansa errandi captata à Baronio. *Eorum*, inquit, *ingens numerus migravit in Asiam, qui eo nomine à cæteris distincti sunt, nominatique* ADVENÆ DISPERSIONIS. Quam temerariam sententiam ratione confirmare nititur. *Nimirum qui nemine impellente, sed antiquitus sponte migrassent, nunquam dicti inveniuntur dispersi, aut ex dispersione collecti Judæi, sed coloni & indigenæ.* Hem! nunquam dicti inveniuntur dispersi? Quid ergo sibi vult Lucas Act. 2. 5. *Erant vero Hierosolymis habitantes Judæi Viri Religiosi, ex omni natione eorum qui sub Cœlo sunt*, quos inter & *Romani advenæ*, qui in unum locum confluxerant

fluxerant festo Pentecostes celebrando? Quid Petrus? *Advenis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam.* Numquid ingens illa Judæorum turba, ex sancta Urbe à Stephani persecutoribus pulsa, has regiones habitatum migraverat? Recte & sapienter Estius, nomini Baronii parcens, figmentum ejus refellit. *Erant ii Judæi, qui quondam per captivitates & Bella patriis sedibus ejecti, aut sponte profugi, varias toto orbe regiones incolebant.* Sed refutationi parcendum, cujus onere eminentissimus Cardinalis nos sublevavit an. 45. n. 21. *Verum etsi superius anno Christi 35. dictum sit tam Petrum quam Jacobum scripsisse ad fratres dispersionis illius quæ facta est post necem Stephani; tamen re accuratius considerata, nihil est quod prohibeat etiam ad alios Judæos eam scriptam Epistolam, eo quod soliti sint vocari Judæi dispersionis illi qui in diversis regionibus pro animi cujusque libitu loca colerent.* Sic vi veritatis adactus transverso calamo vigilata delevit. Addam ex abundanti insignem Josephi locum quo res mirifice illustratur. Cognita Xerxis erga Deum pietate omnes Judæi vehementer lætati sunt. Πολλοὶ δ' αὐτῶν καὶ τὰς κτήσεις ἀναλαβόντες ἦλθον εἰς Βαβυλῶνα ποθοῦντες τὴν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα κάθοδον. Ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε. Διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας. *Multi vero ex eis assumptis suis facultatibus Babylonem venerunt cupientes reverti Hierosolyma. Reliqua Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere. Quapropter duæ tantum tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt imperio. Decem autem Tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia.* Antiq. L. 11. c. 5. Idcirco Jacobus suam scripsit Epistolam *duodecim Tribubus dispersis.*

Est. in 1. Pet.

De Hellenistis quibus Evangelium instillavere profugi ex dispersione Hierosol. An sint Judæi Græcis Bibliis utentes? Clariss. Virorum Scaligeri, Petavii, Lightfooti affirmantium sententia ad examen revocata. Hellenistas Religionis Judaicæ proselytos esse, argumentis ostenditur. Præceps Lightfooti Bezam vexantis censura. Orientales Nationes ex Scripturæ

 phrasi

phrasi τοῖς Ἕλλησιν annumerandas esse, & qua de causa, declaratur. An Hellenistæ Antiocheni Ethnicos agerent? Ajentis Petavii opinio multis rationibus rejicitur. An apud Lucam Act. 11. 20. Hellenistæ discrimen statuat inter Judæos purioris ordinis, & indignioris? Asserenrentis Lightfooti sententia refellitur. Viri Clarissimi contradictio. Hellenistas proselytos fuisse tum ex orto Hellenistarum murmure, cui comprimendo Nicolaus proselytus in Diaconum electus; tum ex dissensione inter Hebræos versioni τῶν Lxx. adhærentes, & Judæos Hebraïca Biblia legentes, ostenditur. Argumentum ex Novella Justiniani Illustratur. Cur Proselytus Antiochenus Diaconis permixtus. Ex Josepho conjectura.

EX discipulis quos furor persecutionis egerat in fugam, nonnulli petentes Antiochiam, hac in amplissima atque ornatissima urbe Christi Evangelium disseminarunt; quos inter Cyprii & Cyrenenses locuti sunt πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς Act. 11. 20. Quid Hellenistæ, in sententiis positum est. Hanc quidem quæstionem non movit Baronius: at non omisit Petavius, non Drusius, non Lightfootus: nec silentio prætereunda, cum felix sit ad illustrandam sacram Historiam materies. Sed & Actorum sexto, *ortum est murmur Hellenistarum adversus Hebræos.* Magni Scaligeri in Animadversionibus Eusebianis scitum est, *Ἑλληνισταὶ in novo Testamento multum differunt ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων: Ἕλληνες sunt pagani, Ἑλληνισταὶ Judæi Græcis Bibliis in Synagogis utentes:* quam in sententiam eruditi complures descenderunt, quibus non consensit clarissimus Beza. *Hellenistas hoc loco vocat genere quidem prophanos, sed in Judæorum gentem per circumcisionem adscitos, & proselytos propterea vocatos. Itaque sicut Religionis respectu Ἕλληνες Judæis, ita propter stirpis discrimen Ἑλληνισταὶ Hebræis opponuntur.* Virum eruditissimum vexat censura Lightfootiana, *non video qua autoritate confundat Hellenistas & proselytos. Nec tamen omnes Judæos inter gentes sparsos dixerim Hellenistas, non sparsos inter*

Scalig. Anim. Euseb. p. 1.34.

Hor. Hebr. in Act. 6. p. 706.

ter Medos, Parthos, Persas, Arabas, & gentes istas Orientales. Nec, ut opinor, vocaverit ille proselytos ex istis gentibus Hellenistas, cum ipsa vocis Etymologia Græcismum sonet. An hæc præcipitanter scripta non fuerint, viderint Eruditi. Auditum nuper ex illustri Scaligero, Græcos in novo Testamento significare Paganos, quos eo nomine donatos à Paulo nullus inficiabitur: *Angustia adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi inprimis, tum etiam Græci.* Rom. 2. 9. mirum ni & *gentes Orientales* Græcis inserantur ab Apostolo, quorum Idololatriam, & maleficia Dei numen vindicabit. Quidni Persæ ad Græcos accederent, qui ceciderant sub imperium & ditionem Alexandri Macedonis, quibusque Græcorum Lingua non fuit peregrina? Cantatum pueris illud Ciceronis pro Archia, *Græca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane continentur*, ut Ethnicis ubique terrarum disseminatis, aptius nomen à Scriptura addi non potuerit quam *Græcorum.* Sicut ergo Romanos hoc nomine, ita & Medos, Persas, Arabas, Paulus complectitur; itaque nil miri qui abdicata Idololatria Judæorum Religione constringebantur, illos Hellenistas vocari, quo & à Græcis quibus ducebant originem, & à Judæis quorum disciplinam tenebant, suo discrimine secernerentur.

Meo quidem judicio, Clarissimi Bezæ sententia de Hellenistis, multam arripit veri similitudinem, & probabilibus argumentis confirmari potest Religionis Judaicæ proselytos à Luca indicari, quos capitis 2. versu 10. à Judæis discreverat, *Judæi & proselyti.* Similiter c. 11. opponit Judæis *Hellenistarum* nomen. *Qui dispersi fuerant transierunt usque in Phœniciam & Antiochiam nemini loquentes sermonem Dei nisi solis Judæis: erant autem quidam Cyprii qui ingressi Antiochiam locuti sunt Hellenistis.* Qua ratione nodum expediet Petavius, qui *Hellenistas* in Judæorum loco numeroque habet? *Notum*, inquit, *Hellenistas sæpius pro Judæis usurpari, qui Græce sacros libros legerent. Hic vero τοῖς Ἰουδαίοις non Hebrais opponuntur, ut Gentes intelligi possint.* Petav. de Doctr. Temp. L. 11. c. 14.
Sed opinione longe fallitur vir ille clarissimus. Nusquam Gentes in Scriptura *Hellenistarum*, sed *Græcorum* nomen habent: nec ignoti illi Cyprii animum Ethnicorum Evangelio imbuissent, nisi usurpato Petri munere, ad quem pertinebat Gentibus ostium pandere fidei: quam provinciam si susceperint, præripuissent utique gloriam Petro debitam,

debitam, ut Ecclesiæ fundamenta jaceret, cum in Gentibus, tum in Judæis. Tam male animati erant Judæi erga Gentiles, ut Petro accusationem, & crimina ei moliti sint, quod ad homines præputium habentes accessisset; quo circa à veri fide diffidet, profugos Cyrenenses qui Judæos exercebant, Ethnicis Christi instillasse Religionem. Aliter difficultatem exorbet eruditus Lightfootus: Lucas, inquit, *discrimen solum stabilit inter Judæos dignioris & purioris ordinis, & Judæos qui non adeo digni & puri.* Solutionem utcunque ferrem si Hebræis *Hellenistas* opposuisset, quos à *Judæis* discrevit. Sed & accuratius explicari debuit quinam sint illi Judæi *dignioris ordinis*, illi *indignioris?* An *puri*, qui Hebraice sciebant; *impuri*, qui nesciebant? *Impuri* ergo & Cilices qui Græce loquebantur, & sacra faciebant, Hebraicæ linguæ ut plurimum imperiti. An *puri* qui palestinam incolebant? Atqui Paulus Cilix se jactat de origine sua; *ego sum de gente Israelis, Tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.* Phil. 3. 1. hoc igitur inter purum Judæum, & impurum interest, quod ille Abrahami sanguine cretus fuit, ille non fuit, sed usurpata circumcisione, sacro generi insitus.

Hor. Heb. in Act. 6. p. 706.

Cæterum, hic prætereunda non est Clarissimi Viri contradictio, Chron. Temp. p. 7. Act. 11. *De significatione vocis* Ἑλληνιστὰς *meritò dubitare licet: hoc verò constat, hanc vocem hoc loco non Judæos significare prout sumitur, Act. 6. 1. iis enim opponitur vers. 19. An Ethnicos significat? Immò quidem: quod constat tum è narrationis hujus scopo, & ex eo quod hos fideles Antiochiæ agentes quidam circumcidi adigerent.* Qui hæc ad illa Actuum 6. conciliabit, erit mihi magnus Apollo: *quod ad distinctionem illam attinet capitis 11. vers. 19. 20. (nam distinctionem ego potius dixerim, quam antithesim) non concludit Hellenistas non fuisse Judæos, sed discrimen solum stabilit inter Judæos dignioris & purioris ordinis, & Judæos qui non adeo digni & puri.* Si Hellenistæ illi Antiocheni in Ethnicorum numero habendi sunt, utique ad Judæos qui *indignioris ordinis* fuere, ascribi neque debent, neque possunt.

Proselytis & Hellenistas esse asserendos nova conjectura assequimur, ducta ex murmure orto adversus Hebræos, cui compescendo septem Viri in Diaconos electi, quos inter *Nicolaus proselytus.* Qua de causa proselytus Antiochenus Diaconis permixtus, nisi ad incendium felicius extinguendum, quod contemptus Hellenistarum

nistarum accenderat? Jam vero si Proselyti ab Hellenistis fuere diversi, quid comprimendæ seditioni conduceret Proselyti creatio in in Diaconum nullus video. Sane & multum & satis Ecclesiæ ædificandæ provisum fuit atque præcautum, quod germanis Judæis *qui Græcis Bibliis in Synagogis utebantur*, pauperum cura mandata fuisset, nec Nicolao opus fuit extinguendo igni. His accedit quod si germani Judæi, Hebræi, scilicet, ex Hebræis, Hellenistarum affecti sunt nomine quia sacra faciebant Græca lingua, quæ fuit illis vernacula & nota, cum Hebræa esset peregrina; capi animo & cogitatione non potest, quamobrem Hellenistæ se ab Hebræis despici quererentur in capiendis Ecclesiæ muneribus, cujus linguam nesciebant: suspicione autem assequi facillime possumus impositam ipsis injuriam moleste tulisse, si & linguæ Hierosolymitanæ vernaculæ periti, & Judaicæ disciplinæ, suscepta circumcisione, addicti, nullum in Ecclesia munus obirent: hinc illæ lachrymæ. Denique Hebræi qui versione τῶν LXX. utebantur, tam diffidebant animo & voluntate ab illis qui sacra Biblia legebant Hebraice, ut nullus relictus querelæ locus esse videatur qua commota est Ecclesia: cum qui Græcæ Editioni adhærebant, aliquid officii in aliorum Synagogis non appeterent, aut reciperent. Itaque in illa repulsa nil novi aut insolentis fuit, quippe quæ antiqua consuetudine valeret; adeoque materiam *orto murmuri* suppeditare non potuit. Tantum fuit de legendis Græce vel Hebraice Scripturis dissidium, ut præbuerit ansam Justiniano ferendæ legis Justin. Const. 146.
δι' αὐτῶν δὲ προσανηνεγμένων ἡμῖν προσελεύσεων ἐμάθομεν, ὡς οἱ μὲν μόνης ἔχονται τῆς Ἑβραΐδος φωνῆς, καὶ αὐτῇ κέχρησθαι περὶ τὴν τῶν ἱερῶν βίβλων ἀνάγνωσιν βούλονται, οἱ δὲ καὶ τὴν ἑλληνίδα προσλαμβάνειν ἀξιοῦσι καὶ πολὺν ἤδη χρόνον ὑπὲρ τούτου πρὸς σφᾶς αὐτοὺς στασιάζουσιν. *Per interpellationes quæ ad nos referuntur, didicimus quod ex ipsis quidam sola lingua tenentur Hebraica, eaque utendum esse in sacrorum Librorum lectione volunt; quidam etiam Græcam assumendam contendunt, & longo jam tempore ea de re seditiones agitant.* Eo loci quo erant res Judaicæ, vix capi animo potest Hebræos LXX. editioni addictos, repulsam uxorum ægre tulisse, de qua Hellenistæ vehementer conquesti sunt.

At qua de causa ab Ecclesia Hierosolymitana non modo Proselytus, sed & *Antiochenus* in Diaconum creatus est? Dum voluto

mentem his cogitationibus, conjectura ducor ab Antiochensibus Proselytis præcipue commotam fuisse seditionem, cui concitandæ ansam dedere Proselytorum apud Judæos Antiochenos privilegia. Hanc suspicionem mihi Josephus suppeditat: Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τῶν μετὰ ταῦτα Βασιλέων αὐτοῖς προσφερομένων εἴς τε τὸ πλῆθος ἀπεδώκαν, καὶ τῇ κατασκευῇ καὶ τῇ πολυτελείᾳ τῶν ἀναθημάτων τὸ ἱερὸν ἐξελάμπρυναν, ἀεί τε προσαγόμενοι ταῖς θρησκείαις πόλυ πλῆθος Ἑλλήνων, κἀκείνους τρόπῳ τινι μοῖραν αὐτῶν πεποιῆντο. *A secutis postea Regibus, eodem modo tractati, & multitudine profecere, & extractione, itemque munificentia munerum Templum clarius reddidere: semperque Religione sibi sociantes magnam Paganorum multitudinem, etiam illos quodammodo sui partem fecere.* A veri specie non abhorret Hellenistas commotos fuisse quod ut Antiochiæ, sic Hierosolymæ paribus privilegiis non uterentur.

Joseph. de Bello lib. 7. c. 21.

ANNO XXXV. NUM. II.

An in dispersione Ecclesiæ Hierosolymitanæ soli Apostoli manserint in Urbe? Quid apud Lucam Omnes? *Act.* 8. 1. *Baronii à vero abhorrens sententia. De* 120. *Evangelii Præconibus fugam maturantibus opinio Lightfootiana multis confutata argumentis. Explicatio verisimilior. Causæ cur Apostoli se in fugam non contulere? Apollonii Traditio. De profugorum numero otiosa à Purpurato mota quæstio, quæ & ab eo male solvitur. Athanasii versio emendata.*

NOx atra persecutionis Christi discipulis incumbens Ecclesiam collocavit miseram in solitudinem. Membra Sancti corporis huc & illuc disjecta sunt, & dissipata. Triste spectaculum, sed carnificibus ac Sacerdotibus apparatissimum atque jucundissimum. Fugam agitantibus ubique locorum Christianis, *omnes, præter Apostolos, dispersi sunt.* Act. 8. 1. Hic difficilem in nodum incidimus quem varii solvere tentarunt.

Synca-

Syncategorematì *Omnes* innixus Baronius, hanc animo insevit opinionem, præter Apostolos neminem superfuisse fugitivis. Quæ sententia à veri fide dissidet. An orbi luminibus, ægri decumbentes, amaræ senectæ pondera ferentes, fugam agitantibus inserendi? Dilapsis omnibus qui l opus fuit Apostolis conquiescere Hierosolymis? Quo consilio successive, Saulus ibat domatim mulieres & viros in custodiam compingendos quæsiturus, si omnes omnino diffluxerant?

Novam viam nodum expediendi Clarissimus Lightfootus tentavit. *Centum viginti ministri de quibus c. 1. 5. dispersi sunt, duodecim interea Hierosolymæ manentibus tanquam in clibano, ut solamini & subsidio essent afflictæ Ecclesiæ, & passim prædicant euntes.* Qua in explicatione multa sunt quæ veniunt in dubium. Ac primo *animarum, 120. cœtum*, solis constasse viris, certum atque exploratum non est; vero propius & Virginem, & mulieres quæ Domino subveniebant & opitulabantur, interfuisse cœtui. Deinde non omnibus concionandi munus impositum fuisse extra dubitationis aleam constituendum videtur. Atque in loco numeroque Laïcorum eos Cyprianus habuit, cujus verba multo sunt usui. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi conscientia fieri oportere, ut Plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata: quod postea observatur in Actis quando de ordinando in locum Judæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur, surrexit Petrus in medio discentium.* Deinde pulsis vi subitæ procellæ compluribus Evangelii Præconibus, immotas stetisse oves quis inducat in animum? Profugos inter versabanbantur Cyprii & Cyrenensis, quos vel cœtui centum & viginti animarum inseri lubenter non sinam; vel fidei Præcones egisse, Christo vitam protrahente, non concesserim.

Lightfoot. Chron. Tem. Act. 8.

Cypr. Epist. 68.

Quid nodos in scirpo quærimus? Rejectis extremis sententiis, media tutior est ac verior. Non omnes omnino Christi discipuli dissipati, non soli paucique Præcones Evangelii disjecti; Sed plerique fidelium, ut in Ecclesiæ procellis contigit sæpius. Nec vox *Omnes* vexari debuit cui Viri docti inhærent, cum ejus usus ab hac latitudine abhorreat quæ nemine excepto cunctos complectitur. Sic exi-

vit ad Joannem *Tota* Judæa. Mat. 3. 5. Exivit ſonus eorum in *omnem* terram. Rom. 10. *Totus* Iſrael ſervabitur. Rom. 11. 26. An ad unum aut currebant audiendo Joanni, aut cœlo donandi Judæi? Cæterum emendanda venit verſio *Sermonis de Semente*, apud Athanaſium quæ ei ſenſum tribuit recta cum Luca pugnantem. Habes in actis Apoſt. poſt lapidatum Stephanum Apoſtolos diſperſos. Siccine Athanaſii Græca? Τὰ δὲ διὰ μαθητῶν ἐνέργησε. *quadam per Diſcipulos operatur.*

Quæritur cur aliis fugientibus, Apoſtoli remanſerint Hieroſolymis? non eſt in dubio ponendum Apoſtolos cæteris animi robore præſtaſſe; Sed nec in hos quicquam licebat Judæorum malitia, quemadmodum nec in alios niſi Numinis permiſſu. Permiſerat hoc Dominus, ut urgente perſecutione fugerent de civitate in civitatem. Nec erat iſtud tam formidinis Diſcipulorum, quam Divinæ diſpenſationis, ut veluti late ſparſis ſeminibus cito proveniret copioſa meſſis Evangelicæ profeſſionis. Inſuper hic & conjectura adhiberi poteſt quæ prima ſpecie temeraria magis quam audax videri poſſet, niſi antiquiſſima Traditione niteretur. Ex Apollonio apud Euſebium ſciri poteſt *Servatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad 12. annos Hieroſolyma decederent.* Itaque non ceſſerunt huic Tempeſtati, ſed furente procella ad clavum Eccleſiæ immoti ſederunt: ut omnibus eſſent exemplo, pateſceretque ſumma Chriſti potentia quæ hoſtibus in mediis Evangelii Præcones tutos ſervat ab omni injuria.

Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 18.

De profugorum numero affertur à Purpurato ſuperflua quæſtio. *Si profugorum ratio habeatur haud longius à vero numero ii invenientur aberraſſe, qui ultra quindecim millia Credentium in ea perſecutione dixerit fuiſſe diſperſa.* Atqui opinor nullus avium volatus, nullum oraculum hoc declaravit Baronio. Imo Credentium numerum majorem eſſe quam exiſtimatum fuit à Cardinali hinc facimus conjecturam, quod binis Petri concionibus auditis, octo hominum millia ad Chriſti adhæſere diſciplinam. Subducto itaque hominum numero qui ad cæterorum Apoſtolorum, Stephanique conciones, & miracula, docilem animum adhibuere, utique multum ſuperabitur Annalium calculus, eo magis quod mors Stephani ultra biennium à Chriſto defuncto ſit proroganda. Sed nec Hieroſolymitanis in quos Synedrium Judaicum incurſavit, illi ſunt permiſcendi qui Petro prima

ma vice concionanti fidem suam adjunxere, quod creditum Baronio: exploratum quippe Judæos ex omni natione quæ sub cœlo est, sese contulisse ad festum Pentecostes celebrandum, quo expleto, reditum in Patriam sibi paravere. Sed his curiositatibus non est indulgendum, quibus tempus iners frustra transmittitur.

ANNO XXXV. NUM. III.

De Lazaro, Magdalena, Josepho, navi impositis. Acta Magdalenæ, Marthæque apud Vincentium Bellovacensem fabulis referta. Traditio Massiliensium Advenarum compluribus argumentis falsi postulata. 1. Ex statu Judæorum qui tunc mortem exilumve Viris Clarissimis imperare non poterant. 2. Ex suppliciis in usu apud Hebræos quibus moris non erat damnatos navi imponere. 3. Ex Lucæ silentio magni hac in causa ponderis. 4. Ex criterio Judicandarum falsarum Traditionum. Natalis Alexandri ad Eusebium exceptiones examinantur. Ex Actis Ecclesiarum, More antiquo, aliisque rationibus ostenditur tristis in Magdalenam latæ sententiæ insolentem esse non potuisse. Jacobus Januensis, Vincentiusque Bellovacensis testes sublestæ fidei. 5. Ex sermonibus Gregorii Magni, & Bernardi de Magdalena. 6. Ex vita Dionysii quem Natalis Alexander pro Areopagita habet. Magdalenam in Gallia non obiisse ex Antiquitatis fide demonstratur. Clarissimus Launoius à telis Pagyanis defensus. Græcos & Latinos multis post Christum seculis persuasissimum habuisse Magdalenam supremum diem obiisse Ephesi. Lazarum Massiliensibus in Episcopum non fuisse impositum, multis argumentationibus colligitur. Lapsus Launoii circa Epiphanium. De Maximino Aquensi Episcopo fabula.

Ia. Lites Vezeliacos inter Monachos & Sammaximinenses Dominicanos de Magdalenæ Reliquiis. Quæstionis conclusio.

TEmpestate persecutionis distracti à Rectoribus suis Hierosolymitani huc & illuc discurrunt Ecclesias condituri. Obscuri omnes illi profugi, præter Philippum Diaconum pulchre notum, cujus Lucas nomen edidit. Sagax porro Baronius Nobilissimos exules oblivionis profundæ tenebris immersos, excitat e Traditionis Thesauris. Incisis quippe in Annalibus, tanquam in ære perenni, Claris Lazari, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ pedissequæ, Josephi nobilis Decurionis nominibus, Christi Confessores tandem ad Provinciam usque, Galliarum Regionem, secundis avibus perducit. *Hos* inquit, *non tantum Hierosolymis pulsos esse, sed una cum Maximino discipulo, navi absque remigio impositos, in certum periculum mari fuisse creditos, quos divina Providentia Massiliam tradunt appulisse.* Hæc levi brachio eruditus Purpuratus. At colores longe suaviores quibus pascantur oculi, nobili induxit historiæ Vincentius Bellovacensis Dominicanus, qui floruit anno Dom. 1250. Fabulam recitare juvat, ut & sit pars magna refutationis, & languens Lectoris stomachus reficiatur jucunda narratione. Eo & impellimur molesta importunitate Natalis Alexandri, viri cætera Doctissimi, cui nihil quicquam charius pensiusque suis in dissertationibus fuit, quam ut suæ eruditionis clipeo, appellentem ad Provinciam Magdalenam tueretur. Sic, & Vincentio ejus Fratri natu majori, & egregiæ erga Divæ Reliquias, Gallorum pietati habuit honorem. Arrigamus aures.

Exules *egredientes navi villam ingressi sunt, cumque neminem invisissent qui eos reciperet, in porticu fani gentis illius, terra lapidibus accubantes, jejuniis & orationibus insistentes pernoctaverunt. Mane facto convenit illa generatio prava, ut Idolis more solito sacrificarent: Cui Maria Magdalena assurgens vultu placido, lingua diserta verba salutis prædicavit; & admirati sunt omnes pro illius specie & eloquentia dulcedine.* Scilicet, Magdalena nondum sciebat Paulum officium Præconis verbi divini abdicasse mulieribus, præcipue viris præsentibus qui aliquo

Vincent. Specul. Hist. l. 9. c. 95.

erant

erant numero, pietate, existimatione; Lazaro, scilicet, & Josepho Arimathæo. At unde admirabilis illa facundia, qua infidelium percellebantur animi, quave lingua sensus mentis suæ aperiebat? Quippe in dubitationem adduci potest, an nota Magdalenæ fuerit Provinciæ lingua, quæ ad Græcam accedens, a Syriaca Magdalenæ vernacula, non minimum discrepabat. Fortasse erunt in promptu miracula, dono linguarum erogando Sanctæ Concionatrici. Attamen aliquid difficultatis affert, quod mulieribus donum linguarum indultum fuisse non legitur. Sed morosi nimis & difficiles sumus. Pergamus igitur.

Dux Massiliæ quem ad fidem Magdalena perduxerat, cum uxore instituit animum ad cogitandum de peregrinatione Hierosolymitana. Ambo igitur *venientes ad Magdalenam, terras & possessiones suas ejus Tutelæ commiserunt. Maria vero signa sanctæ crucis eorum humeris imposuit.* Quantum mutata ab illa Magdalena quæ rerum caducarum abjecta cura, tota Christum oracula Dei fundentem attendebat. Quid plura? binæ sorores totam Provinciæ regionem suis miraculis illustraunt. Magdalena suscitavit mortuum, ac immissis nocturnis somniis homines perduxit ad fidem. Tandem *in loco Angelicis manibus sibi præparato, per viginti annos omnibus hominibus incognita, & Cœlestibus tantum fomentis refecta, in Dei laudibus & orationibus permansit.*

Multi mihi sunt hac ex Traditione injecti scrupuli, qui me stimulant & pungunt, vel remotis fabulæ ornamentis, quę viris paulo cordatioribus nauseam creant. Hi ut ex animo evellantur mihi est optatissimum. Primo quidem imperantibus Romanis penes quos erat arbitrium vitę & necis, fracta Judæorum potestas, nemini nedum viris Clarissimis Josepho Senatori, Lazaro, Nobilissimis mulieribus Marthæ & Magdalenæ, mortem exiliumve imperare poterat: quod & in confessum venit, & exemplis defenditur. Pilato ut in Christum Judæi animadverterent concedenti, palam dictum est, *nobis non licet interimere quenquam.* Joan. 19. 31. Verissime, cum summa potestas in Romanos esset translata: quocirca ut alto silentio se continentem Dominum Pilatus ad loquendum provocaret, *nescis*, inquit, *me autoritatem habere te vel crucifigendi, vel dimittendi?* Ut ad brevia redeam, Paulum seditionis postulatum Judæi rapiunt ante Tribunal.

Felitis

Felicis Judicis Rom. quo certissime constat Judæis abdicatam fuisse ad mortem, exiliumve morti proximum, damnandi potestatem. Unde igitur illa Judęis in viros amplitudine & dignitate Claros potestas, ut eos & Hierosolymis, & tota Judæa exterminarent, ac certo mortis periculo damnatos exponerent? In furias ruentibus Judæis tumultuaria seditione Stephanus lapidibus obrutus est. Itaque pręsenti iracundia exardescentes Judæi in Christi Confessores Lazarum, Josephum, Magdalenam, violentas manus injicere potuerunt; ut vero séderent judices in Josephum Senatorem, egregiorumque mortalium multitudinem, constituendæ fortunarum, honorum, capitisque sui sententię, à veri fide diffidet: Nec tam iniquo Judicio circumveniri absque provocatione passi fuissent Viri opibus & dignitate pollentes: ad Cæsaris Tribunal, non secus ac Paulus, provocando confugissent.

Præterea cuique Genti insunt certi solemnesque puniendorum Reorum modi. Apud Judæos in usu fuere supplicia & *decollationis* quæ pene Regum propria; *strangulationis*; qua Rei fimeto ad genua usque insistentes mappa suffocabantur; & *combustionis* liquefacto & in os fuso metallo; & *Lapidationis*, Nocente vel ex alto deturbato, vel saxis obruto. Sic Jacobus Regio Herodis gladio percussus: Stephanus lapidibus petitus, quod ultimum genus mortis Blasphemiæ reis imperabatur. Quocirca Christus queritur Hierosolymam esse *Prophetarum interemptricem*, *ac Legatorum Cælestium lapidatricem.* An à paterna, veterique consuetudine irrogandorum suppliciorum deflexissent Judæi, ut novum & majoribus ignotum imponerent Lazaro, & Magdalenæ? Cedo stante Judæorum Republica, damnatorum navigio sine remis impositorum exempla, qui morte non una perirent?

Tristis in Claros Exules latæ sententiæ Lucas ignarus insolensque esse non potuit, quippe qui & frequenter agens Hierosolymæ, & coævus damnatis. Cum primâ ab erudito Natali Alexandro concedi debeant, reprehendere consequentia non potest. Si tristem exilii sententiam in Lazarum, Josephum, Magdalenam Judæi tulerant, utique Lûcæ probe nota fuit? nil certius. Unde continuo colligimus à sacro Historico suis Annalibus inseri debuisse damnationem tot Clarissimorum exulum, cum felicior ad scribendum nulla esset materies, si attendamus & Christi gloriam, & Numinis Providentiam, & damna-

damnatorum claritudinem, & Ecclesiæ ædificationem. Hæc constituenda fuit merces pietati, cum Josephi, qui Christum balsamo conditum sepulchro suo mandaverat, tum Magdalenæ, quæ opibus suis Jesum pauperem juvarat, ut eorum fides atque patientia quæ imperato à Judæis exilio maxime claruisset, sempiternæ memoriæ commendaretur à Luca. Si Natali Alexandro Historiam Ecclesiasticam scribenti ingens ille narrandis Martyrum, & dignitate Amplissimorum, & munificentia ac liberalitate erga Ecclesiam Illustrissimorum casibus campus prosterneretur, certe & certo scio quod nec damnationem Confessorum tam insignem, nec consequentia miracula satis damnatorum tristibus intercedentia, alto silentio obrueret. Talis incuria non poneretur in laude, nec hac labe aspergi patiuntur rerum Sinensium, fideique apud Barbaros propagatæ Scriptores Dominicani, Franciscani, Jesuitæ, quibus maxima cura est illustrium cum dignitate, tum pietate Confessorum atque Martyrum nomina literis consignare, ne virtutis suæ intercidat memoria.

Fama constans & perantiqua potens est rei gestæ argumentum: hinc dictum Tertulliano: *Si id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacrosanctum.* Cui consentit & Lirinensis: *In ipsa Catholica Ecclesia, magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Quæ etsi præcipue ad Religionis mysteria spectent, his axiomatibus consequens est, pervulgatam Traditionem non spernendum esse veritatis Historicæ monumentum: qua ratione pervasit per animos hominum opinio Petrum olim fuisse Romæ. Vice versa altum Antiquitatis silentium telum est exitiale quod errori mortem minatur, otiosorumque hominum commenta ex finibus Antiquitatis exterminat. A qua regula si discesserimus, ecquis tandem erit fingendi modus? Quo jure novitates expulerimus nisi insigni Cypriani dicto, *unde est illa Traditio?* Quo fonte deducta; quibus fluens alveis ad nos usque limpida pervenit? Multis itaque vulneribus cadit appulsus Lazari, ac Magdalenæ ad Provinciam, si Traditio novitia est, quæ diu cæcis abdita tenebris, tandem nongentis amplius post Christum annis caput extulit.

Tertull. adver. Marc. l. 4. c. 5.

Lirin. Commonit. l. 1. c. 3.

Permagna ab Eusebio Cæsariensi consumpta est diligentia in con-

quirendis illustrium Virorum facinoribus & mortibus. Secundum Eusebium Nicephorus sinistræ vigilantiæ homo, expilavit Traditionis Thesauros illustrandæ novis gemmis Historiæ. Hi nesciunt Massilienses advenas, patrataque illa miracula quibus lumen & decus suis lucubrationibus addidissent. Expectabat, scilicet, certissima illa Traditio longa annorum oblivione sepulta, Vincentium Bellovacensem, Jacobum Genuensem, ac ejusmodi farinæ homines, qui eam ex mortuis excitarent. Natalis Alexander nil pensi tantum silentium habet: Eusebius, nempe, *cum scriberet in Palestina, ea quæ contigerant in Provincia, quæque ibi credebantur Traditione Ecclesiastica, facile ignorare potuit.* Hem potuit ignorare? Atqui obstabat in primis *Ducis Marsiliensis* peregrinatio Hierosolymitana, Sanctis locis frequentandis: nam *Traditione Ecclesiastica* hæc Vincentio fuere comperta; *emerso aliquot dierum itinere, obviavit ei Beatus Petrus Apostolus, qui sciscitans peregrinum qua de causa illuc venisset, viso signo crucis humeris ejus affixo, gavisus est.* Peregrinus vero duos amplius annos Hierosolymis commoratus est, ubi dubio procul raros variosque Lazari, Josephi, Magdalenæ casus narravit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut in Dei laudes erumperet de servatis mirifice Exulibus. Sed ut seria quæramus, amoto cum fabula ludo, rerum Gallicarum non adeo peregrinus hospesve Eusebius fuit, quin multa, & Lugduni, & Viennæ patrata miracula suam in Historiam induceret: legatur l. 5. cap. 6. Id erat moris priscis Christianis amoris vinculo maxime conjunctis, ut Epistolis familiaribus, & tristem, & lætam Ecclesiarum fortunam scriberent, adeundo precibus Deo. Argumento est & missa Lugdunensium Epistola ad Ecclesias Asiæ Phrygiæque, & Literæ Cleri Romani ad Cyprianum Cartaginensem Episcopum, quibus id moris manifesto deprehenditur. *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nobis nunciare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare.* Tantane fuit Lazari Massiliensis, Maximini Aquensis, ut ajunt Episcoporum, incuria, ut Palestinensibus Ecclesiis monitorias Epistolas non dirigerent, de patratis in Provincia miraculis favente Christo, qui Numine suo atque auxilio suos Confessores in exilio defenderat? Saltem Clero Romano certum fecissent de prospero Evangelii successu, quem benignum Dei Numen quotidie novis successibus augebat: quo

Spec. Hist. 9. c. 96.

Cypr. Ep. 30.

quo ex fonte aperto patentique, Palestinus Eusebius Massiliensium miraculorum Rivulos in Annales suos deduxisset.

Detur tamen Natali Alexandro interjectum Provinciam inter Palestinamque spatium, quasi objecta nube, tot miraculorum lucem Eusebianis oculis eripuisse; num immanis diligentiæ Historicum latuit lata ab Hierosolymitanis Judæis in Josephum, Lazarum, Magdalenamque sententia? Quid Historiæ in sinu Traditionis tuto requiescere potest, si tot Clarissimorum pro Christo exulum constitutum in urbe nobilissima judicium, voluntaria oblivione contriverit? An ignoravit Eusebius Tristem sententiam quam saxa, sylvæ, montes Hierosolymitani, alta voce resonabant? An probe notam, sine incuria non ferenda silentio transmisisset? Componantur ex adverso Eusebius, & qui Eusebium excepere Historici, atque Vincentius Bellovacensis, & Jacobus Genuensis: illi de peregrinatione Massiliensi Magdalenæ altissimum silentium agunt, hi peregrinationem Ecclesiasticæ Traditioni inserunt. Ex Testibus utri digniores fide? Viro candido præjudiciisque vacuo pluris erit Antiquitatis silentium, quam novorum hominum narratio; eo magis quod Canus, etsi Dominicanus, Vincentium Bellovacensem, & Antoninum, licet Apotheosi donatum, pro suis virtutibus & meritis pulchre exornarit. *De Vincentio Bellovacensi, & Divo Antonino liberius judico, quorum uterque non tam dedit operam ut res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret quod scriptum in schedulis quibus libet reperiretur.* Dixerat paucis supra lineis: *Signa nonnulla & prodigia Sancti quoque memoria prodiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur. Id vero eo magis sibi licere existimarunt, quod intellexerunt Autoribus nobilissimis placuisse veram Historiæ legem esse ea scribere, quæ vulgo vera haberentur.* Quis igitur pronis animis accipiet Massilienses advenas, nullo germanæ Antiquitatis testimonio ornatos, sed à novis hominibus solummodo commendatos, quorum vel narrationi tot adversantur? Can. l. 11. p. 540.

Suggestum conscendentibus Ecclesiæ Latinæ Concionatoribus ingens laudandæ Magdalenæ materia prosternitur. Fama quippe miraculosi adventus, sacrique antri manibus Angelicis præparati, quo per viginti annos cœlestibus tantum fomentis refecta Magdalena, in diurnas nocturnasque Dei laudes, oblivione conteri non debet in Pa-

negyricis; profecto ludibrio esset & scandalo Presbyter qui illo die quo festum Magdalenæ agitatur apud Latinos, insignes hujusce Divæ casus silentio præteriret in oratione de Magdalenæ laudibus. Hinc certum ducimus argumentum in Magdalenæ Massiliensem peregrinationem. Ea quippe Traditio si vera est, dubitari nequit quin & Gregorio Magno Romano Pontifici, & Sancto Bernardo, qui rudi seculo duodecimo in Gallia floruit, probe nota fuerit: adeoque in suis concionibus de Magdalena habitis, adventum ejus, miracula, antrum, abstinentiam, palam & publice commemorare debuerunt, ne sibi votisbue Auditorum deesse viderentur. Evolvantur autem Sanctorum Gregorii, Bernardique de Magdalena Homiliæ, nullo vestigio reperientur hæ Traditionis affaniæ, de navi absque remigiis cui Exules impositi, de appulsu in Provinciam, de inculta & horrida vita Magdalenæ in antro sacro, quibus tamen Christianorum ante oculos magnum pœnitentiæ exemplum adductum fuisset. Hæc de Magdalena Gregorius Hom. 26. in Evangelia: *Viventi adhæserat Magdalena, mortuum quærebat, viventem reperit quem mortuum quæsivit: tantumque apud eum locum gratiæ invenit, ut hunc ipsis quoque Apostolis, ejus videlicet nunciis, ipsa nuntiaret. Alius libidinis igne accensus carnis munditiam perdit, aspiciat Mariam quæ in se amorem carnis, igne divini amoris excoxit.* An non illustrius exemplar pinxisset Gregorius, adducto secessu viginti annorum in antro sacro quo Magdalena jejunia sua tantum pascebat orationibus & lachrymis. Audiatur & Bernardus sermone in festo Magdalenæ: *Felix Maria unxit pedes Jesu: felicior eadem unxit caput Autoris; felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit.* Cur hic lingua tua subsistit Bernarde? Addere debuisti, sed longe felicior adhuc & miraculis in Provincia patratis, & vita Angelica tot annis protracta in abdito hominibus secessu. Verset se vir eruditus Natalis Alexander, novitiæ Traditionis propugnator acerrimus; quærat quid respondeat, nunquam illudet cordatis, verique amantibus hominibus de Gregorii Bernardique silentio. Scilicet illi Heroes bardi sunt, & stupidi præ nullius nominis monacho, qui in sermone de Magdalena verbis plenis & sonantibus prædicaret: nec immerito, si vera sunt quæ à Viris illis se antiquioribus, Traditionisque Ecclesiasticæ peritioribus, omissa fuere.

Telum in Natalem Alexandrum torquebo, quod, meo quidem judicio

dicio, levi corporis declinatione vitari nequit, cum totus sit in afferendo Parisiensibus Areopagita Dionysio. Audiat ergo vitam Dionysii, si lubet, Atheniensis. *Ille cum sociis pervenit ad portum Arelatensis Urbis. Duriciem autem, & ferocitatem imperitarum, barbararumque gentium quæ illic erant non veritus, nec impiis sceleribus deterritus, ad præconium se contulit, cumque à Gallia sensim subducens plus Gentilibus instititis errorem Regionis illius fervere comperisset, se certaminibus objecit.* Arelatum Provinciæ urbem Dionysius appulerat, distant autem Arelate & Massilia decem circiter miliaribus. Si Magdalena venit in Provinciam tot Viris illustribus comitata, prodigio simile est profundissimam Evangelii ignorationem, quam Dionysius mirabatur, hanc Regionem opplevisse: Christi quippe Religionem Sancti Exules Arelatensium animis insevissent concionibus & miraculis suis. Sed & Lazarus amore Domini, & Clarissima resurrectionis fama super æthera notus, Massiliensem, ut ajunt, Episcopum exercens, à Dionysio adiri debuit, pro communione quam sanctissime inter se colebant Episcopi: aut si jam fato functus erat ille, saltem cum Episcopis Maximini, Lazarive successoribus dextram dextræ jungere Dionysius debuit. Jam vero in Gentes immanitate barbaras incidit, quas inter nulla apparebant Christianæ disciplinæ vestigia. Hæccine consentiunt cum Traditione de Magdalena, & ejus comitibus Massiliam appellentibus? Ut vero Autor vitæ Dionysianæ nobis sit ignotus, colligimus tamen illo quo floruit seculo nondum dissipatam creditamque Magdalenæ peregrinationem quæ adversa fronte cum vita Dionysii pugnat.

Hæc est prima classis argumentationum nostrarum, quæ licet negativis inserantur, nihilominus suis viribus pollent, cum novitatibus refellendis Antiquitatis silentium maximi sit ponderis: eaque via artem Typographicam, Festum immaculatæ conceptionis B. Virginis, sacros globulos, olim in usu non fuisse apud Veteres legitime colligamus. Si Urspergensis Abbas legenti forsan inciderit, nonne admirationem efficiet quod in ejus Chronico, ne verbo quidem, Massiliensem advenam commemoraverit? Magna quippe cum cura & diligentia ævi sui Traditiones similis farinæ scripto exaravit. Hinc dictu proclive est, nec immerito, nondum vulgatam per omnes fuisse Magdalenæ peregrinationem. Missis negativis argumentis quæ ex Sulpitio Severo, aliisque Autoribus peti possent, affirmativa sunt afferenda,

renda. A Magdalena quæ præcipuum gestum agit hac in scenæ, confutationem incipiamus fabulæ.

Si ultimum diem Magdalena non abiit in Gallia, utique ejus peregrinatio ficta est, & commentitia: atqui in Occidente fata sua non implevisse eo constat, quod Ephesi sepultam esse olim Latinorum & Gallorum ferebat opinio. Nec infringi argumentum potest Reliquiarum in Orientem transmissione, quæ quidem audacter & temere fingi posset; probari non posset. Firma igitur est consequentia: si Magdalena non sepulta est in Provincia, non obiit in Provincia, cum mortua sit ubi tumulo condita; atqui compluribus testimoniis ostenditur Ephesum habuisse sacras Magdalenæ exuvias, quod vir Sorbonæ suæ decus & ornamentum, Joannes Launoius argumentis solvi non metuentibus olim demonstravit. *Autor*, inquit, *peregrinationis Uviliabaldi Aichtadiani Antistitis anno Christi* 745. *Transitis Choo Samoque Insulis, tabentes salo artus apud Ephesum Asiæ Insulam exponunt, & Maria Magdalena ibidem requiescenti se commendaverunt.*

Laun. disquis. disqu. p. 56.

Dente invido & maligno Vir ille Doctissimus carpitur ab Antonio Pagio, Critic. an. 42. n. 4. p. 38. *Ex quibus colligitur quam inconsiderate à quibusdam scriptum Magdalenam etiam Ephesi una cum Lazaro egisse autoritate præsertim Anonymi. Sed Sanctimonias Hildehermensis ejusdem Sancti Uvibaldi consanguinea, nullam mentionem habet de Magdalena: quare verba illa de B. Magdalena perperam in illud Itinerariam, vel ab Anonymo, vel ab alio quopiam Scriptore inserta.* Utinam hujusce Sanctimonialis Ms. adire concederetur! Expurgatoriarum manuum facinus forsan comprobaretur sacro Magdalenæ corpori asserendo Provinciæ. Agesis tamen Sanctimonialis scripserit sino: videat eruditus Pagius quantum distet à veritate ejus argumentatio. An silentium mulierculæ Anonymum de Magdalena Ephesi quiescente falsi postulat? Quasi vero Viro affirmanti, judicioque hac Sanctimoniali acriori, tutius non crederemus quam silenti fœminæ! Equidem species nonnulla rationis inesset argumentationi Paganæ si Anonymus Traditionis à se memoratæ inventor ac princeps existeret. Sed suppeditamus testes Anonymo antiquiores, quibus eadem de *Magdalena Ephesi quiescente* opinio insita est. Gregorius Turonensis qui seculo sexto præcipiti floruit, hæc de Magdalena memoriæ commendavit:

In

In Ephesο autem habetur locus, hic Apostolus (Joannes) *Evangelium quod ex ejus nomine in Ecclesia legitur, scripsit: in ea Urbe Magdalena quiescit, nullum super se tegmen habens.* Modestus apud Photium, codice 275. μετὰ τὴν κοίμησιν τῆς δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου προσελθοῦσα εἰς ἔφεσον πρὸς τὸν ἠγαπημένον μαθητὴν ἐκεῖσε τὸν δρόμον ἀποστολικὸν διὰ τοῦ μαρτυρίου ἡ μυροφόρος Μαρία ἐτελείωσε. Μὴ θελήσασα διὰ τοῦ μέχρι τῆς τελευτῆς χωρισθῆναι τοῦ Παρθένου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου. *Post obdormitionem Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, profecta est Ephesum ad dilectum Discipulum, ubi cursum Apostolicum per martyrium unguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum usque spiritum ab Joanne Evangelista, & Virgine separari.* Constans hæc est Græcorum Traditio, cujus rei demonstrandæ nos onere sublevavit Joannes ille Launoius Antiquitatis ad miraculum peritus: ut mirum sit Viro magno inustam esse ab Antonio pagio *inconsiderantiæ* notam. Greg. Turon. l. 1. de Mir. c. 30.

Lazarum quod attinet, ejus Episcopatus apud Massilienses fabulis est & apponendus: ignotus Annalibus Ecclesiæ veteris, ignotus Eusebio, ignotus Nicephoro. *Ut cruentas*, inquit, *fugeret Pontificum manus, Hierosolymis relictis inde secedit, & finitimum, qui Ephrem dicitur, incolit locum.* Non ergo ad Provinciam appulit gerendo Episcopatui, quem nulla delevisset oblivio. Traditiones de Lazaro suppeditantur ab Epiphanio, ἀλλὰ καὶ ἐν παραδόσεσιν εὕρομεν ὅτι τριάκοντα ἐτῶν ἦν τότε ὁ λάζαρος ὅτε ἐγήγερται. Μετὰ δὲ τὸ ἀναστῆσαι αὐτὸν ἄλλα τριάκοντα ἔτη ἔζησε, καὶ οὕτω πρὸς κύριον ἐξεδήμησε. *Quin & illud inter Traditiones reperimus triginta annos natum fuisse Lazarum cum à mortuis excitatus est, atque ille postea triginta aliis annis vixit, atque ita ad Dominum rediit, & cum illustri nominis fama vocatus est.* Tam egregio Salaminensis Episcopi testimonio ad fabulas amandandus est Lazari Episcopatus, quem si novisset Epiphanius nullus silentio prætermisisset. Sed & hæc ex Traditione constat atque promptum est Lazarum in Oriente rebus humanis fuisse exemptum. Cui consentit Orientalis Ecclesia, fatente Baronio in Martyrologio, die Decembris 17. *Græci ajunt in Menolog. translationem Reliquiarum ejus Constantinopolim factam decimo sexto Kal. Novem. Leone sexto Imperatore qui nobilem eidem erexit Basilicam, ut scribit Cedrenus in eodem Imperatore. De eadem translatione è Cypro insula agit Zonoras in 3. parte Annalium, in Leone Philosopho.* Suppresso Episcopatus nomine Lazarus in Episcoporum numero habetur à Rei-

Niceph. lib. 1. c. 25.

Epidh. Hær. 66. n. 34. p. 652.

à Reinerio tom.4.Bib.Pat.p.946. Alii Citienſem in Cypro Epiſcopum fuiſſe perhibent, quaſi vero popularem Epiſcopum ignoraſſet Epiphanius. Sed conceſſo Cypro habitaſſe curando gregi, procul amandandus ad fabulas Maſſilienſis Epiſcopatus. Aliud agebat Clariſſimus Launoius cum ex Epiphanio duxit argumentum probandæ in Cypro & morti & ſepulturæ Lazari, qua de re ne μυ quidem apud Epiphanium, ſit modo oculorum vigor integer. Sed narratur ab Autore Menologii, 17. *Octobris, Translatio pretioſarum Reliquiarum Sancti & Juſti Lazari, quas Reliquias Celeberrimus & fideliſſimus Imperator Leo, divino zelo commotus, in Templo pulcherrimo, ſub ejus Sancti Viri nomine dicato, ex Urbe Citienſi Conſtantinopolim translatas, in argenteis loculis repoſuit.*

Debetur Launoio de Maximino & Magdalenæ comite Aquenſi Eccleſiæ in Epiſcopum impoſito, accurata obſervatio, diſſertatione adverſus Gueſnæum. *Ante annum ſeculi ſuperioris 76. omni retro memoria in Martyrolog. Romanis incognitum fuiſſe hunc Maximinum, qui in ſubdititiis Magdalenæ & Marthæ geſtis, appellatur Epiſcopus Aquenſium. Hoc demum anno in Martyrologio Romano quod edidit Galeſinus, occupavit aliquem locum: in Aquenſis Eccleſiæ Litaniis, quæ editæ ſunt anno poſt Galeſini Martyrologium proxime ſequenti, nullus omnino legitur Maximinus.* Quid multa? pugnam committit cum Traditione Traditio, ut non immerito pendeat animus, ad quas partes victoria ſit transferenda. Vincentius, quem Baronius proſequitur, vi procellæ vexantis Stephanum, exactos in exilium Lazarum, Magdalenam, Joſephum ſcripto prodidit. At diſſidet frater Jacobus Genuenſis Sanctorum Legendæ Conditor. *Poſt Aſcenſionem Domini, ſcilicet anno quadrageſimo tertio à Paſſione, cum Judæi Stephanum jam diu occidiſſent, & cæteros diſcipulos à Judææ finibus ejeciſſent, diverſarum gentium diſcipuli ſubeunt Regiones.* Quæ à Vincentiana, Baronianaque Chronologia multum diverſa ſunt; anno quippe ſeptimo & ſeptuageſimo, commota fuit in Chriſti Martyres dira perſecutio, ſi Jacobo Genuenſi fides, quo tempore Magdalena annos amplius ſeptuaginta nata, vix ſpecie ſua in Maſſilienſibus admirationem efficere potuit. Tum Epiphanii Traditio falſi damnatur, qui Lazarum, impletis poſt ejus reſurrectionem triginta annis, ad Dominum migraſſe perhibuit.

Cæterum caduca vacuaque Magdalenæ Reliquiarum poſſeſſio non eſt, coëuntibus in lites tanti Theſauri hæredibus. Sammaximinenſes

nenses Dominicani de possessione sua fratres Vezeliacenses exturbare conati sunt, & nunc palam & libere sacris fruuntur ossibus. Testis tota pene Gallia, & ipse Fermanelius Rothomagensis Senator. *Sammaximini*, inquit, *pernoctavimus, ubi vidimus Sanctæ Magdalenæ caput, & quibus Domini pedes detersit ampullam capillorum. Quotannis sacra Veneris die apparet preciosus cruor mixtus capillis. Cogitur ille liquor servato colore ab hora duodecima ad promeridianam primam. Vidimus quoque cum Magdalenæ, tum Sanctorum Maximini, Lazari, Marthæ monumenta, plurimasque Reliquias, apud Urbis hujusce Dominicanos reconditas.* Atqui seculo Æræ Christianæ duodecimo, sacras Magdalenæ exuvias Vezeliaci requiescere existimatum, teste Matthæo Paris in Richardo primo: p. 153. *Duo Reges, Francorum, videlicet, & Anglorum, convenerunt apud Nizeliacum* (Vezeliacum) *ubi corpus B. Mariæ Magdalenæ requiescit, in Octavis Sancti Joannis Baptistæ, & per duos dies ibi moram fecerunt.* Quam Traditionem excepit institutio Ordinis Prædicatorum An. 1204. approbata 1216. E Magdalenæ Vezeliacensis monumentis suppeditatur Lucii Papæ secundi Epistola Abbati & Fratribus inscripta. *Fratres nostri Episcopi & Cardinales nos suppliciter & devote rogarunt, ut monasterium vestrum pro reverentia Beatæ Magdalenæ cujus ibi corpus quiescit, largitionis nostræ studeremus munere decorare, ut ex hoc magis apud homines celebre fieret, & majoris venerationis in posterum haberetur.* Anno 1112. Magdalenam in Oriente supremum obiisse Traditio ferebat, cujus rei egregium a Clarissimo Launoio testimonium citatur, Baldricus Episcopus Noviomensis. *L.2. Chron. c.43. Est*, inquit, *monasterium Canonicorum in honore Apostolorum Petri & Pauli in vico qui dicitur Lutosa, quod construxit Beatus Amandus, & est dives Abbatia, ubi vir Dei venerabilis Baidilo requiescit, qui corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Jerusalem in Burgundiam in loco Verceliaco attulisse dicitur.*

Voyages de Fermanel. Laun. Disq. Disq. c. 10. p. 60.

Brevis ut fiat ad alia progrediens oratio, summa conclusionis meæ hæc est, appellentium ad Provinciam Exulum Lazari, Josephi, Magdalenæ Traditionem undique diffluere. Quid enim verum & sincerum in ea potest existimari, atque laudari? Si testes? Novitii sunt infirmi, in multis falsi, damnati a cordatis Scholæ Rom. Viris. Si monumenta Antiquitatis? Nulla suppeditantur ex Annalibus ad seculum undecimum usque. Si Sacræ Paginæ? Longo trans-

mittunt ſilentio damnationem Exulum navi ſine remigiis impoſitorum. Si antecedentia? Pugnant & cum ſtatu Judæorum, quibus poteſtate in Romanos translata, non licuit Viris Nobilibus mortem exiliumve imperare, & cum pœnarum imponendarum ritibus qui erant in uſu apud Hebræos. Si concomitantia? Miraculi cauſa inducuntur in Provincia, & Dracones quos ibi non magis inveneris quam nigros Indiæ Barros, & mulier apud Gentiles concionans, principibus Viris piisque, Lazaro & Joſepho, quibus erat comitata, ſilentium agentibus. Si conſequentia? Imperantibus ſævientibusque Tyrannis, Magdalena tranquille placideque vitam traducit, nullis invidiæ ſtimulis, aut amore idolorum injuriis laceſſita. Si Traditio? nec de tempore commotæ perſecutionis, nec de judicibus jus dicentibus conſentit. Si defenſores Traditionis? Serviunt utilitatibus ſuis, cum Sanctæ Magdalenæ exuviæ Dominicanis in magnum uſum cedant: ſic enim Eccleſia Sammaximinenſis ex ultimis Galliis frequentata, argento, veſtibus, ſacra ſupellectile locupletatur.

De Joſephi Arimathenſi in Angliam appulſu. Nil opus eſſe hac Traditione removendo a cervice Eccleſiæ Anglicanæ Pontificis Romani jugo. Conceſſo Evangelium e Romanis in Britannos manaſſe, nil poteſtatis apponeretur Romanæ Eccleſiæ in Anglicanam, quod argumentis compluribus ex Epiphanio, Synodis Conſtantinopolitana, Epheſinaque comprobatur. Peregrinatio Joſephi Anglicana rejicitur. Ex Theodoreto, Nicephoro, rationeque impugnatur. Legatio Fugatii & Damiani, rogante Lucio Britannorum Rege, falſi poſtulat Joſephi appulſum in Angliam. Ab Eleutherio Damianum, Fugatianumque in Britanniam miſſos non fuiſſe multis confirmatur. Germana Anglicanæ Eccleſiæ antiquitas. Ejus incunabula, non ſecus ac Gallicanæ, ſecundo debita ſeculo. Caſus fidei Britannicæ fluctu Saxonico oppreſſæ. De expeditione Auguſtini

gustini in Angliam. Ostenditur contra Bellarminum, Perroniumque, multis in Britanniæ locis Christi Religionem extinctam non fuisse. In aliis a Columbano fuisse ante propagatam quam a Gregorio mitteretur Augustinus. Certamina Episcoporum cum Augustino de ritibus a ceremoniis Romanorum multum diversis, quæ ex Antiquitatis monumentis illustrantur.

BRitanniam magnam fulgore Evangelii fuisse collustratam ab Eruditissimo Purpurato perhibetur. *Comitemque ferunt ejusdem discriminis Josephum ab Arimathæa, nobilem Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam navigasse, illicque post prædicatum Evangelium diem clausisse extremum.* Pingit & variis coloribus hanc peregrinationem Traditionis penicillus. *Josephus Episcopus filius Arimathaensis, cum patre aliisque compluribus Britanniam appulit. Insulæ ad Christi Religionem adducendæ Josephi comes fuit Aristobulus, unus e LXX. Discipulis quem Britanniæ impositum Archiepiscopum scripto nonnulli prodidere. Nobilis illa Claudia cui salutem dixit Paulus epistola ad Romanos, Augulus Londinensis Episcopus, Sanctus Beatus, Mansuetusque Episcopi, Britannicas regiones luce sua perfuderunt.* Quæ leguntur apud Eruditissimos Viros Cracantorpium, Ephraïm Pagit, aliosque complures, ut antiquitate nobilis Ecclesiæ patefacta, jugum Romanum a cervice sua facilius dejiciant.

Meo, quidem, judicio, veritati nil opus est defensoribus fabulis. Non si Evangelii rore Britannos irrigasset Ecclesia Rom. ideo & fidei exerceret principem. Ecclesiarum Mater audiebatur Hierosolyma: judice vel Constantinopolitanæ Synodi ad Concilium Rom. Epistola. *Porro Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ est aliarum Mater, Reverendissimum & Sanctissimum Cyrillum Episcopum vobis ostendimus.* Theodoret. Hist. l. 5. c. 9. Atque tantum valuit apud omnes Hierosolymitanæ Ecclesiæ autoritas, ut eam orbis terrarum sequeretur. Ἅμα δὲ καὶ πεντεκαίδεκα ἐπίσκοποι γεγόνασιν ἐκ περιτομῆς καὶ ἐχρῆν τότε τῶν ἐπισκόπων ἐκ περιτομῆς ὄντων ἐν Ἱερουσαλὴμ κατασταθήντων τὸν πάντα κόσμον τούτοις συνέπεσθαι. Epiph. Hær. 70. n. 10. p. 822. *Porro post constitutionem illam quindecim e Circumcisione Episcopi fuerunt*

fuerunt, idque Hierosolymis, quorum autoritatem omnis orbis sequi debuit. An idcirco imperium in Ecclesias accepit Ecclesia Hierosolymitana? Imo Antiochiæ subdita. *Quoniam mos antiquus obtinuit & vetusta Traditio, ut Ælia, id est, Hierosolymorum Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen Metropolitanæ civitatis propria dignitate.* Nicæn. Conc. can. 7. Athanasio nullum in Indiam imperium Ecclesiasticum fuit, licet Frumentium in Episcopum Indiarum crearit. Quid amplius dicam? Ex Ecclesia Antiochena a Spiritu Sancto missi Paulus & Barnabas, Cyprios ad Christum adduxere. Quæ ut mea conjectura est, non levis causa fuit quamobrem Joannes Antiochenus ibi ordinationes perageret. Audax Antiocheni Episcopi facinus improbatum ab Ephesina Synodo c. 8. *Rem novam & præter leges & canones Sanctorum Apostolorum Deo dilectus Coëpiscopus Regynus nunciavit, una cum Deo dilectis Episcopis Provinciæ Cypri, Zenone & Evagrio: nempe, Episcopum Antiochenum in Cypro facere Ordinationes. Habebunt jus suum intactum & inviolatum qui sanctis Cypriorum Ecclesiis præsunt, secundum canones Sanctorum Patrum, & antiquam consuetudinem.* Quid ergo lucri apponeretur autoritati Pontificis Romani, concesso quod Legatorum ope Britanniæ instillasset Christi Religionem.

Porro, etsi peregrinatione de Massiliensibus advenis debellata, ruat una & Apostolatus Josephi in Britanniam, hanc Traditionem perscrutari & examinare operæ pretium est. Primum omnium altum de Episcopatu Josephi in Scriptura, vetustisque Annalibus silentium, non est habendum in levi, nec id præjudicii cordatorum præcordiis insidere debet, quod tanti Viri dignitas ac munus vigilantes totius Antiquitatis oculos effugerit. Insuper alienum a Christi moribus fuit, ut amplissimos Senatores crearet in Episcopos, ne ad sapientiam, eloquentiam, dignitatem mortalium, lætos referrent Evangelii successus. Hinc aurea Chrysostomi verba. *Mira virtus erat piscatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos suscitare, morbos pellere, mortem abigere, Philosophorum linguam mutam facere; Rhetorum ora confringere, apud Principes & Reges versari, Barbaris, Græcis, & universo humano generi imperare; nam & hoc illi verbo perfecerunt.* Vim admirabilem Evangelii deteruisset Apostolatus Viri dignitate, opibusque Claro, quibus gentium Barbararum salus assereretur, non potenti brachio Numinis. Præterea ex Scriptura sciri facillime potest,

Chry. Orat. in Gentil.

nefas

nefas esse Judæo ad alienigenam accedere, antequam gentibus, Christo jubente, fidei reseraretur ostium, quod Josepho ad Provinciam appellente nondum contigerat. Itaque in Britanniam a toto terrarum orbe divisam, & a Judæis vacuam, se conferre non potuit, nisi disseminato per gentes Evangelio, quod diu post Stephanum ad mortem missum factum est.

Britannicarum Ecclesiarum mentio a Patribus non semel agitata fuit, nulli vero Josephus Anglicanæ fidei auspex habitus est. Non Theodoreto Antiquitatis perito. *At nostri piscatores ac publicani, sutorque ille noster cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt, neque solum Romanos qui sub Romano vivunt Imperio, sed Scytas, quoque & Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios, utque semel dicatur, nationes omnes induxerunt Crucifixi leges accipere.* Itaque de conversa ab Amplissimo Senatore Anglia, Theodoreto non persuasum fuit, cum piscatoribus, sutoribus, publicanis inseri Josephus non possit. Nec alia mens Nicephoro quam Theodoreto. *Opera pretium etiam fuerit Simonem Cana Galilææ ortum, qui propter flagrantem in Magistrum suum ardorem, summamque Evangelicæ rei per omnia curam, Zelotes cognominatus est, hic referre. Accepto enim is Cœlitus adveniente Spiritu Sancto Ægyptum, Cyrenem, & Aphricam, deinde Mauritaniam, & Lybiam omnem, Evangelium prædicans percurrit, eandemque doctrinam ad Occidentalem Oceanum Insulasque Britannicas.*

Theodor. l. 6. De curan. Græc. aff.

Nicephor. l. 2 c. 40.

Sed & alios a Josepho auspices Britannicæ fidei e suis Thesauris Traditio suppeditat. *Inito Pontificatu Eleutherius statim Epistolam accepit a Lucio Rege Britanno, qua rogabatur ut se ac suos in numerum Christianorum reciperet. Quare Fugatium, & Damianum, Viros optimos eo misit, qui Regem ipsum ac populum baptizarent*: quæ a Platina ex Beda habemus exscripta. Lucio nil opus erat ad Eleutherium scribere de mittendis Evangelii Præconibus, si Josephus in Angliam pedem advertisset, cum doctrinæ Episcopatusque sui plurimos Pastores hæredes reliquisset. Non equidem sum adeo Antiquitatis hospes, ut similibus monumentis fidem præstare velim. Amandetur, si lubet, ille Lucius in ultimas Britanniæ oras: *Romanis inaccessa loca*, prodit sane fabulam Rex ille nomine suo. An Principi Barbaro extra ditionem Romanorum posito, nomen Romanum fuisset inditum? Quis ex

 Anti-

Antiquis, Eusebio, Theodoreto, de Fugatii Damianique legatione, respersus est vel minima auditiuncula? Metropolitanis, & Episcopis olim in more positum, lætos Evangelii successus, novasque partas Imperio Christi Provincias Ecclesiis Illustrioribus nuntiare celeriter, ut Deo laudes dicerentur. Cum Anglis, mittente Gregorio Magno, propinatum ab Justino fuisset Evangelium, scripto Eulogium Alexandrinum adiit Gregorius, ut de Hæreticorum reditu ad Ecclesiam nuntianti vicem referret. Greg L. 7. Ep. 30. *In solemnitate Dominicæ nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plusquam decem mille Angli ab eodem anuntiati sunt fratre & Coëpiscopo nostro baptizati.* Paris ergo & pietatis in Christum, & amoris erga fratres plenus Eleutherius, inopina de legatione Lucii Regis, lætibusque Fugatii & Damianis successibus gaudia suis Collegis attulisset, quod nullus fecit. Intendit se adversarium in fabulam & Innocentius ad Decentium Epistola, qua, mea ut fert opinio, probatur solidissime ex fonte Romano Evangelium in Angliam non manasse. *Manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes.* Omnium locorum in enumeratione versatur Innocentius, in quos a Sede Romana transmissum putavit Evangelium. An Britanniam, Insularum Occidentalium Reginam, silentio præteriisset Innocentius, gloria & prędicatione Cathedram efferens suam, si ab Episcopis Ro. conditam scivisset Ecclesiam, missis Fugatio atque Damiano?

Anglicanæ Ecclesiæ splendor hujusmodi monumentis non innititur: imo si perspicere lubet quid verum sincerumque sit, amplissima hujusce Ecclesiæ gloria defloratur, cum falsis titulis cumulatur: nec veris abundanti laudibus, opus est fictis. Anglicana Ecclesia perantiqua est, quam Tertullianus probe sibi notam habuit
Tert. Adv. Jud. c. 7. *Britannorum*, inquit, *inaccessa Romanis loca, Christo vero cognita*: quam testem innocentiæ suæ affert Illustris Athanasius. Τοῖς δὲ
Athan. Apol. ad Const. Tom. 1. p. 720. κριθεῖσιν ὑπὲρ ἡμῶν συνεψηφίσαντο μὲν ἐπίσκοποι πλείους τριακοσίων ἐξ ἐπαρχιῶν Αἰγύπτου, Γαλλιῶν, Βρεττανιῶν. *Nostram vero innocentiam plures quam trecenti Episcopi suis calculis comprobarunt, qui ex multis Provinciis Ægypti, Galliarum, Britanniarum*: quam in argumentum summæ Christi virtutis induxit Chrysostomus. Chrys. Orat. quod Christus sit Deus. *Nam & Britannicæ insulæ extra hoc mare sita, & quæ in Oceano sunt, virtutem verbi*

verbi senserunt; sunt enim etiam illic fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria: quam captivam Christo clarum ad triumphum ductam memoravit Theodoretus: quodque majus omnes fatebuntur, quam vidimus piis juxta ac eruditis Episcopis ornatam, benigne suo sinu excipere, & amanter fovere tristes Ecclesiæ Gallicanæ Reliquias, diris procellarum fluctibus agitatas, mirisque modis distractas. Hæc, hæc Germanam Anglicanæ Ecclesiæ gloriam intendunt, qua neminem superiorem, paucos æquales habet, eruditione, pietate: & ut maximus gloriæ cumulus accederet, nunc sub Maximo, Pio, Sapiente Rege Wilhelmo justa gubernatione tandem subeunte Tyrannidis extinctæ vices, felicissima Ecclesia.

Clarissimus Juellus Sarisburiensis olim Episcopus, vir cocti maturique judicii, *Theodoretus*, inquit, *etiam Paulum in hanc Insulam, quæ nunc Anglia vocatur, accessisse, atque in ea Evangelium sevisse tradit. Idem quoque fecisse Josephum Arimathensem Britannorum Chronicorum Autores suspicantur, & licet conjectura in rebus tam vetustis sæpenumero incerta sint & obscura; probabile tamen videtur Religionem Christianam, non Romæ in hanc insulam primum advectam.* Pauli quidem non magis quam Petri expresse meminit Theodoretus, inducens generatim *piscatores*, *publicanos*, *sutorem* omnem orbem terrarum, Britannos & Cimmerios Evangelii luce collustrantes. Placet tamen inclitum sincerumque Juelli judicium, *in rebus tam vetustis conjectura sæpenumero incerta sunt, atque obscura*: quo loco & numero habenda sunt ea quæ optimus Usserius edidit in Annalibus Britannicis. Quis, & unde fuerit Conversorum Anglorum auspex, aut quo imperante floruerit juxta scio cum ignarissimis? Nec Monachos moror ab alta vetustate remotos, quibus quidlibet audendi atque fingendi consuetudo fuit. Qua de causa nullus pene Vir est in Novo Testamento paulo illustrior cui munus Episcopale non fuerit impositum. Citius accensam in Anglia divinæ fidei facem quam in Gallia, nullus jure dixerit, nullus Veterum scripsit. Is est Britanniæ Magnæ situs, ut nisi peragratis Galliis, vix ad eam insulam primi Evangelii Præcones potuerint appellere; quocirca Josephus Arimathæus, ex ultima Provincia adducitur, ut apud Anglos munere fungatur Episcopi. Nec in dubio ponendum non *Persona* Apostolorum, sed *doctrina* referendam esse a Chrysostomo & Theodoreto memoratam

Juell. in Hard. p. 112.

Anglo-

Anglorum conversionem, cum certum sit Sanctos Apostolos, extincta vel voce, Scriptis suis orbem terrarum imbuisse. Quarto seculo a Sulpitio Severo scripto proditum. *Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias Martyria visa, serius trans alpes Dei Religione suscepta.* Quod argumentum Sulpitii potentissimum videtur. Prædicatum Evangelium continuo excepere Martyria, commotis in Christi Religionem Gentilium animis, qua suorum numinum Sacra prisca de sede deturbabantur. Ut igitur in Gallias, sic in Britanniam opera Apostolorum Evangelium non penetravit, quod Barbaræ gentes subito perfudissent Apostolico sanguine. Veris, ut opinor, non aberrabit conjectura, quæ 2°. Æræ Dom. seculo ut in Gallia, sic in Anglia fundatas Ecclesias vindicabit.

Sulp. l. 2. p. 389.

Ad quintum seculum jam adultum Britannos apud perduravit Christi Religio. Pietatis porro nodis exolventibus se Insularibus, gentem ingratam Deus pœnis amaris incessit, ut a sapiente Gilda memoriæ commendatum de Excidio Britanniæ. *Britones*, inquit, *propter avaritiam & rapinam Principum, propter iniquitatem & injustitiam judicum, propter desidiam prædicationis Episcoporum, propter luxuriam & malos mores populi perdidere patriam.* Collectam in miseros Dei iram Paulus Diaconus retulit in Annales. *At vero residui Britannorum dum continuos Scotorum impetus formidarent, ultro jam de Romano præsidio diffidentes, Anglicorum gentes cum suo rege Vertegerno ad defensionem suæ Patriæ invitavere: quos amabili societate exceptos, versa in contrario vice, hostes pro adjutoribus impugnatoresque sensere. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum, sive Saxonum, Britanniam tribus longis navibus advehitur; quorum dum iter prosperum domi fama retulisset, mittitur nihilominus exercitus multiplex, qui sociatus prioribus, primum hostes propter quos petebatur adigit. Deinde in Britones arma convertens, conficta occasione quasi pro se eis militantibus minus stipendia præparassent, totam prope Insulam ab Orientali ejus plaga usque ad Occidentalem, incendio sibi, seu gladio, subegit.*

Gilda l. 14. de Gest. Rom.

In idololatriæ Saxonicæ fluctibus pene submersa est Christi Religio, donec Numine benigno Gregorius Magnus, Augustinum, Melitumque Monachos, infidelibus convertendis legaret in Angliam. Scripsit Reginæ Francorum Brunichildæ; *indicamus ad nos pervenisse Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Christianam*; adhibitis etiam precibus

Greg. Mag. L. 5. epist. 59.

precibus & monitis ut egentibus ferret auxilia. Favente Christo, successu tam prospero usus est Augustinus in administranda sua provincia, ut in Solemnitate Dominicæ nativitatis, plusquam Anglorum decem millia Sacris undis mergerentur. Hinc pallium concessum Augustino. *Et quia nova Anglorum Ecclesia ad Omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante perducta est; usum tibi pallii ad sola Missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines qui tua ditioni subjaceant.* Greg. l. 12. Ep. 15.

De hac expeditione laurigeros triumphos agunt proci Romanæ Curiæ. Perronius Cardinalis, cujus doctrina nec non memoria longa laude cantantur, in serenissimum Britanniæ magnæ Regem ingerit *Gregorium magnum Papam præsulum Anglorum fuisse caput & fontem.* Sect. 92. Bellarminus vero l. 1. de Rom. Pont. *Anglos convertit Augustinus, a Papa Gregorio primo destinatus.* Quæ simpliciter dicta ad verum non omnino accedunt. Britannorum cladi superfuisse Christianos, testis est Paulus Diaconus lib. 16. *Apud Britanniam quoque Ambrosius Aurelianus qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cadi superfuerat, purpuram induit, victoresque Saxones, Britonum ducens exercitum, superavit sæpe.* Voluntatis inclinatione non nihil in fidem propendebat Cantii Rex Edilberthus, appellente in Angliam Augustino. *Antea fama ad eum Christianæ Religionis pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Christianam, de gente Francorum Regia, nomine Bertham, quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac Religionis suæ cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inviolatam servare licentiam haberet.* Beda Hist. gent. Angl. l. 3. c. 29. An vero simile Luidhardum Episcopum, Berthamque Reginam, nulla Cantiorum animis semina Religionis deposuisse?

Præterea, dum Anglo-Saxones Australem insulæ partem occupantes, misso Augustino Gregorius ad fidem Anno Dom. 596 perducit, Christiana Religio multum propagata est labore ac studio sanctissimi Viri Columbani, qui ex Hibernia profectus Septentrionales Angliæ partes ad fidem transtulit Anno 565. Quæ ni remissius, & pene invitis oculis, apud Bedam legerentur, ab errore prorsus evellerent Curiæ Rom. fautores. *Si quidem Anno incarnationis Dom. 565. quo tempore Gubernaculum Romani Imperii post Justinianum Justinus minor accepit, venit de Hybernia Presbyter & Abbas habitu & vita Monachi, insignis nominis,* Beda Hist. Angl. l. 3. c. 4.

minis, nomine Columbanus in Britanniam, prædicaturus verbum Dei Provinciis Septentrionalium Pictorum, hoc est, eis qui arduis atque horrentibus montium jugis ab Australibus eorum sunt Regionibus sequestratæ. Hyberniam vero Ecclesia Romana de fide suscipienda usam fuisse magistra, nullis argumentis ostendi potest; imo contrarium probatu facillimum ex rituum Hibernicorum & Romanorum discrimine. Qua de causa ab Honorio Papa 1°. scripta Hibernis Epistola, *exhortans ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis quæ per orbem terrarum erant Christi Ecclesiis existimarent, neve contra Paschales Computos, & decreta Synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent.* Apud Domnios, qui Regionem hodie *Cornuaille* nuncupatam incolebant, florebat & simplex Christi Religio cum ad Cantium Augustinus appulit, ut constat ex Galfridi Monumetensis monumentis. *In parte Britanniæ adhuc vivebat Christianitas, quæ Anno Dom. incarnati* 158 *a tempore Eleutherii Papæ habita, nunquam inter eos defecerat.*

Galfridus Hist. Britan. l. 11. c. 12. Multum obfuit Christi rebus Augustini superbia. *Dinoth Abbas Augustino petenti subjectionem ab Episcopis Britonibus, & suadenti ut secum genti Anglorum communem Evangelizandi laborem susciperent, diversis monstravit argumentationibus ipsos illi nullam subjectionem debere, nec suam prædicationem inimicis impendere, cum & suum Archipræsulem haberent, & gens Saxonum Patriam eis propriam eis auferre instarent. Edelbertus vero Rex Cantiorum, ut vidit Britones dedignantes subjectionem Augustino facere, & eosdem prædicationem suam spernere, hoc gravissime ferens, Edelfridum Regem Northumbrorum, & cæteros Regulos Saxonum instimulavit, ut collecto grandi exercitu in civitatem Bangor, Abbatem Dinoth, & cæteros clericos qui eos perditum irent.* Vacuam ergo Christianis & Episcopis ante Augustini appulsum fuisse Britanniam, somnium est somniantium ineptias. Audiatur adhuc Xiricensis Minorita. *Sed cum Augustinus vellet Episcopos & Abbates* Britonum *adducere authoritate Apostolica ut eum Legatum reciperent, & cum eo Anglis prædicarent, mota est discordia propter eorum inobedientiam ad Sanctum Augustinum, & sic motum fuit bellum inter Britonum Regulos, & Saxonum Regulos, qui jam conversi volebant Britones Augustino subdere.*

Beda Hist. gent. Angl. l. 2. c. 19. Ad pauca ut redeam, Coronidis loco juvat ex Venerabili Beda exscribere scitu dignissimam historiam. *Venerunt, ut perhibent, septem Britonum*

tonum Episcopi, & plures Viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancornaburg, qui ad præfatum ituri Concilium, venerunt primo ad quendam Virum Sanctum & prudentem, qui apud eos Anachoreticam ducere solebat vitam, consulentes an ad prædicationem Augustini suas deserere Traditiones deberent, qui respondebat, si homo est Dei, sequimini illum. Dixerunt, & unde hoc possumus probare? & ille, Dominus, inquit, ait, tollite jugum meum &c.. procurate, inquit, ut ipse prior cum suis ad locum Synodi adveniat, & si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite. Sin autem vos spreverit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures, & ipse spernatur a vobis. Fecerunt ut dixerat: factumque est ut venientibus illis sederet Augustinus in sella; quod illi videntes mox in iram conversi sunt, eumque notantes superbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem eis quod in multis quidem nostræ consuetudini, imo universali Ecclesiæ, contraria geritis, & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis; ut ministerium Baptizandi quo Deo renascimur, juxta morem Sanctæ Ecclesiæ Rom. compleatis, cætera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. Si Britones ex fonte Romano Christi hausissent Religiõnem, iisdem sane ritibus aspersi, præceptis Ecclesiæ Romanæ ceremoniisque obtemperare didicissent. Itaque & tempore, quo nil charius, & patientia Lectorum abutuntur, qui primam Anglorum conversionem Romanis Pontificibus asserunt.

Quid Marco βυλδυτὴς *c. 15. v. 43? Sententia Lightfooti. An Josephus* Buleuta, *quia & Sacerdos erat & de Liturgia publica consuleret? Reiicitur Lightfootiana explicatio. Græcis, Latinisque* Buleuta *munus politicum sonat. Teste Spartiano nec non Budæo. Verosimillimum Josephum fuisse Concilii magni Senatorem confirmatur.*

JOsephi, cujus suprà habuimus mentionem, nunc est tractanda dignitas, cum explicandæ Scripturæ, tum Ligtfootianæ opinioni

 confu-

confutandæ. Josephus Arimathæensis Marco dicitur εὐσχήμων βουλευτὴς, *honoratus Senator*, sive *Decurio*, ut in versione vulg. legitur. Decurio quasi Senator in municipio, aut colonia. Nam quod Romæ erant Senatores, id in municipiis & coloniis erant Decuriones. Decurio dictus est, quod initio, cum deducerentur coloniæ, decima pars deductorum conscribi solita. Romani porro Senatores Decurionum nomine nunquam afficiebantur. Sed quod principio rerum Romanarum a Romulo impositum fuerat, id retinuere. *Cum jam virium haud pœniteret*, verba sunt Livii, *consilium deinde viribus parat, centum creat Senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari patres possent*. Itaque nulla causa clarissimo Bezæ fuit, cur repudiato *Decurionis* nomine, vocem *Senatoris* in ejus vicem substitueret, cum βουλευτὴς non potuerit magis proprie verti.

In Chronica Tempor. to. 2. p. 5. Quæstionis est, an Josephus ille Decurionibus Judaicis sit inferendus? Triplex fuit, vel Ligtfooto judice, *Synedrium in Templo considens. Fuit Synedrium Judicum 23, in porta Orientali montis domus Shushan dicta. Aliud parem habens numerum in porta Nicanoris, seu Orientali porta atrii Israelis. Et Synedrium magnum 71 Judicum in conclavi Gazith non procul ab altari.* Ut ex voce *Bulenta*, Josephum Decurionem fuisse existimamus; sic ex adjuncto epitheto partem Synedrii magni exercuisse longe probabilissimum arbitramur. Nec enim minorum gentium Senatori Marcus titulum hunc insignem & pulchrum addidisset. Εὐσχήμων βουλευτὴς. *Honoratus Decurio*. Quam & dignitatem non minimam ostendunt atque patefaciunt, cum Josephi opes, tum gratia magna in qua positus apud Pilatum fuit, ut in fatali illa discipulis Christi tempestate, in quam inciderant, Pilatum intrepide conveniret, de petendo Servatoris corpore.

Acutissime more suo tractavit hunc locum eruditissimus Lightfootus. *In Templo conclave fuit Summi Pontificis, non quod illic semper habitaret, nec quod semel in anno se illuc contulerit; sed quod locus ille fuerit, ubi sedens ille cum Concilio Sacerdotali de Liturgia publica, rebusque Templi consuleret. Hinc merito opinamur Josephum Arimath. vocari βουλευτὴν, ideo quod Sacerdos foret, eque consessu isto sacerdotali.* At frustra nodum in scirpo quærit vir clarissimus. Nomine cuivis obvio, cujusque vis nemini ignota fuit, Marcus usus est, non inusitato, Græcis Latinisque peregrino. βουλευτὴς

Spartian. in Severo p. 618. Spartiano dignitas est Politica, non Ecclesiastica. *Deinde Alexandrinis*

jus

jus Buleutarum dedit, qui sine publico Consilio, ita ut sub regibus ante vivebant, uno judice contenti quem Cæsar dedisset. Quid essent Buleutæ cum Græcis, tum Romanis, docuit nos Budæus nunquam satis laudandus. *Plinius ad Trajanum: superest ergo ut ipse dispicias, an in omnibus civitatibus certum aliquid omnes qui deinde Buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare. Ad quam Epistolam rescribens Trajanus: honorarium, inquit, Decurionatus, omnes qui in ista civitate Decuriones fiunt, inferre debeant nec-ne, a me non potest statui.* βουλὴ *in civitatibus Græciæ, & Asiæ dicebatur Senatus, & Consilium;* & βουλευταὶ *Senatores & Decuriones.* Ex his Marci sensum pulchre callemus absque Lightfootiano acumine. Ascripti sane Josepho tituli, aliquid majus spirant quam *sacerdotem Templi consulem*, nec amplioribus supremæ Curiæ Hierosolymitanæ Senator decorari potuit: *Josephus honoratus Senator.* Quo amplior Vir ille qui tam amanter Christi curavit funus, eo major Domini gloria, fidesque Discipuli laudabilior. Constat hinc ratio cur ad Pilatum accedere, & ab eo corpus Christi impetrare potuerit. Fretus quippe dignitate Senatoria, libere Præfectum Romanum adiit, simulque amorem defuncto Servatori verum & magnum præstitit. Horrent divites atque nobiles corpus pauperis e patibulo deponere ad sepulturam. Tortoris id officium est, quod libenter a Senatore & divite, & amplissimo, exhibitum fuit Dominico corpori.

Budæ. In Pandec. p. 309.

ANNO XXXV. NUM. IX. ET XI.

De Petri Joannisque legatione ad Samaritanos. Vis vocis ἀποστέλλειν. *Chamierus notatus. Legatio Petrina tædium movens Ecclesiæ Rom. procis. Papæ olim missi: exempla suppeditantur a Paulo Diacono. Objectiones Baronii solvendo Euangelicorum argumento. Missio Christi legationis Petrinæ non arripit similitudinem. Hac exceptione ostenditur Petrum conventu Apostolico esse inferiorem. Exemplum Baronianum de misso Ismaele, Judæorum Pontifice, ad examen revocatum. An Pontifex Hebræorum nulli subditus. Sententia Baronii argumentis compluribus confu-*

confutata. An Regia imperia perferret? Negantium Annalium assertio falsi damnata. Jure Regio, non Prophetico, Abiathari Pontificalem fuisse abrogatam. Antonii Pagii opinio negantis Petrum & Paulum ex æquo Capita Ecclesiæ esse constituta, refellitur.

Sueton. c. 20. CUm unus omnia in Republica, & ad arbitrium administraret Cæsar, nonnulli Urbanorum, cum quid per jocum testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Julio & Cæsare Coss. actum scribebant.

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Quod facetum dictum de Petro est usurpandum, si Baronio fides. In causa Samaritanorum, Joanne nil agente, Petrus omnia administrat. *Samaritanorum causa haud sane ita facilis Apostolorum Principi creditur.* Item n. 25. *Præ cæteris Apostolis Petrum Apostolorum Principem missum esse Samariam certum est, ut primum omnium Hæresiarcham ipso ortus sui principio condemnaret.* Recte, Baroni, missi sunt Petrus & Cephas, non Petrus & Joannes. Etsi hac in legatione plurimum partis habuerit, cum usus sit clavibus, Cœlum aperuerit illabenti Spiritui, manus imposuerit, omnes denique dignissimi Apostoli numeros impleverit.

Baronium cunctosque Ecclesiæ Rom. procos hujusce legationis non minimum distædet. Nec immerito, cum Petrum evertat ea dignitatis amplitudine quæ ad sidera usque attollitur. *Cum audiissent Apostoli qui erant Hierosolymis, Sama*[illegible] *recepisse sermonem Dei, ἀπέστειλαν miserunt ad eos Petrum & Joannem.* Qui Græce sciunt, aperte fatentur ἀποστέλλειν indicare nonnullam mittentium in missos autoritatem. De tumultuantibus in Pannonia militibus Dio lib. 7. *Cæterum deliquio Lunæ animis consternati, vi omissa, πρέσβεις δ' αὖθις πρὸς τὸν Τιβέριον ἀπέστειλαν, alios ad Tiberium legatos misere:* Nec Doctissimo Chamiero, aliisque Græcæ linguæ peritissimis omnino consentio, ἀποστέλλειν plus esse quam πέμπειν, cum a Dione de hac ipsa legatione indiscriminatim usurpentur πρέσβεις πρὸς τὸν Τιβέριον ὑπὲρ αὐτῶν ἔπεμψαν, *legatos pro se ad Tiberium miserunt.* De Senioribus a Cen-

Dio l. 7. p. 604.

Centurione ad Jesum missis Lucas c. 7. 3. ἀπέςειλε, quod nescio an ad mandata referri possit: vero similius est Centurionem Seniores Judæorum adiisse precibus. At legatio Petri Joannisque non est ejusmodi; quis enim fingat animo atque cogitatione nullum inesse Senatui Apostolico jus legandi Joannem in Samariam, ut Christi negotia procuraret? Atqui par est hic Joannis Petrique fortuna: pares in legatione, pares in obedientia, pares in labore, ut Joannes Apostolico Collegio non sit inferior, si Petrus superior; nec vice versa Petrus superior, si Joannes inferior. Subsident sane omnibus Collegiis eorum legati, qui partem eorum constituunt, partes quippe totum ipsum eminet. Antequam Papa summum dignitatis adiisset apicem, quo totum orbem Pontificium fulgore occupat suo, Episcopis Romanis legatorum imponebatur Provincia. Justinus Imperator ardore fidei Orthodoxæ satagens hæreticorum extinguere nomen, ubique eorum Ecclesias consecrarat. Quod cum in Italia *Theodoricus Ariana lue pollutus audiisset, Joannem Papam Constantinopolim dirigit,* Paul.Diac. *mandatque ut nisi quantocius Hæreticis Ecclesias suas redderet, universos* lib. 17. De Gest.Rom. *Italiæ populos extingueret*, teste Paulo Diacono. Aliud exemplum non prætereundum ab eodem Autore suppeditatur. *Sentiens Theodatus sibi infensum habere Principem, Beatum Papam Agapitum Constantinopolim dirigit, quatenus apud Justinianum ei factorum impunitatem impetraret.* Eo loci quo res sunt Pontificum, legati ubique terrarum mittuntur, Pontifices nunquam mittuntur: nec mirum, cum summum Ecclesiæ Principem legatio dedeceat. Conventus Apostolicos Petrus se superiores patiebatur, nunc intortis intermortuisque moribus, Papa Oecumenicum Concilium, ut se inferius, superba fronte despicit.

Summis viril nititur Baronius, ut frangat argumentum *Novatorum. Sapiant ipsi hac ratione, & idem dicant quod Arius, Filium, quod a Patre missus sit, esse Patre minorem.* Macte nova virtute, Baroni, sic itur ad purpuram. Scilicet, arcana & Filii & Spiritus Dei missio, quam mente assequi aut cogitatione comprehendere non datur, Petrinæ legationis similitudinem arripit. Quod si Sacrum illud Mysterium perscrutamur, delirasse Baronianum acumen omnibus erit obvium. Summum Filii Numen adoramus, quem Deo *parem* esse declarat Apostolus. Verum in consummata illa Patris & Filii æqualitate, ὑπεροχὴ personalis Patris non deponitur, cum æterni Filii fons æternus sit,

sit, atque Principium. *Sicut enim Pater habet vitam in se ipso, ita dedit Filio habere vitam in se ipso.* Hinc Arianorum flagellum Athanasius, Orat. 2ª. *Pater major est non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo habet ortum Filius.* Cui & una consentit Nazianzenus, *ὑμῶν γὰρ τὸ μεῖζον τῇ τοῦ αἰτίου φύσει διδόντων, αὐτοὶ τὸ τῇ φύσει μεῖζον ἐπάγουσιν. Concedentibus nobis Patrem majorem esse qualitate Principii, continuo colligunt esse natura majorem.* Itaque cum triplici stent ordine Sanctissimæ Trinitatis Personæ, Pater aliarum Principium naturale ac necessarium, a nulla mittitur, quia cæteras eminet dignitate Principii. Qui a Patre mittitur Filius, Spiritum a se manantem mittit; Spiritus vero a quo nulla Persona Divina ducit originem, Filium Patremque non mittit; quod sapientiæ decorique est maxime consentaneum, quia legatio vel in Divinis nescio quam ordinis dignitatem in mittente, præ misso, indicat innuitque; quibus contra Aulæ Romanæ procos, de tam insigni exemplo se jactantes, colligimus, misso perficiendis Samaritanis Petro Conventum Apostolicum dignitate antecelluisse. Similiter cum Antiochenæ conversionis ad Hierosolymitanam Ecclesiam rumor pervenisset, *ἐξαπέστειλαν miserunt Barnabam ut pergeret Antiochiam usque.*

Naziam. Or. 35. p. 572.

Acrior adhuc instat Baronius utilitati Romanæ inserviens. *Adversus Agrippam suum ipsorum Regem miserunt Judæi, non solum ex Primoribus Judæorum decem legatos, sed & cum eis Ismaelem summum Pontificem, & qui hujus secundus ordine videbatur, Chesciam Sacri custodem Ærarii.* Atque quasi ex debellatis Novatoribus spolia ampla retulisset, maximum exclamat, *Ecce quam invalidis & plane inefficacibus rationibus illi obnitantur in primatum Petri, cum omnium Principem eadem hæc ipsa potius declarare videantur.* Sic se cornicum oculos confixisse Purpuratus existimat. Sed immerito, cum legatio Pontificis Ismaelis, argumentum sit potentissimum Senatum Judaicum esse Summo Sacerdote superiorem.

Ingredientibus in Annales Baronianos frequenter incidit summa Pontificis Judaici Majestas, quæ nemini, nisi Deo subdita, in ordinem redigi non poterat. Nec tanta illis esset Dignitatis hujusce cura, nisi sub specie Pontificis Judaici, Romano Episcopo velificarentur. Hoc fundamento innititur exemplum ex Josepho a Cardinali petitum, quo demonstret *inferioris numeri non esse habendum illum qui mittitur ab*

eis qui miserunt. Sed & Anno 57. n. 36. *Summo Pontifici Reges fuisse subditos*, imperite juxta ac audacter scriptum est. Ne ergo diutius aures nostræ similibus sententiis obtundantur, exemplumque Baronianum simul accuratius examinetur, agitanda hic est quæstio de Autoritate Summi Judæorum Sacerdotis.

Pontificem αὐθέντην esse Latinorum omnium sententia est, paucis cordatioribus dissentientibus. Qui porro penitius Hebræorum Scripta scrutati sunt, Italorum opinionem veluti à vero abhorrentem, summo consensu reiiciunt. Doctissimus Seldenus hæc refert ex Gemara Babylonica. כהן גדול שהרג את הנפש במזיד נהרג *Pontifex Maximus homicidii spontanei reus morte plectendus erat; casu seu errore reus, exilio. Si transgrederetur præceptum sive affirmativum, sive negativum, parile erat cum quovis jus e vulgo, idque in causis universis ad eum spectantibus, exceptis quod capitalia ejus judicia ad Synedrium magnum attinuere. Unde Maimonides* כהן גדול שחטא לוקה בשלשה כאשר כל העם וחוזר לגדולתו *Pontifex maxim. flagellandus erat a Triumviris ut reliqui ex populo, & restituebatur dignitati.* Nec hæc sunt somnia ex Eburnea porta; cum Pontificis dignitas pallentes ab eo mores non prohiberet. Parte aliqua temporis quo judices Hebræis præfuere, contigit ut dignitas Pontificia sit translata ex linea Eleazaris natu majoris, ad lineam Ithamaris, quam dignitatem Eli adeptus, illa palam & libere fruebatur, repulsa a summi Pontificatus gubernaculis Eleazari familia, quod luce clarius αὐθεντίαν Pontificalem refellit. Causam ad Sacrificium Jephtigeniæ Lightfootus retulit. *In tota Judicum Historia, nihil omnino invenerimus quod tam verisimiliter pro causa haberi possit depulsæ illius familiæ ab functione Sacerdotali quam quod de Jephte hic reperitur: Nempe quod illi quorum id erat, non instruebant ut illum melius, talemque carnificinam fieri pro sacrificio sunt perpessi.* Hariolatione ejusmodi nil opus est, cum plurimis aliis de causis Eleazaris familia a summo Sacerdotio depelli potuerit. Quæcunque porro abdicationis ratio fuerit, constat Pontifices legibus esse subditos. Light. Chron. Temp. p. 51.

Sed & Regium pertulisse Imperium ex Maimonide contra Baronium ostendi potest, & olim demonstravit doctissime Cunæus. *Id obiter inquit, ex Maimonide referemus.* מצוה על הכהן גדול לכבד את המלך *Sancitum fuit uti Pontifex max. Regem veneraretur, & locum illi suum ad sedendum cederet, atque ipse staret si quando veniret ad eum Rex: At* Cun. de Rep. Heb. l. 1. c. 14.

 e con-

e contra, Rex non stat præsente Pontifice; nisi cum consulit solemni ritu oraculum Urim. Præterea, tanta Regis dignitas est, uti vel ipse Vates quoties ei adest, in terram humiliter se submittat. Quippe scriptum est Nathanem Prophetam venisse coram Rege, & speciei honoris prono ore procubuisse in humum. In Christo sane Regia dignitas munus Sacerdotale superemi-net, cum in Sacerdotem creatus sit ut ad Regis altiorem gradum a-scenderet. An non Abiathari Pontificale munus abdicavit Rex Salo-mo? Quid ad hæc Monarchiarum eversores? *Dico eum non ut Regem, sed ut Prophetam & Exequutorem Divinæ justitiæ deposuisse Abiathar, substituto Sadoch:* quæ Bellarmini responsio est, sed Scripturæ non consentanea. *Et dixit Rex ad Abiathar vade ad agros tuos quia dignus es morte: sed te non interficiam quia portasti Arcam Domini ante David patrem meum.* 1 Reg. 3. 26. An his ullo vestigio Prophetæ munus reperitur? Rex est qui dat veniam ad ignoscendum perduellionis reo: Rex est qui Adonia & Joabi crimen insequitur; hæc Prophetici muneris non sunt: tristes Dei iras denunciat quidem, sed non infligit.

Bell. de Rom. Pont. l. 2. c. 29.

Sua non desunt argumenta Bellarmino. *Dico etiam in Testamento veteri fuisse Pontificem Rege majorem, ut docent Philo libro de victimis, Theodoretus, Quæstione in Leviticum.* Sed & sibi & lectoribus illudit: hæc Theodoretus: *Principem autem qui prætergressus sit legem aliquam, non vitulum, sed hircum aut caprum anniculum offerre jubet, tam procul abest a Sacerdotali dignitate is cui corporeum imperium commissum est.* Esto dignitas Sacerdotalis excellentior & nobilior Regia, ratione & objecti & finis: quidni in politicis subdita erit Regiæ dignitati quæ suo & respectu superior est? Qua vero de causa major victima pro Sacerdote quam pro Principe mactaretur, explicuit Philo. *Decebat autem Principem privato homini præferri vel in Sacrificio, sicut Principi populum, quandoquidem totum est sua parte potius. Pontificem vero æquiparari populo in oblatione, expiatione, impetrandaque peccatorum venia: habetur tamen is honor Pontifici non propter seipsum, sed quia minister est populi, publice vota faciens solvenda totius gentis nomine.* Quæ a Bellarmini mente longe disjuncta sunt. Hoc sibi vult Philo, Sacrificantem Pontificem totius populi præstare vices quocirca pares hujus & illius victimæ. Ergo-ne Pontifex Regium in politicis non perferret imperium? Vel minimo Christianorum major inest dignitas quam Cæsarum, quorum purpura sordet præ nomine *filii* Dei quo Fidelis do-

ınatus eſt; an ideo abjiciet, ac relinquet Imperatorum obedien-ım?

Bellarminum Baroniumque non miror, quod ad cœlum uſque gnitatem Epiſcopi Romani evexerint, ſed ad multam me traduxit lmirationem eruditus Antonius Pagius, Critic. ar. 49. n. 3. *Recen-ırum quorumdam dogma in eo peccat, quod duo Capita, Petrum & Pau-m, in Eccleſia Romana ex æquo conſtituere videtur.... Additamentum illud, : æquo, tanquam a Traditione Antiquorum Patrum alienum, & juri di-no contrarium, merito damnavit Innocentius ſecundus.* Hem illud : *æquo* Traditioni & juri divino contrarium! merito ergo damnatus t Cyprianus. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit & Petrus, ıri conſortio præditi honoris & poteſtatis.* Merito damnatus Oecu-ıenius οὐδὲν ὑστέρησα οὐδὲ ἐνέλιπον ἢ κατόπιν ἦλθον τ περὶ Πέτρον: *ni-lo minor fui, neque inferior aut poſterior Petro.* Merito damnatus :hryſoſtomus in Galatas: δείκνυσιν αὐτοῖς ὁμότιμον ὄντα λοιπὸν καὶ οὐ ῖς ἄλλοις ἑαυτὸν ἀλλὰ τῷ κορυφαίῳ συγκρίνει δεικνὺς ὅτι τῆς αὐτῆς ιας ἀπήλαυσεν ἀξίας. *Jam ſe iis honore parem oſtendit, nec ſe liis, ſed ipſi ſummo comparat, ſignificans utrumque æqualem ſortitum eſſe ignitatem.* Merito damnatus Ambroſiaſter. *Petrum ſolum nominat, & ſibi comparat, quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam, : quoque pari modo electum ut primatum habeat in fundandis Gentium ccleſiis, ita tamen ut & Petrus gentibus prædicaret ſi cauſa fuiſſet, & 'aulus Judæis. Uterque invenitur utrumque feciſſe, ſed tamen plena au-oritas Petro in Judaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta ıutoritas in prædicatione Gentium invenitur.* Si Paulo & Petro par ineſt po-eſtatis & honoris conſortium, ſi Paulus ſummo ſe comparat, ſi Pau-o perfecta autoritas apud Gentes, an non duo Capita ubique terra-um Paulus & Petrus *ex æquo* conſtituta? Non abjicit æqualitatem ırimatus ordinis, qui & in Divinis vigere perhibetur, quemque fa-iles largimur Petro. Pergratum nobis feciſſet Vir eruditus, ſi aperte leclaraſſet quid rei ſit qua Petrus æqualitatem exueret. Dictum olim a Bellarmino, *Petro data eſt maxima poteſtas ut ordinario paſto-ri, cui perpetuo ſuccederetur, aliis vero tanquam delegatis, quibus non ſuccederetur.* Sed conceſſo datum eſſe Petro ſucceſſorem non Pau-lo, quid hoc dignitati Petro apponat ne Paulus *ex æquo* caput Ro-manæ Eccleſiæ conſtituatur nullus video. Moſi ſucceſſor nemo fuit,

Cyprian. De Unit. Eccl.

Oecum. in 2 Cor. c. 11.

Chryſ. In Gal. c. 2.

Amb. in Gal. c. 2.

Bellar. De Pont. Max. L. 1. c. 9

 ſed

ſed ejus non coaluiſſet autoritas ſi deceſſiſſet alicui. Succedatur necne, in minutas partes poteſtas non diſtrahitur, ſed gradus ſui ſervantiſſima inferioris aut ſuperioris inſolens eſt.

ANNO XXXV. NUM. IX.

An Samaritani Spiritum Sanctum a Gentibus ignoratum impugnarint? Baronii incuria. Perſonam Spiritus Sancti perinde Samaritanis ignotam ac Ethnicis, multis probatur. Lapſus Clariſſimi Bezæ. Joannis Baptismo formulam Chriſtianorum in nomine Patris, & Flii, & Spiritus S. affixam non fuiſſe. Quid Spiritus Sanctus Judæis ſignificet? Novus Baronii error circa Epiphanium apud quem de pugna Samaritanorum in Spiritum Sanctum ne μῦ quidem.

ILlapſus Spiritus Sancti in Samaritanos, movit Baronio admirationem, quod tanta gratia illi præ Gentibus, quibus non indultus eſt, indigni viderentur. *Majori admiratione digna res erat in Samaritanos deſcendere Spiritum Sanctum, quam in Gentiles, nam hi an eſſet Spiritus Sanctus ignorabant, hi vero impugnabant.* Quæ accurate ſcripta & cogitata non fuerunt. Animi aciem ad tertiam Beatiſſimæ Trinitatis Perſonam illuſtriſſimus Purpuratus dirigit, quæ a Samaritanis non magis impugnabatur quam ab Ethnicis, cum Trinitatis Myſterium uterque populus ignoraret. Judæi dubio procul illi erant qui Joannis abluti Baptiſmate, dixere Paulo, *ſit-ne Spiritus ne audivimus quidem.* Act. 19. quæ licet ad dona illa eximia Spiritus Sancti quæ tum in Eccleſia vigebant, præcipue pertineant, ad donorum largitorem tertiam Trinitatis perſonam & referri debent: cum formam illam quam affixam novimus Chriſti Baptismo, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Joannes non adhibuerit. Nec aliquid virium eſt argumento Clariſſimi Bezæ. *Abſurdiſſimum fuerit credere eos qui a Joanne Baptizati eſſent, & ſe Chriſti diſcipulos profiterentur, ignoraſſe an eſſet aliquis Spiritus Sanctus quem ipſe Joannes viſibi*

ili ſpecie viderat in Jeſum Chriſtum illabi. Argumentum nihili, ſi ıte Baptizati ſunt quam Chriſtus ad Joannem accederet. Eadem er- ɔ ante patefactum a Chriſto poſt ejus reſurrectionem Trinitatis yſterium, involvebantur ignorantia, Ethnici, Samaritani, imo ut vero- :nillimum, ipſi Judæi, Chriſti temporibus, quo circa eorum animis fu- ɪr additus audito Jeſum & ſe parem Deo facere, quod una Perſona Di- num Numen circumſcriberent. Plures quidem. Divinæ Perſonæ in cris vet. Teſtamenti oraculis paſſim prodeunt coram oculis: quorum præcipuis habendus inſignis ille locus, *Ecce homo ſicut unus e nobis.* :d tria ὑφιστάμενα modo, ordine, ratione agendi diſtincta, aperte ɔn objiciuntur menti: nec mirum, cum gloria Chriſti cumulanda ſet clara tanti myſterii declaratione.

Quid Judæis eſſet Spiritus Sanctus aperuit ex Maimonide Cla- ſſimus Seldenus. Sextuplam explicat Spiritus apud ſuos notitiam. rimam aëris, ſecundam venti, tertiam vitalis Spiritus, quartam ipſius ıimæ rationalis facit: *de quinta, & nomen eſt itidem influentiæ intel- ćtualis divinæ, quæ influit in Prophetas quando prophetant: & de Sexta quit nomen etiam eſt* הכונה והרצון *propoſiti ac voluntatis tam in homine, ıam Deo.* Vulgata erat apud Judæos opinio *a morte Eſræ, Haggai, :achariæ, & Malachiæ, Spiritum Sanctum ab Iſraelitis ablatum.* Quod lin- ua ſua ſic efferunt, נסתלקה רוח הקדש מישראל *Diſceſſit Spiritus Sanctus b Iſrael*: quia motus illi extraordinarii quibus futura canebant, ac mi- ıcula patrabant, pridem evanuerant. Nihil eſt in Vet. Teſtam. uſi- ıtius quam eo nomine ſignificari prophetandi donum: Ezech. c. 11. *piritus Domini irruit in me, & dixit loquere.* 1 Sam. 19. factus eſt ſu- er Saulem *Spiritus Domini.* Cæterum novo errore Baronius teſtem lduxit Epiphanium probandæ Samaritanorum in Spiritum Sanctum ıgnæ. At hic ut & alibi ſæpius, Baronius æquum magis ac benig- ım, quam accuratum & ſeverum lectorem exigit. De Samarita- is ſic Epiphanius Hær. 9. Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ προσδέχονται, καὶ γὰρ γινώσκουσιν. *Spiritum Sanctum non recipiunt quem utique neſciunt.* Hocci- e eſt impugnare Spiritum Sanctum?

Seld. De Synedr. L. 2. c. 4.

ANNO XXXV. NUM. II.

De ſacri Theſauri Cuſtode. Γαζοφυλάκιον *quid ſignificet*

 Joan-

Joanni.8. 20. Vocis explicatio, unde occasio de Vellere aureo arrepta. Gazophylacium novo Testamento Homonymum, quod & comprobatur autore Josepho. Sacri Ærarii opes. An servandis tantis opibus unus praefectus? Affirmantis Baronii opinio Rabbinorum placitis contraria. De Catholicanis, eorumque munere. De binis sacri Thesauri Custodibus, sive Catholicanis Traditio a Josepho diffidens. Unum fuisse Ærario praefectum multis rationibus ostenditur. An Custos ille Pontifici dignitate proximus? Affirmantis Baronii sententia rejicitur. An perpetuus Sagan Custodem Ærarii emineret? Saganis munus ad examen revocatum. Figmentum esse Rabbinorum, contra Scaligerum, Casaubonum, Lightfootum, ex ratione & Josepho declaratur. An Anna Ἀρχιερεὺς *Luc. 3. fuerit Sagan. Scaligeri aliorumque sententia confutatur. An Anna Pontificatus dignitatem civilem designet: Seldeni, Baroniique opinio refellitur. Vero propius alternis Cajapham Annamque functos esse Pontificatu. Lapsus Casauboni circa Josephum.*

QUa confidentia de rebus Judaïcis parum sibi compertis loqui solitus fuerit illustrissimus Purpuratus, eximie declarant quae hic ab illo scribuntur; Judaeos nempe ad Neronem misisse Ismaelem Summum Pontificem, *& qui huic secundus ordine videbatur, Chelciam sacri Custodem Ærarii.* Quae pauca licet, magnam tamen aperiunt viam illustrandae Antiquitati. Praemissis nonnullis de Thesauro sacro Judaeorum, examinabimus an unus vel plures, Ærario custodes impositi? Deinde videbimus num Custos ille dignitati Pontificali proximus esset? Denique tractabimus Quaestionem, utrum *Sagani* honor ille adjungi debeat; quod a Viris praestantissimis creditum est.

De

De Christo docente verba faciens Joannes, *hæc verba locutus est*, inquit, ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ *in Gazophylacio*, sive Ærario. Gazophylacium Syrogræca vox est: Gaza quippe Thesaurum, & divitias Syris sonat. *Et Troja gaza per undas.* Atque hinc nunquam sine præfato honore nominandus, Samuel Bochartus, docte & solerter more suo, de aureo Vellere fabulæ pandit arcana. *Quin & tota de aureo Vellere fabula videtur sumpsisse originem ex Homonymia vocis Syræ* גזא *quæ & Gazam, & vellus significat. Proinde Vellus illud aureum, nil quicquam fuit quam Gaza, seu Thesaurus Regius quem Argonautæ expilarunt. Tale est quod* שור *murum & Taurum significat,* נחש *æs & Draconem. Qua Homonymia abusi, ut innuerent Ærarium in Arce servari muro duplici cincta, & aheneis portis obserata, duos Tauros finxerunt & Draconem aurei Velleris custodem esse.* Virg. Æneid. Phal. L. 4. c. 31. p. 328.

Mirum forsan alicui videbitur, quod Christus in Gazophylacio de rebus divinis differuerit, cum ad docendum locus patens omnibus eligi debuerit; Ærarium autem plebi inaccessum. Nec tanta fuit Christo cum Sacerdotibus cognatio, ut in sacro, & paucis pervio loco, dicere de Religione permitteretur. Audiamus Josephum. Pompeius una cum suis comitibus in Templum ingressus, ubi neminem præter pontificem adesse fas erat, quæ intus erant candelabra cum lychnis & mensis, & vascula ex auro cuncta spectavit. Πλῆθος τε ἀρωμάτων σεσωρευμένων καὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων εἰς τάλαντα δισχίλια. *Congestam aromatum molem, sacraque pecunia ad duo Talentorum millia.* Nihil autem gravius in clade Judaica visum, quam arcana illa detecta. Nodus illa latitudine vocis commode solvitur. Gazophylacium non conclave sonat apud Joannem, sed Atrium mulierum in quo arculæ recipiendis Eleemosynis constitutæ, quod potentissimis Luca, Josephoque testibus firmamus. *Respiciens vero Christus, vidit divites immittentes dona* εἰς τὸ γαζοφυλάκιον *in Gazophylacium: Vidit etiam quandam viduam pauperculam immittentem* ἐκεῖ *illuc minuta duo.* An in Conclave secretum ubi collecta pecunia recondebatur? Atqui mulieribus ultra Atrium suum progredi non dabatur. Sed & Josephus memorat in eodem atrio Gazophylacium. Αἱ δὲ στοαὶ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων σφόδρα καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. *Porticus procurrentes inter portas a muro interius protensæ ante Gazophylacia, pulchris* Joseph. De Bello L. 1. c. 5. p. 720. Luc. 21. 1. Joseph. de Bello L. 5. c. 14.

chris & grandibus sustentabantur columnis. Apud Marcum cap. 12. arculæ in mulierum atrio significantur, *sedens Christus ex adverso Gazophylacii*, hoc est, arculæ in Atrio constitutæ, ut turbam dona sua immitentem cerneret, sicque charitatem laudibus efferret. Quid igitur miri deductum ab arculis nomen, atrio mulierum fuisse impositum?

Plures ex Josepho tenemus arculas, quas שפרות Tubas vocabant: ad tredecim usque excrevisse memorant. Additum a forma nomen quia tubarum instar angustiores superius, inferius dilatabantur: quas in Conclave evacuabant ubi tres cistæ tribus Alphabeti literis insignitæ, אבג ut suo ordine impletæ, evacuarentur. Hac pecunia emebantur quæ ad sacra erant necessaria; thus, lignum, sal, libamina, juge Sacrificium, vestes Sacerdotales, & omnia quæ pertinuere ad Templi ministerium. Imo deploratis rebus Judæorum, suppeditato Thesauro, pii Reges & Templo, & sibi salutem redemere. Fuit & apud Ethnicos sacrum in Deorum Templis Ærarium. *Ædem Saturni*, inquit Macrobius, *Romani Ærarium esse voluerunt, quod tempore quo incoluit Italiam, fertur in ejus finibus nullum esse furtum commissum, aut quia sub illo nil erat cujusquam privatum.*

Nec signare solum, aut partiri limite campum
Fas erat.

In medium quærebant omnia. Ærarium etiam apud Athenienses, cella erat post ædem Minervæ, ob id ὀπισθόδομος dictum. Locupletissimus etiam Delphici Apollinis Thesaurus fuit, cui inhians Brennus *scurriliter jocabatur locupletes Deos largiri hominibus oportere.* Statuarum cum quadrigis ingens copia procul visebatur solido auro fusarum. Sed Delphicum Thesaurum, ni fallor, superabat Hierosolymitanus, constans magna auri, & rudis & signati, copia quam impius ille Crassus abstulit. *Duo scilicet Talentorum millia; aurum præterea, cujus summa accedebat ad octo Talentorum millia.* Λαμβάνει δὲ δοκὸν ὁλοσφυρήλατον χρυσῆν ἐκ μνῶν τριακοσίων πεποιημένην. Ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἔχει λίτρας β καὶ ἥμισυ. *Tulit etiam trabem ex auros solidam, trecentas minas pendentem, mina autem apud nos constat duabus libris cum dimidia.* Tantis opibus Refertum esse Templum nil miri, cum omnes ubique terrarum Judæi Deum venerabundi, tam ex Europa quam ex Asia longo tempore huc eas contulerint. Accedit quod nullus Judæis publicus Thesaurus, ut ob-

Justin. L. 24.

Joseph. Aut L. 14. c. 13. p. 478.

›servatum a Josepho. Ἡμῖν δὲ δημόσια χρήματα οὐκ ἔστιν ἢ τὰ τοῦ θεοῦ μόνα: *nobis autem nulla est publica pecunia præter hanc Deo Sacram.*

Agitanda nunc est quæstio, an unus pluresve custodes tantis opi-ıs servandis impositi? Quin Hebræorum peritis pœnas det Anna-ım parens nullus dubito, cum in numero sacri Ærarii custodum ›n unum, sed duos collocent, quibus *Catholicanorum* nomen ad-tum. Liceat hic mihi pauca verba referre Clar. Lightfootii. *Aut ipse laimonides, aut ejus librarius duplicem exhibuit hujus vocis lectionem. egimus enim modo* קתיקולין *modo* קתילוקין· *Atque ad hanc posteriorem le-ionem magis accedit Thalmud Hierosolymitanum, aliique Judæi, qui vocem : efferunt Katholikin, Catholici. Glossa interpretatur* ממנים על אוצרות, *æfectos Thesauris. Et apud alios quidem autores occurrit aliquando ad gnificandum præcipuos Thesaurarios, aliquando vero præcipuos ministros, seu nicos Principis. Katholicani olim apud Jurisconsultos dicebantur Ra-onum præfecti, ut observatum est ab eruditissimo Buxtorfio. Duo ant Viri qui Amplissimo munere in Templo fungebantur, & quibus ıperiores erant tantum duo alii, nempe summus Sacerdos & Sagan. t cum essent tres præfecti Gazophylacio Templi, ut statim videbimus, hi uo erant præcipui præfecti Ærario, qui rationem repetebant a tribus illis.... Aaimonides brevem hanc tradit descriptionem horum Catholicorum:* ממנין קתיקולין להיות לסגן כסגן הכוהן לכהן גד. *Constituebant Cathicolin ut ssent τῷ Sagan, quod ipse Sagan erat summo Sacerdoti, Vicarii nem-e ejus, adjutores, & dignitate ac honore proximi.* Quibus Light-ootianis cadit Baronio sententia. Nec *unus* fuit ærarii præfectus, *ec fuit Pontifici ordine secundus*, sed duo agnoscendi sunt Ærarii ustodes, quos Sagan eminebat.

De Minist. Temp. p. 688.

Re tamen pensitata accuratius, de uno Ærarii præfecto Baronius rroris est absolvendus si Josepho fides, qui Rabbinis, & Maimoni-i optimo jure videtur antehabendus. Nec ullus animo & cogi-ıtione fingere potest, bina hæc Catholicanorum sive ærarii præ-ectorum egregia munera, Josephum Templi sacerdotem latuisse. Atqui nonnulla nemorat quæ unum fuisse Ærario impositum aperte atis innuunt, indicantque. Immanis avaritia Crassi Hierosolymitano Thesauro inhians abstulit & signatum, & rude aurum, necnon nsignem illam trabem ex auro solido. Παρέδωκε γὰρ αὐτῷ ταυτὴν τὴν δοκὸν ὁ τῶν θησαυρῶν φύλαξ ἱερεὺς Ἐλεάζαρος ὄνομα. Hanc ei

Josep. Antiq. L. 14. c. 12. p. 478.

Trabem tradidit Sacerdos ſacri Theſauri cuſtos Eleazar. Dicendum erat alter *cuſtodum Ærarii*, ſi duo Viri huic muneri præponebantur. Expertem porro collegæ fuiſſe Eleazarum vincunt illa Joſephi. Ἡ δ' δοκὸς αὐτὴ ἦν ἐν ξυλίνῃ δοκῷ κενῇ, καὶ τοῦτο τοὺς μὲν ἄλλους ἐλάνθανεν ἅπαντας. *Hac Trabs inſerta erat Trabi cava lignea, quod cæteris omnibus ignotum ſolus ſciebat* Eleazarus. Jam vero Eleazar collegam & teſtem, & conſcium trabis habuiſſet, nec ſine ejus conſenſu tantam auri copiam ad Craſſum detuliſſet, ne in temeritatis & imprudentiæ notam ſolus incurreret.

Cum Hieroſolymitani Proceres altum parietem excitaſſent qui Regis Agrippæ proſpectum arcebat, eorum audacia offenſi fuere tum Rex, cum Feſtus præſes Provinciæ. Itaque Feſtus parietem dirui
Joſ. Ant. L. 20. c. 7. p. 697. juſſit; qua de re ad Cæſarem Judæi legatos miſere. Πέμπουσιν ἐξ αὐτῶν πρὸς Νέρωνα τοὺς πρώτους δέκα, καὶ Ἰσμαήλον τὸν ἀρχιερέα καὶ Ἑλκίαν τὸν Γαζοφυλάκα. *Miſerunt ad Neronem decem cives eximios, & Ismaëlem ſummum Pontificem, & Helciam Cuſtodem ſacri Ærarii.* Ecce iterum unus Theſauri ſacri cuſtos. Quid vero tam peregrinum auribus, quam phraſis Joſephi, ſi Catholicanos probe cognitos habuit? Alterum Quæſtorum Ærarii, vel primum Cuſtodem diſcriminis cauſa dixiſſet, non ſimpliciter *Cuſtodem*; quibus apparet par illud Catholicanorum ſomnium eſſe Rabbinorum, cui fides adjungi non debuit. In Scriptura ſane duorum Ærario præfectorum neque vola neque veſtigium. Eo magis bini illi Catholicani fabulam redolent, quod *finguntur eſſe τῷ Sagan, quod ipſe Sagan erat ſummo Sacerdoti.* Jam vero Saganis perpetuum munus, ad Judæorum commenta relegandum eſſe complurimis argumentis mox oſtendemus. Nihilominus a ſua opinione Baronius deſiſtere debuit, cum qui dicebatur *ſecundus* ſacerdos, Pontificali dignitati proximus eſſet. Qua de cauſa 2 Reg. c. 25. 18. ſcriptum, Nebuzardam cœpit *Serajam primum ſacerdotem, & Sophoniam ſecundum.*

Duo munera ſupereminuiſſe Ærarii Cuſtodem a veri ſpecie non ab-
Cun. de Hebr. l. 2. c. 20. ludit: & Vicarii ſcilicet, qui ſacro Expiationum die ſufficiebatur Pontifici, & *Uncti* belli officia. De *Uncto*, hæc Doctiſſimus Cunæus, *In Bello, tam quod gerebatur pro imperio, quam quod lege divina indictum fuit, ſacerdotem creabant qui exercitum alloqueretur ſub tempus prælii, ungebantque eum oleo ſacro: atque hic ille eſt, qui* משוח המלחמה *hoc eſt, prælii cauſa unctus dice-*

licebatur. Oratio ejus qua ad populum usus est, recitatur, Deut.c.20. *Audite Israelitæ. Vos proceditis hodie in prælium contra hostes vestros: ne mollescat cor vestrum, neu trepidate, aut expavescite metu eorum; progreditur enim vobiscum in expeditione Deus vester, pugnatque cum hostibus vestris, ut servet vos.* Legatur & Scihkardus de Jure Regio Hebr. p. 140.

In Quæstionem magni momenti incidimus, an fuerit aliquod munus Saganatus nomine donatum, quod proximum Pontifici, Ærarii Præfectum emineret? Quibus imperiis res nominum ita Rabbini rexerint, ut Pontificis Max. Vicario titulum ſ Sagan adderent, observatum non memini. De nominibus litem intendo nemini, etsi pro certo sciam in Sacra Pagina vocem illam munus sacerdotale non significare. Esaiæ c. 41. v. 25. ויבא סגנים כמו חמר *& invadet magistratus*, vel ut Biblia Tremellii, *qui veniens proculcet antistites tanquam lutum.* & Jerem. 51. 57. ubi Deus horribilia minatur Hierosolymis והשכרתי סגניה *& inebriabo Saganim ejus.* Hic & ibi *Saganim* aliud prorsus significat quam pontificis Max. *Vicarium.* Unicus quippe Vicarius ille, plures vero Saganim, ut non immerito ad dignitates politicas vocem hanc quis retulerit.

Rem quod attinet, munus illud perpetui Vicarii Pontificis vidisse sibi videntur Jer. 52. v. 24. Apud quem apparent *Seraja sacerdos primarius, & Sephania* כהן המשנה *sacerdos secundarius.* Non omnes quidem uno ordine habendos esse sacerdotes scimus, & tenemus, docente in Vita sua Josepho. *Ego autem non solum ex sacerdotum oriundus sum genere, verum etiam ex vice prima inter viginti quatuor illas.* Πολλὴ δὲ κἀν τούτῳ διάφορα, *quas inter non minimum discriminis.* An vero Pontificis perpetuus aliquis Vicarius fuerit, diligenter est examinandum?

A Magno Scaligero hæc monemur in Prolegomenis ad Chronologiam Eusebii. *Sagan ea de causa Summo Sacerdoti socius dabatur, ut si per morbum, aut propter aliam causam sonticam, ille non posset obire ea munia quæ neminem præter solum Summum Sacerdotem obire fas esset, Vicarius eam necessitatem expleret, præsertim in decima Tisri, quando Sacerdos in Sancta Adyta ingrediebatur, in quæ nulli alii sacerdoti præter quam ipsi ingredi liceret, aut Vicario ejus, si ille morbo impeditus aut ὀνειρωγμῷ, quod ipsi vocant* קרי *pollutus id præstare non posset.... Ideo tanta autoritas illius Vicarii erat, ut minimo minus alter Pontifex esset.* Atque ejusmodi jactis fundamentis, sententiam suam de Anna, Caja-

 pha

phæ Vicario, ædificans, damnat Eusebium inscitiæ, quod tam Annam, quam Cajapham putavit esse Summum Pontificem. Immani sua eruditione ductorem se multis Vir ille magnus præbuit. Verum hic aqua hæret.

Muneris pontificalis functiones erant communes, vel speciales. Omnibus sacerdotibus fas erat, & victimarum sanguinem ad æneum Altare fundere, & Aræ aureæ thura imponere. Proprius vero Pontifici Max. ingressus in Sancta Sanctorum fuit, quæ Divinus Autor Epistolæ ad Hebræos fuse exequitur c. 9. v. 7. *In prius quidem Tabernaculum quovis tempore ingrediuntur sacerdotes qui cultus obeunt, in secundum autem semel quotannis solus Pontifex.* Magno Sacerdoti opus nil fuit perpetuo Sagane, mactandis victimis, sanguini ad altare fundendo, fibris ardenti foco imponendis: hæc, quippe, faciendi cunctis sacerdotibus indita potestas fuit. Ut porro Pontifici polluto, vel laboranti, vicaria impenderetur opera cum sacra Adyta ingredi necesse fuit, Sagane perpetuo opus non fuit. Quid si perpetuus ille Sagan decubuisset, aut maculam, perinde atque Pontifex, contraxisset, quod plerumque contigisse in dubitationem adduci nequit, cui usui munus ejus haberetur? Cessasset profecto, ad sacra in Adytis perpetranda prorsus inutile: sed Vicario Vicarius substituendus fuisset.

Præterea: perpetui Saganis non modo Josephus sacerdos insolens fuit, sed & argumenta suppeditavit quibus funditus evertitur, atque perimitur. Matthiæ Summo Sacerdoti accidit alium pontificem ad unum diem substitui, qua Judæi populariter jejunium celebrant.

Jos. Ant. l. 17. c. 8. Ἀιτία δέ ἐςιν ἥδε. ὁ Ματθίας ἱερωμένος ἐν νύκτι τῇ φερούσῃ εἰς ἡμέραν ἣ νηςεία ἐνίςατο, ἔδοξεν ἐν ὀνείρατι ὁμιλῆσαι γυναικί. καὶ διὰ τὸ ... μὴ δυναμένου ἱερουργεῖν, Ἰώσηππος ὁ Ἐλλήμου συνιερᾶσατο. *Nam Matthias ea nocte qua præcedebat jejunii diem, visus est sibi per somnium cum uxore congredi; & cum ad rem divinam faciendam ob hoc non esset idoneus, Josephus Ellemi filius vice ejus sacrum obiit munus, propter cognationem.* Quid est refellere Saganis perpetui munus, si hoc non est? Συμβαίνει καὶ ἕτερον ἀρχιερέα καλαςῆναι πρὸς μίαν ἡμέραν, *contingit ut alius Pontifex ad unam diem constitueretur.* Atqui nec ullus constitui debuit, cum Sagan vi muneris sui Pontificis Matthiæ vices implevisset; nec *in diem* constitui oportuit, si unus ad vitæ totius curriculum Vicarius eligeretur.

Aliquid

Aliquid etiam argumenti in perpetuum Saganem res Judæorum meditanti sufficiunt. Tanta, ut ajunt secundum Scaligerum, hujusce muneris dignitas fuit, ut Sagan *minimo minus alter Pontifex fuerit*. In illa conversione rerum & perturbatione, qua contigit ut & dignitates essent venales apud Judæos, & pluribus mutationibus obnoxius Pontificatus, impossibile prorsus est, quin sacra honorum fames ut Pontificatui, sic Saganatui non inhiaret, quo ad Summi Sacerdotii fastigium pene ascendebatur. Atqui apparent in Josepho multæ circa sacerdotium mutationes, inclinata Hebræorum Republica. Post tertium mensem ablatum Ananiæ Pontificatum, & Jesu Damnæi filio ab Agrippa Rege concessum, nullaque stemmatis habita ratione, Romanorum ad libitum Pontifices creatos legimus: Venale officium Saganis, aut alicui abdicatum non legimus. Mirum, si perpetuorum munerum loco haberetur. Denique an perpetuus Sagan ex ipso Maimonide non evertatur, judicent Eruditi ex ejus verbis quæ leguntur apud eruditum Cunæum. *Positum in more fuit, ut Pontifici constituerent quendam alterum Pontificem. Nam si quid ei contigisset quo impuratus videretur, alter ille vice ejus rem sacram faciebat. Caterum Vicario huic, qui pro illo in Adyta ibat, non opus initiatione fuit, sive contaminari Pontificem ante juge sacrificium matutinum, sive post oblationes peractas contigisset. Quam primum autem dies expiationum præteriisset, prior ille redibat ad munia sua: Vicarius autem se abdicabat. Quod si prior moriebatur, alter ille in ejus locum substitutus est.* An opus fuit Vicario perpetuo peragendis unius diei functionibus? Itaque nullum nisi ἐφήμερον Pontificis Vicarium novimus, qui, cum opus erat, in vicem Summi Sacerdotis sufficiebatur sacris Adytorum peragendis; quod id munus, nullum jus potestasve ex sanguinis cognatione nisi ex æquo & bono conferebatur, sed pendebat ex eligentium nutu & arbitrio. Cun. de Rep. Hebr. l. 2. c. 6.

Verba Lucæ quæ in stellas nebulosas non immerito referuntur, ad suum perpetuum Saganem Viri Maximi accommodare conantur, ἐπ' ἀρχιερέων: *sub Pontificibus Max. Anna & Cajapha.* Qui locus celeberrimus torsit interpretes & veteres, & novos. Hem bini simul pontifices; monstrum horrendum, sacrorumque pernicies. *Inscitia rerum Judaicarum hæc est*, inquit eruditissimus Scaliger, *quod tam Annam, quam Cajapham apud Lucam Eusebius putavit esse Summum Pontificem, cum tamen Annas non fuerit* ἀρχιερεὺς *vere, sed ut* Luc. 3. 2.

Ecclesia Constantinopolitana loquitur πρωτοσυγκέλλος τ͂ ἀρχιερέως.... *Judaice* סגן כהן הגדול *Vicarius Summi Pontificis.* Scaligero autem summi Viri se socios addidere Casaubonus, Lightfootus, aliique complures. Ab hac sententia revocamus animos, cum perpetuo Sagani innitatur, cujus munus Argumentis persuasibilibus supra concussum. Deinde nomen ἀρχιερέως valde incommode perpetuo Sagani inureretur. Id nominis bifariam solum accipi a Viris θεοπνεύστοις memini. Ἁπλῶς, scilicet, ut absolutam suis numeris, plenamque Pontificalem dignitatem exhibeat; Sic Aaron, ac Jehojada, Summos egere sacerdotes, omnibus & Levitarum, & Sacerdotum ordinibus superiores, omniumque sacrorum nactos potestatem: Κατά τι summus sacerdos ille est, qui classis sacerdotalis præfectus est princeps. Diviso quippe in certas classes toto sacerdotum grege, qui illis præfuere nomen gerebant *Pontificum.* Qui principes dicebantur, Hebræis ראשי האבות Græcis erant, ἄρχοντες τῶν πατρίων τῶν ἱερέων. *Principes familiarum sacerdotalium.* Talis ille Sceva ὁ ἀρχιερεύς, Act. 19. 4. nec a Luca Mattheus abludit, *& congregatus omnibus primariis sacerdobus.* Nec immerito classium ductores tanto nomine insigniti, quippe qui neminem in sua classe superiorem, omnes vero inferiores habuere. Qua igitur ratione Sagan nomen ἀρχιερέως occupabit? erit ne simpliciter Summus? At Majoris Vicarius. An certo respectu, quatenus Classis princeps fuit? at munus Saganicum id necessario non involvit; nec Anna eo dictus Pontifex, quod Classium Capitibus insereretur.

Scalig. Proleg. in Euf. Chr.

2 Paral. 24. 6.

Matth. 2. 4.

Doctissimum Seldenum alia imbuit opinio. *Existimarim Annam & Cajapham Pontifices simul a Luca dictos, non qua Sacra functionis dignitas illo nomine denotatur, sed qua Civilis eorum administratio ad ipsum annum indicandum denotaretur.* At, pace Viri magni, fallacem in sententiam omniumque pessimam propendet. An ἀρχιερεύς civilem dignitatem significat? An verba aptiora Lucæ deerant designando muneri politico? An vocis ἄρχοντος ignarus? Cum Regia, sacerdotalisque dignitas in unum hominem confluxere, suo discrimine, non exiguo sane, distincta sunt. Sic Melchisedec, Rex Salem, Altissimique Sacerdos. Virgilius:

Seld. de Succ. in Pont. c. 12.

Rex Anius, idemque hominum Phœbique Sacerdos.

De

ɔe honore ab Athenienſibus Hyrcano habito, Joſephus, Ὑρκανὸς Ἀλεξάνδρου ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης τῶν Ἰουδαίων. *Hyrcanus Alexandri Pontifex Judaeorum, & Ethnarca.* Gemina eſt, & maxime ſimillima Seldeniana ſententia, temeritate erroreque Baroniano. *Anna cum eſſet Synedrii Princeps, merito, ſicut & Caiphas, Princeps ſacerdotum dicebatur.* Erraverat olim cum illuſtriſſimo Purpurato eruditus Lightfootus, cui peccati cauſam dederat Baronianæ eruditionis fama. Sed agnito errore finem peccandi fecit. *Exiſtimavi*, inquit Vir candidus, *Annam vocari Summum Sacerdotem, ut pote ſacerdotem, & Principem Synedrii: qua in re nimium credidi Baronio, Viro Antiquitatum Chriſtianarum multo peritiori quam Judaicarum.* Emendati porro erroris inſignem rationem attulit, qua & Seldenus & Baronius prorſus configuntur. *Sed jam inveni neminem unquam ejus nominis fuiſſe Principem Synedrii.* Recte: Itaque civilis adminiſtratio Annæ, quam nullam exercuit, voce ἀρχιερέως indicari non potuit. Sequentia vero Lightfootiana laudare nequeo; *Ideoque eo inducor ut credam hunc Annam vocatum Summum Sacerdotem, quia reipſa eo munere functus fuerat, licet tum exautoratum, & obtinentem munus* ʂ *Sagan ſub Caipha.* Abdicatum a Pontificatu retinere adhuc & Summi Sacerdotis nomen nil novi eſſet, aut inſoliti. Sed quæſtionis eſt num Anna ſua tunc dignitate Pontificali ſpoliatus fuerit: & Saganis munus explofum obtrudi non debet.

Joſeph. Antiq. l. 14. 16. p. 482.

Quam illuſtris Scaliger improbavit in Euſebio ſententiam, ſale nonnullo conditam, ambabus ulnis amplector. Rebus Judaicis perturbatis atque confuſis duos ſimul egiſſe ſummos Pontifices mihi vero-ſimillimum. Quæ ut explicentur accuratius, in Pontificatu & munus, & muneris functiones attendi debent. Dignitate pontificali Anna, Cajaphasque ſimul inſignes, officio fungebantur alternis, quod omnem extra dubitationis aleam videtur a Joanne poſitum, erat inquit, *Pontifex Max. anni illius.* Quis niſi præjudiciis æger annuum Pontificatum non videat? Totos annos ſeptem ſi continuatas Pontificatus functiones Cajaphas obiit, quid ſibi vult *Pontifex anni iſtius*? An non & ſuperioris, & ſequentis anni Pontifex? Pependiſſe igitur interrupta Cajaphæ munia concedendum, ſi verum tueri ac retinere ſententia eſt. Itaque Anno Chriſti emortualem excipiente, Anna a Luca Summus Sacerdos vocatur, Cajaphæque nullo dignitatis

Joan. c. 11. 51.

Act. 4. 6.

dignitatis Pontificiæ titulo decorato præponitur. Quid igitur miri in numero locoque Pontificum Lucam habuisse homines Pontificali non modo dignitate ornatos, sed & alternis vicibus sacra munia obeuntes? Honorarius profecto titulus, si Anna fuit exautoratus, satis esse non videtur, ejus nomine Annalibus, annisque publica memoria consignandis. Pontificalis & Juris vestigia atque fundamenta superesse debuerunt. Alioquin & Simonem Camithi filium, Cajaphæ decessorem potius quam Annam, quem inter & Cajapham, tres Pontifices, Ismaël, Eleazar, Simo inserti fuerant, Lucas commemorare debuit.

Uter ergo, Anna, vel Cajaphas, Anno Tiberii decimo quinto Pontificem Max. exercuit? Hic iterum cum summis Viris prælium manibus facere cogor. Pro Cajaphæ Vicario Anna a Scaligero, Casaubono, Lightfooto habitus est. Quanti Viri quibus ego congressus impar! Meo tamen judicio, si Anna Sagan erat, Cajaphæ Pontifici præponi non debuit, sed ne etiam potuit absque Pontificalis dignitatis injuria, quam immerenti Lucam obtulisse nulla suadet ratio. *Sub pontificibus maximis Anna, & Cajapha, factum est verbum Domini ad Joannem.* Constat ex versu superiori Lucam ordinis fuisse observantissimum, in signando muneris Baptistæ anno. *Pontio Pilato procurante Judæam, Tetrarcha Galilææ Herode, Philippo Tetrarcha Ituraæ, & Trachonitidis Regionis, Lysania Abilenes Tetrarcha.* Tam sapienter in enumerandis politicis dignitatibus institutum ordinem, cur in Ecclesiasticis recensendis perturbasset Lucas? qua de causa superiorem inferiori, Summum Sacerdotem Vicario posthabuisset? non igitur Anna pontificis Vicarius, sed germanus hujusce anni Pontifex vice sua sacris operabatur.

Casaub. Exerc. 13. ad an. 31. n. 8. p. 213. Atque hic vir oculatissimus juxta ac Doctissimus Casaubonus falso, ut opinor, propius abest. *Fuisse autem Cajapham Summum Pontificem anno Tiberii 15. Josephi Historia ostendit. Nam apud Josephum Lib. 18. c. 3. Valerius Gratus Pilati decessor, post annorum undecim procurationem constituit Summum Pontificem Cajapham, quem ad Vitellii adventum perseverasse in ea dignitate idem est autor. Totos igitur annos septem fuit hic pontifex Max. & aliquando amplius.* Hic Casaubonum limati politique judicii virum quærimus in Casaubono. Gratus, abdicato Anano, Ismaëlem Fabi filium jussit esse Pontificem: quo paulo post dejecto

ĉto, in Eleazarum Anani Pontificis filium, illum honorem translit. Ἐνιαυτῷ δὲ διαγενομένῳ καὶ τὸν δὲ παύσας Σιμῶνι τῷ Καμίθου ν ἀρχιερωσύνην παραδίδωσιν. Οὐ πλέον καὶ τῷ δὲ ἐνιαυτῷ τὴν τιὶν ἔχοντι διεγένετο χρόνος καὶ Ἰώσηππος ὁ Καΐαφας διάδοχος ἦν αὐτῷ. *apso deinde anno & hunc redegit in ordinem, & Simoni Camithi fi- Pontificatum tribuit. Hic quoque anno in hac dignitate exacto jussus l eam cedere Josepho qui cognominabatur Cajaphas. His ita gestis, ratus Romam repetit, in Judæa annis* 11. *exactis.* Hæc Josephus, on illud vero quod imaginatur Casaubonus: *post undecim annorum ocurationem constituit Summum Pontificem Cajapham:* quæ a Josepho screpant. Alioquin post abdicatam Judææ præfecturam Pontifili dignitate Cajapham ornasset. Quo Grati anno, an ultimo, vel :nultimo Cajaphas creatus in Pontificem, non est a Josepho meoriæ proditum. Jos. Ant. l. 18.c.3.p.619.

Sed majus in vitium incidit Vir ille Clarissimus. *Septem*, videlicet, *inos, & aliquanto amplius*, Pontificatui Cajaphæ contribuit ad Vitellii lventum usque, cujus autoritate abdicatus. A Grato vero decessore l successorem Vitellium anni undecim interfuere. Καὶ Πιλάτος δέκα τῶν διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίοις, εἰς Ῥώμην ἠπείγετο. *Pilatus decem inis exactis in Judæa, Romam iter suscepit.* Quibus si undeciium Grati annum, & primum Vitellii adjunxeris, ad duodeciium Pontificatus Cajaphæ ineuntem, *non septimum*, octavumve per:neris. Denique annos continui Pontificatus labentes sibi finxit Caubonus, quæ Joanni nullo modo consentiunt testi & oculato, & ὀπτικῷ. Equidem ex Josepho colligere par est insignem in gerendo ontificatu mutationem, quæ perpetuam dignitatem in annuam præcturam redegerat. Adeoque nil miri Annam, Cajaphamque alterı vice sacris operantes exhiberi. Eo forsan referri potest illud de nna Josephi, καὶ πρότερος τῆς τιμῆς ἐπὶ πλεῖστον ἀπολαύσας. Et *e prius dignitate hac Pontificali ad satietatem perfunctus est.* Donas Summo Sacerdotio fuerat a Quirinio, anno, post victum a Cæsare ugusto Antonium, *trigesimo septimo.* Joseph. Ant. l. 18. c. 3. Anıs ille Julianus est 52. Christi septimus. A Valerio Grato non mul› post quam a Tiberio Judææ impositus est, abdicatus Ananus circa ınum Tiberii quartum, Christi decimum septimum. Si ad Ponficatum nunquam rediit Anna, hoc egregio munere annis non am- Joseph. Ant. l. 18. c. 5. p. 62. Joseph. Ant. l. 20. c. 8.

H plius

plius decem perfunctus est, quod temporis spatium vix æquare potest diuturnum illum Pontificatum quem pene ad satietatem obiit. Dum in hac perdifficili quæstione animum voluto, mihi non improbabile videtur Annam pactis Cajaphæ nuptiis filiæ, ad Summi Sacerdotii functiones rediisse alternis exercendas; jusque datum genero a Romanis, ejus consensu ad socerum pervenisse.

ANNO XXXV. NUM. XIII.

De impositione manuum. Non incognita Ethnicis ceremonia. Numa Pompilius imposita manu consecratus. Ritus ille apud Judæos frequenter usurpatus. Ratio hujus disciplinæ. Sententiæ Grotii & Sanctii rejiciuntur. Alia verosimilior. Variæ species impositionis manuum. 1°. Consecrandis victimis adhibita. 2°. Benedicendis adjuncta, quæ teste Tertulliano, manavit in Baptisma. 3°. Χειροθεσία ad sanandos Ægros, cui inserenda illa Ananiæ apud Lucam. 4°. Ad consecrandos Presbyteros. An à Judæis in ordinandis suis Presbyteris adhibita? Sententia Lightfoti freti autoritate Maimonidis rejicitur. Verosimilius χειροθεσίαν à Judæis fuisse adhibitam ævo Christi. De impositione manuum apud Christianos. 1. Curatoria quæ exemplis illustratur. 2. Catechumenorum. 3. Pœnitentium, quæ tergemina. 4. Ordinationis, cujus mysteria explicantur ex Dionysio & Amalario.

IMbutis fide Samaritanis Petrus & Joannes Apostolicas manus imposuere. Quid rei fuerit illa ceremonia, in sententiis positum est. Latini, quos inter Baronius eminet, hinc suum Confirmationis Sacramentum extundunt. Sed & Viri pietate simul & eruditione insignes, qui à Sacramentorum numero Confirmatio-

nem

.em procul amandarunt, in Apoſtolica impoſitione manuum, ritum :maginantur, cujus adminiſtrandi facultatem Epiſcopis propriam licant. Ut autem perſpectam cognitamque habeamus ceremoniam à ’etro & Joanne uſurpatam, de Impoſitione manuum nonnulla dicenla ſunt quæ non minimum lucis fœnerabunt, ſive Hiſtoriæ ilaſtrandæ, ſive Latinorum opinioni de Confirmationis Sacramento onfutandæ.

Perantiqua eſt imponendi manus conſuetudo, quam vel Ethnii tenuere à primis Romæ unguiculis, Livio teſte. *Cum Augur Nuuam conſecraret lituo in lævam manum tranſlato, dextra in capite Numa impoſita precatus eſt.* Sed Hebræorum monumentis præcipue elebrata eſt pervetuſta illa manuum imponendarum diſciplina. Ceemoniæ סמיכה ידים nomen inditum. In more poſitum fuit Julæis affigere ſuis ritibus ſignificationes, quaſi mutæ voci, qua c ſenſus latentes animi, & abdita myſteria, oculis innuebant, atjue indicabant. Hinc Eruditis mota quæſtio, quid rei declaraetur impoſitione manuum? Sanctius in Acta obſervat *manus impoſiionem à Superiori plerumque fieri, atque à poteſtate qua inferiorem honinem alicui muneri, aut initiat aut deſignat, aut illi aliquod Beneſiium aut optat, aut impertit.* Deinde notat per manum *poteſtatem* ignificari: unde illa, *ſub manu alicujus eſſe*; & *in manum venire.* In ure Romano de uxore *quæ in Viri poteſtatem venit*; & *ſervum manumitti*, cum de heri poteſtate abſolvitur. Itaque ſi Sanctio fides, ıæc eſt impoſitarum manuum ratio, ut ſignificet hominem ſui juris ıon amplius eſſe; & qui ad aram, vel ad mortem deſtinabantur, eos :tiam evidentius *alienæ poteſtati ſubjici, ſua eximi.* Subtilius, meo udicio, quam verius. An Rex Romanorum Numa Pompilius veıit in poteſtatem Auguris, illum, dextra in capite impoſita, conſe:rantis? An in poteſtatem tradebantur aut parentum, liberi, quibus bonam fortunam precabantur; aut Prophetarum, ægri quioıs morborum afferebatur remedium? Eruditiſſimus Grotius exiſtimat manuum impoſitionem *proprie deſignare efficaciam Divinæ potentiæ.* Recte: Sequentia vero non laudo. Nam *Χεῖρας ἐκτεῖναι de Deo eum in ſenſum uſurpatur*, Act. 14. 30. *Ideo quia per preces Divina potentia pro altero invocabatur, uſitata erat manuum impoſitio.* Atqui extenſæ manus cum impoſitis diſcrepant. Senſus meos ut fatear, Grot. in Matt. 9.

 impo-

Impositio manus signum fuit adjunctæ alicui Numinis efficaciæ, quæ manibus non incommode designatur. De Joanne à Luca proditum, *manus autem Domini erat cum eo.* Et vasta illa potentia qua, veluti præsidio propugnaculoque firmissimo, oves Christi undique cinguntur, *manus* nomen habet; *nemo rapiet oves meas à manu mea.* Nec immerito in orationum numero, manuum impositio habetur ab Augustino. *Manus impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid est enim aliud nisi Oratio super hominem?* hoc quippe signo, veluti muta prece, favor Numinis in benedictum eliciebatur.

Luc. 1. 66.

August. l. 3. cont. Donat. c. 16.

Cæterum manuum impositio longe lateque diffundebatur. Adhibebatur primo consecrandis victimis. Qua de re multæ sunt Judæorum Traditiones, quarum nonnullas ex Lightfooto, horum peritissimo, memorare juvat. 1. *Eam fieri debuisse in atrio, adeo ut si manus imposuisset victimæ qui eam adducebat, antequam esset in atrio, impositionem iterari oporteret: Si vero offerens esset extra atrium, sed intro manus protenderet, & victimæ intra atrium manus imponeret, id sufficeret, quod etiam circa Leprosum observabatur in porta Nicanoris.* 2. *Dominus Victimæ manus ipse imponere debebat, nec licebat id per alium facere, quod est intelligendum de singulorum victimis, nam in quibusdam sacrificiis pro tota congregatione erant Deputati, seu Vicarii, qui iis manus imponebant, ut modo observatum est.* 3. *Si plures una sacrificium idem offerrent, oportebat unumquemque sigillatim manus victimæ imponere... Quæritur inter Doctores Hebræos num imponerent ambas manus, an vero alterutram; nec desunt qui in utramque partem abierint, sed omnes eo deveniunt, ut dicant seu una, seu utraque imponeretur, offerentem eas totis viribus & summo conatu imponere debuisse.*

Light. de Minist. Temp. pag. 702.

Benedicendis imponebantur & manus. Itaque ex inveterata consuetudine *oblati sunt J. Christo pueruli, ut manus eis imponeret, & oraret*: Quam forte disciplinam ex Jacobi exemplo nepotibus, Ephraïm & Manasse, manibus impositis, benedicentis, repetebant. Ex eodem fonte in Baptismum manavit manuum imponendarum ceremonia, quod aperte profitetur Tertullianus, c. 8. de Baptismo. *Hoc quoque de veteri Testamento, quo nepotes suos ex Josephi, Ephrem & & Manassem, Jacob capitibus impositis, & intermutatis manibus benedixit,*

edixit, & quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum de-rmantes, jam tunc portenderent Benedictionem in Christo futuram. 3enedicendis Paulo & Barnabæ adhibitus & impositarum manuum itus. *Et cum imposuissent manus dimiserunt eos.* Nec ulla alia ma-uum impositione opus fuit Sanctis Viris qui jam Apostolico mu-iere functi fuerant.

Curandis Ægris solemne fuit manus imponere. Nec incondita ſt Maldonati observatio. *Manus surdo à Christo imponi postulabant, ut quod scirent eum manuum impositione alios multos ægrotos curavisse, ut quia vetus erat Prophetarum, & Sanctorum Virorum consuetudo, t impositis sanarent manibus, quod ne gentiles quidem ignorabant, ut Jaman ille Syrus indicio est, de quo sic legimus: iratus Naman recede-at, dicens, putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret no-nen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum Lepræ, & curaret.* Maldon. in Marc. c. 7. p. 778. taque mos & consuetudo servata est, cum, jubente Domino, Apo-toli Ægris imposuere manus. Hæc est illa impositio quam voce, non Ciceroniana quidem, sed rei significandæ satis idonea, *Curatoriam* lixere Scholastici. Cui, dubio procul, inserenda est illa Ananiæ apud Lucam: *& impositis Sauli manibus, dixit, Frater, Dominus misit ne ut visum recipias.* Act. 9. 17. Etsi non pauci Latinorum in Ananiana ma-uum impositione, suum confirmationis Sacramentum quæsiverint, ed qui has in diverticulo somniavere ineptias, Bellarmino confu-antur. *Dico Ananiam imposuisse manum Paulo, ad hoc ut visum re-iperet, ut ibidem legimus; quare non fuit Confirmatoria, sed Cura-oria illa impositio manus, unde facta est ante Baptismum, non postea, it fieri debet Confirmatio; neque descendit visibiliter Spiritus Sanctus.* Bellar. de Sacr. Confir. l. 2. c. 12. ecte & Sapienter.

Dandum est & aliquid loci manuum impositioni, quæ in creandis d munus hominibus usurpabatur. Ab usitato Judæis more recessisse Apostolos in adhibenda manuum impositione consecrandis Episcopis, Clarissimo Lightfooto persuasum fuit autoritate Maimonidis, Rab-inorum facile principis. *Quonam modo est ordinatio Presbyterorum er secula? Non ut imponant manus super Presbyteri caput, sed ut vo-ent eum Rabbi, & dicant ei, ecce tu es ordinatus, & est tibi potestas udicandi. Ab antiquo unusquisque qui erat promotus ad Presbyteratum, romovit etiam discipulos suos. Verum Sapientes hunc honorem indulse-*

runt Hillelli ſeni, ſtatuentes ſcilicet, ne quiſquam ordinetur ad Presbyteratum niſi licentia Præſidis. At nec ipſe Præſes ordinet quempiam, niſi adſit cum eo Vice-præfectus, nec Vice-præfectus, niſi adſit Præſes. At quod ad reliquas ſocietate attinet; licet uni homini ordinare cum permiſſu Præſidis, ut adſint duo alii, nam non eſt ordinatio niſi per tres, nec ordinant Presbyteros extra Terram. Maimon. Sanhedr. c. 4. Ex ſententia Viri eruditiſſimi non dicam, aſſenſum non extorquente Maimonide, qua cauſa Judæi Chriſti temporibus à paterna deflexiſſent conſuetudine de ordinandis Presbyteris, cum, jubente Deo, manus & Levitis, & Joſue fuiſſent impoſitæ? Promiſcuum eſſe Judæis impoſitionis manuum uſum teſtantur illi pueri à parentibus recipiendæ & precum, & manuum Benedictioni, oblati Chriſto: & veroſimillimum Dominum, qui à Judæorum ritibus ſua Sacramenta, Baptiſmum Euchariſtiamque, mutuatus fuerat, voluiſſe etiam peragendis ordinationibus Judaicam Χειροθεσίαν adhiberi. Ut ut ſit, creationi & Presbyterorum, & Diaconorum impoſitio manuum non defuit, quod Moſaico jure & exemplo factum eſt. Et *Levitis manus imponent filii Iſraël.* Num. 8.

Ad has ſpecies addi poteſt illa Χειροθεσία qua Joſue conſecratus eſt à Moſe, ad cujus ſimilitudinem propius accedit illa qua Samaritani Spiritu Sancto donati ſunt. Inſignis ille locus reperitur Deut. 34. 9. *& Joſue, filius Nun, repletus eſt Spiritu ſapientiæ, quia Moſes illi manus impoſuit.* כי סמך משה את ידיו עליו Nec Moſis ſucceſſori promiſcuum ſpiritus lumen indultum eſt, ſed copia & abundantia donorum cœleſtium Vir ille circumfluebat, ad impoſitam provinciam probe curandam.

Ex fonte Judaico manans Χειροθεσία pervaſit Chriſti Religionem, quod paucis eſt explicandum. Ægris ſanandis manum fuiſſe impoſitam, à Theodoreto in Patrum Hiſtoria declaratur. Theodoreti Mater morbo laborabat oculi, omnem Medicinæ artem ſuperante. Venit ad Petrum, quem lachrymis precibuſque proſecuta eſt, ut dolori faceret medicinam. Ad hæc quid Petrus? *Si fidem habes ſinceram & veram, puramque, & ab omni liberam dubitatione, jubens & Medicos valere, & medicamenta, à Deo datum ſume hoc medicamentum. Hæc cum dixiſſet manum impoſuit oculo, & ſalutaris crucis ſigno facto, morbum expulit.* Similibus remediis Hugo Lincolnienſis

Theod. Hiſt. Patr. c. 9.

ſis Epiſcopus feliciter morbum pepulit, ſi Matthæo Paris fides. *Quadam Matrona Lincolniæ duos habuit filios, quorum alter dum adhuc puer eſſet, in dextro latere tumorem habuit grandem, de cujus ſalute Mater deſperans, Sanctum Epiſcopum adiit, & ut ei benediceret impetravit. Ille vero ſuper locum morbi manus poſuit, & dimiſit. Quo facto ita tumor ſubdito ſedatus eſt, ut ab illa hora parvum non amplius vexaverit, nec ulterius Mater tumorem viderit.* In Cenſum hujuſce impoſitionis manuum *Curatoriæ*, parcant verbo manes Ciceronis, referendus Canon. 90. Cart. 4. *Omni die Exorciſtæ Energumenis manus imponant.* Meminerat olim Irenæus impoſitionis Curatotiæ apud Euſebium. Ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται. *Alii infirmos per impoſitionem manuum curant.* M. Paris in Johan. p. 196. Euſ. Hiſt. l. 5. c. 7.

Qui Chriſto dabant nomen ſuum Catechumenis, imponebantur & manus: quo pertinet Elliberitanus Canon. 39. *Gentiles ſi infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.* Arborem dæmoni dicatam, gentilis ſuccidere pollicebatur, ſi ruentem Martinus exciperet: ruenti elevata manu ſignum ſalutis oppoſuit. Tum vero turbinis modo diverſam ruit adeo, ut ruſticos, qui tuto loco ſteterant, pene proſtraverit: quo viſo, *nemo fere ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impoſitione manus deſiderata, Dominum Jeſum, relicto impietatis errore, crediderit.* Sulp. Sever. de vita Mart. c. 10.

Fuit Pœnitentibus manus ter impoſita. Prima Χειροθεσία adjuncta peccatori fuit, jugum pœnitentiæ ſubeunti, teſtibus Agathenſibus, Can. 27. *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur.* Secunda, Pœnitentibus cervices manui Epiſcopali ſubjicientibus, quotieſcunque ab Eccleſia pellendi erant, concedebatur. Quam ad impoſitionem hæc retulere Laodiceni Patres c. 19. *Quod oportet ſeorſum primum, poſt homilias Epiſcoporum, Cathecumenorum orationem peragi, & poſtquam exierint Catechumeni, Pœnitentium orationem fieri, his etiam accedentibus ad manum Præſulis & diſcedentibus, ſic fidelium tres orationes fieri.* Tertia Χειροθεσία illa fuit cui *Reconciliatoria* nomen inditum. *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine Reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi*

com-

communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum Reconciliatoria manus impositione percipiant: quæ habentur primæ Arausicanæ Synodi, c. 3. Sed & qui subita necessitate deprehendebantur Pœnitentes, absentibus Presbyteris, Reconciliatoriæ Diaconorum manui subjecere capita. Cujus consuetudinis Cyprianus testis est potentissimus. *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesin facere delicti sui possunt, ut & manu eis in pœnitentia imposita, veniant ad Dominum cum pace.*

Cyp. Ep. 12.

Absolvit varias impositionis manuum species illa Χειροθεσία, quam *Consecratoriam* appellarunt, cujus ope Ecclesiasticis Viris suum munus injungitur super consecrandi Episcopi caput. *Duo Episcopi ponebant Evangeliorum codicem*, cæteris qui aderant, suis manibus *caput tangentibus*. Si Presbyter ordinabatur, cum *Episcopo manum super caput ejus tenente, omnes Presbyteri manus suas juxta manum Episcopi supra caput illius tenebant*: quod à Cart. 4. Synodo decretum est. Moris erat in Affrica una Episcopali manu Diaconum consecrari, nullis se huic ceremoniæ immiscentibus Presbyteris. *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* c. 4. Ignota dubio procul Amalario fuit Carthaginensis illa Synodus, cujus in Canonem acerbe atque aspere invehitur. *Est libellus quidem apud nos de sacris Ordinibus, nescio cujus Autoris, qui dicit solum Episcopum debere manus imponere super Diaconum, quia non ad Sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Numquid scriptor libelli Doctior atque Sanctior Apostolis, qui posuerunt plures manus super Diaconos quando consecrabantur?*

Amal. de Offic. Eccles. l. 2. c. 12.

Latentia hujusce impositionis Mysteria subtiliter explicat ille Amalarius. *Mysterium est, qualecumque sit: quæ in vet. Testamento agebantur umbra sunt futurorum. Per manus, opera intelligimus; per digitos, dona Spiritus Sancti. In membris humanis non est major discretio membrorum, quam in digitis, ac per hoc discreta dona Spiritus Sancti per eos monstrantur... Per impositionem manuum opera Spiritus Sancti intelligimus.*

Non

Non enim adhuc est Deus omnia in omnibus. In aliquo est sapientia, in aliquo fides, in aliquo pietas, in aliquo castitas, in aliquo humilitas. Hoc valent plurimæ manus super caput ejus qui consecratur, ut unusquisque deprecetur Dominum quatenus partem de Spiritu suo det. Explicatio Dionysiana suo pondere gravior est habenda quam illa Amalarii. Ἡ δὲ τῆς ἱερατικῆς χειρὸς ἐπίθεσις ὁμοῦ μὲν ἐμφαίνει τὴν τελεταρχικὴν σκέπην ὑφ᾽ ἧς, ὡς παῖδες ἱεροὶ περιέπονται, πατρικῶς αὐτοῖς μὲν ἕξιν καὶ δύναμιν ἱερατικὴν δωρουμένους, τὰς ἐναντίας ἀπ᾽ αὐτῶν δυνάμεις ἀποῤῥαπίζουσι. Διδάσκει δὲ ἅμα καὶ πάσας τελεῖν τὰς ἱεραρχικὰς ἐνεργείας ὡς ὑπὸ Θεοῦ πράττοντος τοὺς τελεσθέντας, καὶ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν αὐτῶν ἔχοντας ἐν πᾶσι καθηγέμονα. Dionys. Hier. Eccl. c. 5. *Pontificia autem manus impositio, simul quidem manifestat Sacramentalem protectionem, qua, tanquam Sancti pueri, paterna protectione foventur; quæ quidem Sacerdotalem det eis habitum & virtutem: contrarias autem potestates ab eis depellat: docet etiam sacras functiones obire eos qui consecrati sunt, ut sub Deo agentes, omniumque actuum suorum Ducem habentes.* Hactenus de manuum impositione, quam molliori brachio tractavimus, quia novus prosternitur campus explicandæ circa tum Catechumenos, cum Pœnitentes Ceremoniæ. Interea, quæ hic designavimus velut primis lineis, nonnullam manuum impositionis notionem consignant animis, qua dicenda de hac materia non minimum illustrantur.

ANNO XXXV. NUM. XIII.

De Confirmatione. Nullum hujus Ceremoniæ vestigium inesse in χειροθεσία *Apostolica. Latina Confirmatio vacua impositionis manuum, teste Florentina Synodo. Audacia Bellarmini quærentis manuum impositionem in cruce pollice facta, refellitur. Ficta Mimatensis Apostolicæ* χειροθεσίας *effigies in alapa, Confirmato impacta. An Apostoli confirmandis Baptizatis adhibuerint Chrisma? Inventa* ἀνιστορικὰ *Maldonati refutantur. Dona extraordinaria Spiritus, impositis manibus collata, ætate Apostolica non evanuisse, sed*

& temporibus Irenei adhuc perdurasse. An impositione manuum Chrisma Lucas complexus fuerit? Affirmantis Estii sententia compluribus argumentis explosa. Ingens balsami precium pauperes Apostolos ab ejus usu prohibuit. Ostenditur contra Clarissimos Viros Pearson, Hammundumque, in Apostolica manuum impositione Confirmationis suæ nullum esse vestigium. Philippum Evangelistam Episcopos eminentem, aptatumque hodiernæ Confirmationi Præsulum administrandæ, expertem esse autoritatis imponendæ manus, de qua Act.8. agitur. Effecta hujusce χειροθεσίας ab Episcopali multum discrepare.

QUid; fallaci-ne memoria labimur? An vero scientes prudentesque silentio præterimus χειροθεσίαν quam *Confirmativam* nuncupant? Non mutamus sententiam; impositio manuum Apostolica Sancto Spiritui Samaritanis erogando, nil ordinarii habuit, tota comparata atque instituta ut Ecclesiam nascentem oppleret cælestibus donis, quæ omnibus essent admirationi. Secus opinantur non modo Theologi Latini, quibus ex illa manuum impositione suum Confirmationis extundere Sacramentum placuit, sed & Viri magni qui, abdicatis erroribus, puriori Christi adhæsere disciplinæ. Clarissimus Pearson, cujus vel in nomine magnus extat laudum cumulus. *Hinc*, inquit, *certe profectus est ritus Confirmationis in Ecclesia nostra retentus, &, invitis Presbyteranis, soli Episcoporum functioni reservatus, qui semper & ubique Episcopis tantum antiquo jure competebat: idque facile probari potest, si hoc tantummodo observetur, Chrisma statim post Apostolorum tempora in Confirmatione, seu simul cum manuum impositione adhibitum esse; unde hic ritus Confirmationis aliquando sub Chrismatis, aliquando sub impositionis manuum nomine innotesceret .... Latini primo obsignationem, sive Unctionem frontis in Baptismo, Presbyteris permittebant; sed impositionem manuum soli Episcopo reservabant.* Quæ paulo post nostris ponderibus sunt examinanda.

Pearson. Lect. 5. in Act. n. 6.

Ad

Ad Latinos primum me convertam, ostensurus neque volam, neque vestigium esse suæ Confirmationis in Apostolica impositione manuum. Quid rei sit Confirmatio aperte definitum est à Florentina Synodo. *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est, signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ordinarius Minister est Episcopus, & cum cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Hæccine impositionis manuum Apostolicarum similitudinem arripiunt? Quid tam disjunctum atque diversum ac illa sunt? in manuum Apostolicarum impositione nullum Chrisma, nullum Crucis signum impressum fronti, nulla verba his similia, *signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* In Confirmatione nulla impositio manuum, a qua discrepat & materiâ, & formâ, nihilominus in idem Sacramentum confluunt. Annon ille Parmeno ad hæc exclamaret?

> *Scitum certe concilium: hoc homines prorsum ex stultis insanos facit.*

Provectus temeritate & audacia Bellarminus, quærit Confirmationi suæ manuum impositionis umbram, ne ab Antiquitate penitus diffideat. *Qui inungit*, inquit, *manus imponit.* Quid hoc monstri est? Imponendæ manus ritum nobis exhibuere Livius, Hebræi, Rabbini, Patres: quis ex his hominibus animo atque cogitatione finxit Crucem applicato pollice impressam fronti? Si tota manus capiti non incumbat, impositio nulla. Ex Doctissimo Seldeno sciri potest qualis fuerit ungendi Pontificis ritus? *Andræana Crucis figuram olei ductu in fronte ejus, seu inter oculos, exprimi solitam, merito autumamus; fuso, scilicet super caput oleo, Lev. 8. 12. Digito ungentis ajunt in medio qui oculos interjacet loco, solemne fuisse figuram* ξ χ' *ex oleo ibi diducto, confici.* Deberet Hebræis ludibrium Seld. de Succ. in Pontif. l. 2. c. 9.

 qui

Tertul. de Bapt. c. 8. qui in hoc ungendi ritu quæreret manus impositionem. Sed & apud Tertullianum differunt inter se Unctio & impositio manus. *Egressi de lavacro perunguimur benedicta Unctione... Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans Spiritum Sanctum.* Quid rationibus opus, cum Florentina Synodus figmentum Bellarminianum valido ariete discusserit? *Loco illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Ergo Bellarmine, Unctio frontis manuum impositio non est, sed diversam constituit Ceremoniam, quæ in locum vicemque χειροθεσίας substituta, ab illa reipsa discernitur. Quid; si tibi concesserimus pollicem conjunctum fronti in loco impositionis manuum haberi; an nobis persuadebitur hanc, si diis, placet impositionem, ad Apostolicæ similitudinem accedere? An frontem Samaritanorum suo pollice tangebant simulandæ Cruci?

Dur. Ratio. l. 6. Ab Episcopo Confirmati maxilla leniter percutitur, quæ sancta alapa fons est exundans Mysteriorum, Durando Mimatensi teste. *Primo ut tenacius memoriæ teneat se hoc Sacramentum recepisse. 2. Quia hoc Sacramentum datur ad robur fidei. 3. Hac percussio repræsentat manuum impositionem, quoniam Apostoli per manus impositionem confirmabant. 4. Ad terrendum Malignum Spiritum ut fugiat, & ne redire audeat, sicut fecit & Benedictus, liberans per alapam Monachum qui à Maligno Spiritu vexabatur.* Felicem Ecclesiam cujus alapis inest & Sanctissima vis pellendorum Dæmonum, & vestigium effigiesque Apostolicarum manuum impositionis. Mirum ni & Paulus pro Confirmato habeatur, cujus os jubente Summo Pontifice cæsum est.

Qui candidioris sunt animi, fatentur impositionem manuum in sua Confirmatione nullo vestigio reperiri, sed sanando vulneri adhibent, pro sua solertia, remedium. *Bene Theologi respondent Christum ita hoc Sacramentum instituisse, & Apostolos præcepisse, ut penes illos reliquerit, prout res postulare videbatur, uti pro materia, vel sola impositione manuum, vel impositione Chrismatis. Itaque dum Apostoli viderunt per solam manuum impositionem Spiritum Sanctum dari visibiliter, nunquam Chrisma adhibuerunt: simul ac desiit visibiliter dari Spiritus Sanctus, desiit autem viventibus Apostolis, ut sustentarent Christianorum fidem, adjunxerunt Chrisma.* Quæ Maldonati verba sunt de Confirm.

Est. l. 4. in Sent. Disq. 7. Quæst. 2. p. 193. Quibus pene gemina illa Estii. *Apostolos in hoc Sacramento*

mento ministrando, neque semper, neque unquam Chrismate usos fuisse... Sed cum ea qua ad ritus Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur, ac fere sola voce, quasi per manus traderentur, facile responderi queat noluisse Lucam neque Elementum, neque verbum hujus Sacramenti verbo prodere; ideoque usum fuisse vocabulo manus impositionis.

Atqui figmentum Maldonati de potestate concessa Apostolis utendi, *prout res postulare videbatur, vel sola impositione manuum, vel impositione Chrismatis*, omnibus hæreticorum inventis parat excusationem, cum ex illiberali hac responsione, nulla non fœda disciplinæ Christianæ mutatio defendi facillime queat. Urgebat olim Aquarios Cyprianus, Epist. 63. *Miror satis unde hoc usurpatum sit, ut vel contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, qua sola Christi sanguinem non posset exprimere... quam vero perversum est, quamque contrarium, ut cum Dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit, nos de aqua vinum faciamus.* Quidni imbuti opinione Maldonati superbe Cypriano responsare potuissent; *Christum ita hoc Eucharistiæ Sacramentum instituisse, ut penes Apostolos reliquerit vel aqua sola, vel vino mixta uti, prout res postulare videbatur.*

Præterea in fœdum errorem incidit Maldonatus in obsequendo suis præjudiciis; *desiit visibiliter dari Spiritus Sanctus, viventibus Apostolis.* Quo teste hoc affirmas Maldonate? An non & Sapientiæ Christi, & honori Apostolorum, & Ecclesiæ ubique terrarum propagandæ conducebat, ut communicandi Spiritus facultas Sanctissimis Christi Legatis nunquam deesset? Vigebant adhuc in Ecclesia ævo Irenæi dona Spiritus extraordinaria, nedum viventibus Apostolis extincta sint. Eusеb. Hist. l. 5. c. 7. Πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων. Καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις: καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων. *Multos ex Fratribus audimus in Ecclesia qui Prophetiæ dona consecuti sunt, & omni Linguarum genere per Spiritum loquuntur, & ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt.* Itaque si substitutum Chrisma non fuit Χειροθεσίας in vicem, nisi cessantibus donis Spiritus visibilibus, *Apostoli non adjunxerunt Chrisma ad sustentandam Christianorum fidem*, cum imposita manu, ad usque vitæ suæ finem, Spiritum *visibiliter dederint.* Denique, figmentum Maldonati ipsi

Thom. Aqui Sum. 3. p. quæst. 60. a. 5.

Aquinati ingratum est. *Sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res Spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel illo Sacramento.* Quod multa cum sapientia scriptum. Nec enim penes Ecclesiæ Pastores potestas est constituendæ Sacramentorum materiæ: astringuntur necessitate utendi materia illa quam Sacramentis certam: a propriamque dicavit Jesus Christus, Mysteriorum Fons & Principium. Nunquam mortalium ingenio permissum est, aut arte distillatum liquorem, in locum aquæ Elementaris, aut carnem, in vicem panis, celebrandis & Baptismi & Eucharistiæ Sacramentis, substituere. Itaque, & Confirmationis materia stata fixaque, non errans, aut mutabilis esse debuit.

Est. in Sent. l. 4. dist. 7. a. 6.

Paulo plus est acuminis atque subtilitatis in Estio, nimirum, *Lucam noluisse neque Elementum, neque verbum hujus Sacramenti verba prodere, ideoque usum fuisse vocabulo manus impositionis:* quo & ipsum Chrisma indicatur. Sed acumen facillime contunditur. Quasi vero Lucam ea incessisset Religio, de elemento & verbo, de materia & forma consecrationis silentium agere; de elemento autem & verbo Eucharistiæ non incessisset. An Chrisma Confirmationis periculosius commemorare, quam extremæ Unctionis oleum à Jacobo proditum? Si Chrisma partem Confirmationis constituit, semper utique usurpatum est ab Apostolis in Confirmatione ministranda, à qua materia sua abesse non debuit. Quænam est perversa illa sapientia passim exhibere Apostolos imponendis manibus vacantes, non vero ministrando Chrismati, cum Chrisma ad Confirmationis substantiam pertineat; impositio manuum non pertineat? Ubique auditur manuum impositio. Act. 19. 6. *Et cum Paulus eis imposuisset manus, venit Spiritus in eos, & loquebantur linguis.* Heb. 6. 2. *Non jacientes rursus fundamentum Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis.* Chrisma vero nunquam auditur, quod minus illa omitti debuit, si ab Apostolis & consignandis Baptizatis adhibitum, & Confirmationem subinfluxerit.

Denique, mihi ex animo exire nequit Chrisma nunquam usurpatum ab Apostolis fuisse. Balsamum quippe, quo, immixto oleo, Chrisma conficitur, preciosissimi liquoris genus est, cujus ad omnes perfundendos

dendos Baptizatos pauperibus Apostolis non erat copia. De balzamo observanda sunt illa Plinii. *Sed omnibus odoribus præfertur balsamum, uni Terræ Judææ concessum, nec nisi in duobus tantum hortis, utroque regio. Altero jugerum viginti non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam hanc Urbi Imperatores Vespasiani... Sæviere in eandem Judæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est.* Profecto, quod ex Orbe novo affertur balsamum, an germanum sincerumque sit merito dubitatur, & ante Christophorum Columbum magna erat in Europa balsami penuria. Atqui constat, & promptum est Mysteriorum nostrorum promiscuam esse materiam panem, vinum, aquam. Cedro digna sunt illa Thomæ: *Res quarum usus est necessarius in Sacramentis, vel parvo studio adhiberi possunt.* 3. p. q. 60. a. 5. Quod si principio Baptizatis Confirmationem ministrarunt Apostoli sola manuum impositione, abest à fide, volventibus annis, ad consignandos fideles Chrisma fuisse ab Apostolis adhibitum. Qualem quantam litium segetem sevissent, si alios sola manu, alios solo Chrismate, alios conjunctis copulatisque & Chrismate, & impositis manibus, consignassent. Sapientium erat eandem retinere disciplinam, ne ejus mutatio argumentum esset, aut invalidæ ad munera sua χειροθεσίας, aut vacillantis inconstantisque in Apostolis animi. Jam vero Chrisma nullum Samaritanis ministrasse aperte declarant illa Simonis Magi, quæ, ut opinor, recte & fideliter à Luca scripta fuere. *Cum autem conspexisset Simon per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum Sanctum, obtulit eis pecunias, dicens, date mihi hanc potestatem ut, cuicunque posuero manus, recipiat Spiritum Sanctum.* Colligamus ergo Chrisma Confirmationemve Latinorum, in Apostolicarum manuum impositione nullo reperiri vestigio: proindeque toto cœlo hanc ab illa discrepare.

Plin. Hist. l. 12. c. 25.

Sed, si verum tueri ac retinere sententia est, in illa Apostolica χειροθεσία neque vola est, neque vestigium Pearsonianæ Confirmationis. Cujus fundamenti inexpugnabiles rationes suppeditant cum Ministri manuum impositarum, tum effectus Ceremoniæ. Ministri hujusce ritus insignes illi & autoritate & pietate Viri, qui Prophetas Episcoposque eminebant, Apostoli, scilicet, sub eo habitu qui proprius illis fuit. Idque ex eo apparet & in promptu est, quod nulli, præter

Apostolos, imposuere manus ad impertiendum Spiritum. Philippus, qui summum Evangelistæ gradum ascenderat, palam concionando, patrando miracula, huc & illuc discurrendo, ut lumen præberet fidei, quæ officia propriæ sunt partes Evangelistarum, facultate manuum imponendarum non est indutus. Fingemus-ne animo atque cogitatione Evangelistam, hoc quippe nomine Philippus a Luca donatus est, jus non habuisse id officii exercendi quod ab Episcopo in consignandis Baptizatis peragitur? Numquid Evangelistæ illi, minorum gentium Apostoli, non superiores Pastoribus fuere? Atqui baptizato Reginæ Candaces Eunucho manus Philippus non imposuit, imponendas, dubio procul, nisi ad altiora quædam, & magnificentiora nata esset illa Apostolica χειροθεσία, quam Episcopalis hodierna. Deinde, Petrus Joannesve non exercebant Episcopos cum legati sunt in Samariam, cum nulli peculiari Gregi, quasi glebæ essent affixi, sed una cum Apostolorum Choro, communi potestate, consensuque, Ecclesiæ rationes negotiaque procurarent. Eo magis vis observationis intenditur, quod de Episcoporum officio, functionibusque frequentissima est in Scriptura mentio; cum de Episcopalium manuum impositione, donandis Spiritu Baptizatis, nulla omnino inciderit.

Effecta Apostolicæ χειροθεσίας quod attinet, ab illis longe disjuncta sunt atque dissita quæ Episcopali contribuuntur. Narratur à Luca, Petrus & Joannes *imposuerunt Samaritanis manus, & receperunt Spiritum Sanctum.* Quid rei sit ille Spiritus, impio Simonis voto satis proditur. *Date mihi hanc potestatem ut, cuicunque posuero manus, recipiat Spiritum Sanctum.* Incurrebat ergo aliquid in oculos Magi, quo permotus ille nefarius pecunias Apostolis offerebat, ut optata largiendi Spiritum facultate, & ipse potiretur; ut vix in dubio sit Spiritum Samaritanis indultum, esse illius similem quem, mirantibus Judæis, Cornelius fuerat consecutus. *Adhuc loquente Petro verba ista, illapsus est Spiritus in omnes qui audiebant hunc Sermonem, & Fideles qui erant ex Circumcisione obstupuerunt; audiebant enim gentiles loquentes linguis.* Simonis acies oculorum, quantumvis contenta potensque, Spiritum Sanctificationis in imo corde latentem perspicere non poterat. Plusque Magus fulgore miraculorum quam pietate afficiebatur. Sed nullæ Apostolorum Baptizatis leguntur impositæ manus, quas extraordinaria cœlestis Spiritus dona non exceperint, ut hujusce impositonis

positionis indoles ex vi sua satis emergat. Denique, ne prætereundum est id quidem, quod Cornelius, qui post illapsum Spiritus Baptismum est consecutus, caput suum manibus Petri non subjecit. Cujus discriminis ratio in promptu est. Baptizari debuit Spiritu jam potitus, quia cum Gratia sanctificante dona illa extraordinaria discrepabant: & pietati Cornelii novæ semper vires erant sufficiendæ, ut coalesceret sacro regnerationis applicato lavachro. Manus vero impositio nullam Cornelio, jam cœlestibus extraordinariisque Spiritus donis inundato, vim præstitisset; quippe quæ & simul incussa penes hominis arbitrium non fuit, nec perinde atque pietas intendi potuit Sacramentorum usu. Jam vero si Apostolica Χειροθεσία Ceremoniis, perpetua observatione frequentandis, inseri debuit, Spiritusque Sanctificantis partem aliquam inseverit, nullus capio quamobrem illa Cornelius non donatus, augendis fidei suæ viribus, quæ, ut ajunt, germana sunt Confirmationis Episcopalis effecta.

Qualitatem Spiritus ab Apostolicis manibus indulti non male explicuit Augustinus. *Neque temporalibus, neque sensibilibus miraculis attestantibus per impositionem manuum modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & primordia Ecclesiæ dilatanda; sed invisibiliter, & latenter intelligitur vinculum pacis, divina Charitas inspirari.* Ecce Spiritum affixum manuum impositioni, Spiritum *Temporalem*, Spiritum *Sensibilem*, *Miraculosum*, Spiritum rudi Ecclesiæ ædificandæ necessarium. Quod & confirmatur à Chrystomo. Καὶ ὅτι τοῦτο ἐστὶ τὸ τῶν σημείων πνεῦμα οὐκ ἔλαβον, ὅρα πῶς ἰδὼν ὁ Σίμων προσῆλθε τοῦτο αἰτῶν. *Et quod hoc sit quod Spiritum signorum non acceperunt, vide quomodo hoc cernens Simon accessit, & petiit.* Similiter Oecumenius c. 10. in Acta: Πνεῦμα μὲν ἅγιον ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως, τὸ δὲ τῶν σημείων οὐκ ἔλαβον. *Samaritani acceperunt quidem Spiritum remissionis, signorum vero nunquam.* Atqui rerum extraordinariarum media ordinaria esse non debent. Nec ullum hodiernæ Confirmationi præsidium ex Χειροθεσίᾳ Apostolica, ad edenda miracula instituta, merito quæri potest.

Aug. Cont. Donat. l. 3. c. 16.

Chrys. Homil. 18. in Act.

Objecta in hanc sententiam a Bellarmino, Estio, aliisque, dilutu facillima. Non *omnes*, inquiunt, *quibus imposita sunt manus, linguis locuti sunt.* Quid; si hoc concessero? Spiritus, quippe, signorum latius patet quam linguarum. *Huic quidem per Spiritum datur sermo* 1. Cor. c. 2.

ſapientiæ; alii vero ſermo cognitionis, per eundem Spiritum; alteri fides, per eundem Spiritum; alii vero donum ſanationum, per eundem Spiritum; alii vero operatio virtutum; alii vero Prophetia; alii vero diſcretio Spirituum; alii vero genera linguarum; alii vero interpretatio linguarum. Qui à fonte Apoſtolico diducti rivuli diſcretim fluebant. Non, ſi Spiritus linguarum datus eſſet, ideo & Spiritus ſanctitatis. Quid; ſi negetur quod ſuo jure aſſumunt, *non omnes, quibus manus ſunt impoſitæ, linguis eſſe locutos?* Si ratio cum ratione contendat, longe vero ſimilius eſt omnes linguis locutos, quibus Apoſtolorum manus applicabantur. Loquebantur Samaritani, loquebantur Epheſini diſcipuli, loquebantur Cornelius ejusque amici; nec ullum fuit Chariſma parabilius, cum ſanandi ægros, aut diſcernendi Spiritus non perinde occaſio ſe oſtentaret. Omnibus Baptizatis manus quidem imponendæ fuerunt, ſi Apoſtolica Χειροθεσία ad Confirmationis pertineat Ceremoniam; ſed hinc concludimus ab illa multum eſſe diverſam, cum non omnibus ſacro lavacro expiatis manus applicatæ ſint: non Commentarienſi, quem Paulus baptizavit; non tribus Judæorum millibus qui, Petro concionante, Chriſti in diſciplinam profecti ſunt; non mulieribus, quibus agere in Eccleſia ſilentium juſſis, id doni non videtur eſſe conceſſum: prophetabant Philippi filiæ, linguis non loquebantur. Ut manum *Curatoriam* non omnibus ægris ſanandis imponebant Apoſtoli: quocirca Vir pius, Trophimus à Paulo morbo ſuo relictus eſt. Sic nec omnibus manus Spiritu perfundentes adjunxere; non Simoni mago ni fallor, qui ſacro linguarum dono abuſus fuiſſet in mortalium perniciem, jam ſatis ſuperque præſtigiarum Simonianarum fulgore perſtrictorum. Viderint qui in clariſſimorum Hammundi, Pearſoniique opinione verſantur, quibus machinis ex Apoſtolica manuum impoſitione ſuam Confirmationem exculpent?

ANNO XXXV. NUM. XIV.

De antiquitate Confirmationis. Examinatur Clar. Pearſonii de Chriſmate ſtatim poſt Tempora Apoſtolorum in Confirmatione adhibito, ſententia. Chriſma in Baptiſmo, Confirmationeve nullo veſtigio in Patribus, Tertulliano

tulliano antiquioribus, reperiri. Argumenta ex Justino, Irenæoque in Ceremonias Baptismo additas. Balsami usus à Valentinianis in Baptismum introductus. Impositio manus Baptizatis collata, ab instituentibus Apostolis non manavit. De Baptismo simplici, & solemni. Baptismi Chrisma ex quo tandem conflatum. Confirmationis Sacramentum Apostolicam Traditionem non esse, ex variis administrandi ritibus probatur. Baronii in Chrismatis-quæstione sive incuriæ, sive versutia. Confirmationem non in qualibet unctione, sed & frontis, & Episcopali esse quærendam. Causæ instituti Chrismatis. 1°. honor & pompa Religioni conciliandæ. 2°. Remedium offendiculo Mortalium, de simplicitate disciplinæ male existimantium. 3°. Animorum inclinatio ad res Divinas duplici via exhibendas, quod exemplis declaratur. An manus impositio diversa à Baptismo solemni pars fuerit? Affirmans Clarissimi Valesii, aliorumque sententia refellitur ex Tertulliano, Cypriano, Patribus Eliberitanis, Leone. An frontis unctio Baptismo solemni inserenda? Negantium Latinorum opinio compluribus argumentis impugnata. Lapsus Cabassutii circa Amalarium de impositione manuum. Notabilis Cassandri de Confirmatione observatio. Geminus error Baronii circa Eusebium coarguitur. Plurimæ in hodierna Confirmatione novitates, antiqua alienæ.

MIssis quæ probando suæ Confirmationis Sacramento afferuntur à Latinis, Ceremoniæ tractabimus antiquitatem, ut obscura originis suæ patefiant, atque illustrentur. Auditum nuper est à Clarissimo Pearson, Cestriensi Episcopo, *Chrisma, statim post Apostolorum tempora, in Confirmatione, seu simul cum manuum impositione esse* Pearson. Lect. 5. in acta. n. 6.

 adhi-

adhibitum. Quæ, vere ut dicam, me ad multam admirationem traduxere. Nullus, quippe, in consignandis Fidelibus Chrismatis usus ante tertium Æræ Christianæ seculum. Atque res apparet ex Tertulliano, qui Chrisma in posterorum prospectum primus produxit. Hoccine est Chrisma *statim post Apostolorum tempora fuisse adhibitum?* Ne vero mihi hac de re temere credatur, adducenda sunt argumenta ex Autoribus Tertulliano ætate grandioribus.

Justini martyris temporibus Chrisma, manuumque impositionem non dum pervasisse Baptismum, eximie declarat insignis ille locus Apologiæ 2ᵃ. Ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα, ὅπως μὴ τοῦτο παραλείποντες δοξόμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει. ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, καὶ λεγόμενα εἶναι; καὶ βιοῦν οὕτως δύνασαι ὑπίσχωνται, εὔχεσθαι τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες, παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συνηστευόντων αὐτοῖς. Ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀνακαινώσεως ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγείνονται, ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων, καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. *Quo vero modo Deo quoque nos dicaverimus per Christum renovati jam exponemus. Ne, si hoc prætereamus, maligne quicquam & dissimulanter agere hac oratione videamur. Quicunque persuasi fuerint, & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una orantibus, & jejunantibus. Deinde eo adducuntur à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei & servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti in aqua tum lavantur.* Munus promissi à Justino confectum esse nullus negabit cui candor martyris probe notus fuerit. Nil dissimulanter egit, aut maligne. Aperte ceremonias Ecclesiæ locutus, nil circuitione usus est. Tum illa dissimulatio Christianis res non fuisset. Itaque, nisi velimus Justinum dixisse Imperatori mendacium, fatendum est Chrisma, manuumque impositionem nondum in Baptismum invecta fuisse, nec Baptizatis applicata. Moris quippe fuit ex quo in Ecclesiam introducta sunt, Aquam & Chrisma sine mora copulare.

Sed

Sed & explicata Baptismi Ceremonia, omissis penitus iis ex quibus Confirmationem quærunt, statim Eucharistiæ materiam Justinus ingreditur. Vel igitur, omni candore animi abdicato, dissimulavit silentio Confirmationem; vel Confirmationis omnino insolens fuit; quod verius esse existimanus, ne perfidiæ labes inuratur S. Martyri. Tanti apud me est illud argumentum, ut nulla arte a Confirmationis patronis infringi posse existimem. Eo sane loci quo res sunt Ecclesiasticæ apud defensores Confirmationis, si candide & rotunde ageretur, certe & certo scio quod in oblata Regi disciplinæ suæ Apologia, Chrisma impositiove manus nulla oblivione deleretur.

Evolventi antiqua Tempora, & fastos Ecclesiæ, incidit Valentinianorum Baptismus, cui Oleum & Chrisma adjungebatur. Quæ scitu dignissima ab Irenæo memoriæ prodita sunt. *Qui autem sacratur respondet, Confirmatus sum, & redemptus sum, & redimo animam meam ab Æone hoc, & omnibus quæ sunt ab eo in nomine Jao, qui redemit animam ejus in redemptionem, Christo vivente. Dehinc superfantur qui astant, pax omnibus in quibus hoc nomen requiescit. Post deinde ungunt Sacratum oppobalsamo; unguentum enim hoc typum dicunt ejus suavitatis, quæ sit super universa. Quidam autem eorum adducere quidem aquam supervacuum esse dicunt, admiscentes oleum & aquam in unum, cum quibusdam prophanis dictionibus, similibus quæ supra diximus, mittunt super caput eorum qui sacrantur; & hoc esse Redemptionem volunt. Ungunt autem ipsi oppobalsamo.* Hic est Irenæo Scopus, ut Valentiniana inventa quibus ab Ecclesia dissidebant, oratione prosequatur. Illis autem oppobalsamum Baptismo conjunctum inseritur. Totus Valentinianus est hic sermo; *unguentum hoc typum dicunt ejus suavitatis quæ sit super universa.* Item, *ungunt Sacratum oppobalsamo*: quibus Irenæus innuit indicatque id moris in observatione non esse apud Ecclesiam, a Valentinianis ritibus longissime abhorrentem. Iren. l. 1. adver. hæres. c. 18.

Sed nec manuum impositio, jubente Deo, Baptismo adjuncta est. De Novatiano Cornelius apud Eusebium: l. 6. c. 43. *Sed neque postquam liberatus est morbo reliqua percepit quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab Episcopo consignatus est.* Canon Ecclesiæ iis qui antiquitatem perscrutantur a præceptis & divinis, & Apostolicis discrepat quam longissime, vel fatente Bellarmino. *Ecclesiasticæ Traditiones proprie dicuntur consuetu-* Bellar. de verbo Dei, lib. 4. c. 2.

 dines

dines quædam antiquæ, vel a Prælatis, vel a populis inchoatæ, quæ paulatim tacito consensu populorum vim legis obtinuerunt. Equidem, si Sanctus Papa Fabianus in numero, locoque divinarum institutionum Consignationis Episcopalis ritum habuisset, in ordinem Presbyterorum Novatianum hujusce Consignationis expertem, allegisse prorsus incredibile. Superbum divini præcepti contemptorem omnino repudiasset Fabianus.

Ineunte seculo Æræ Dom. Tertio, Chrisma & manuum impositio primum in scenam prodeunt apud Tertullianum, libro de Baptismo, & de Resurrectione carnis, c. 8. *Caro abluitur ut anima emaculetur: Caro ungitur, ut anima consecretur: Caro signatur: ut anima muniatur, Caro manus impositione obumbratur; ut anima Spiritu illuminetur.* Quæ Ceremoniæ sunt aliquæ partes Baptismi, quod etiam atque etiam est considerandum. Baptismus, quippe, Latinis simplex est, vel solemnis: ille sola aqua constat; hic abundat adoptatis ceremoniis. Placuit Apostolis Baptismus simplex, qui nil haberet in se quicquam admissum, dispar sui, & dissimile. Una aqua sacrum regenerationis mysterium peragebatur. Idcirco Paulo Baptismus definitur, *Lavacbrum aquæ. Christus,* inquit, *dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum.* Eph. 5. Nec regenerando homini aliud flagitat Auspex disciplinæ nostræ Jesus, quam *Spiritum & aquam*: & inundato cœlestibus Spiritus donis Cornelio, nullus alius quam aquæ paratur Baptismus. *Num quis aquam prohibere potest quominus, videlicet, baptizentur isti qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos.* Act. 10. 47. Ad Candaces Eunuchum baptizandum missus fuerat Philippus, impellente Spiritu. Nec ullum Chrisma expiatis sacra unda applicatum legitur. Debentur Sal, Chrisma, Salina, aliaque similia quæ Baptismo successere, non Apostolis, vel Apostolicis viris, qui illis familiariter usi sunt, sed aliis recentioribus Autoribus. Quod rotundo candidoque ore Valafridus Strabo profitetur. *Sciendum autem primo simpliciter in fluviis, vel fontibus Baptizatos credentes. Ipse enim Dominus noster Jesus Christus, ut in nobis idem consecraret lavachrum, in Jordane baptizatus est a Joanne... & Philippus Euangelista Eunuchum Baptizavit in fonte quem reperit in via. Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum, Religionis honore, institutionum Ecclesiasticarum usque ad plenitudinem decus crevisse,*

Valafr. Stra. De Reb. Eccl. c. 26.

visse, ita & hujus mystici lavachri gradatim per temporum augmenta in majus celebratio crevit. Addiderant alii Chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine nemo est qui dubitet.

Baptismus solemnis ille est, cui pompa ceremoniarum adhibetur in regenerando. Cum Sacramentum Baptismi ministratur sacerdos hæc voce refert: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Dum uniuscujusque Divinæ Personæ nomen effert, tres facit cruces: ad singulas cruces fundens aquam Baptismi super caput Baptizandi. Deinde dicit, pax tecum; respondetur & cum Spiritu tuo. Postea ungit infantem Chrismate, in modum crucis, cum pollice, vel bacillo in vertice; dicens: Deus omnipotens Pater Domini Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis, in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam: Amen.* Adultam solemni Baptismo antiquitatem esse scimus & tenemus ex Tertulliano. *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotium solebant: sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur: spiritualis effectus quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per Benedictionem advocans Spiritum Sanctum.*

Manuale Sacr.

Tertull. De Bapt. c. 7.

Cæterum, unctionem in Baptismo adhibitam ab institutione Apostolica non manasse, argumento est ritus celebrandi discrimen. Ab Apostolis quippe summa cum fidei, tum disciplinæ concordia conjunctis, unus sive Chrismatis, sive olei applicandi modus, non diversus præscriptus esset. Jam vero multa hic variasse orbis Ecclesias est in confesso. Nonnullis & Græcis, & Latinis, placuit unctio Baptismi prævia. *Cum Baptizando plane vestes Ministri detraxerunt, tum sacerdotes sacrum unctionis oleum afferunt: ipse cum inungendi, ac perfundendi ter exprimendo signo crucis principium fecit; virumque deinceps perfundendum toto corpore Sacerdotibus tradidit, ad matrem adoptionis venit.* Rabanus Maurus de instit. Cleric. l. 1. c. 27. *Benedictione sacerdotali munitur, ut ad sacrum Baptismum cum fide accepta custodiatur. Ungetur illius tunc pectus de oleo sanctificato, cum invocatione S. Trinitatis, ut nullæ Reliquiæ latentis inimici in eo resideant, sed in fide S. Trinitatis mens ejus confortetur. Ungetur & inter scapulas de eodem oleo ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per gloriam Dei roboretur.*

Dionys. Eccl. Hier. c. 2.

Post

Post hæc igitur consecratur fons, & ad ipsum Baptismum Catechumenus accedit, & sic in nomine S. Trinitatis trina submersione Baptizatur. Alii vero una unctione Baptismum excipiente contenti: ad quam pertinet Laodicenus canon 78. *Oportet eos qui illuminantur post Baptisma inungi supercœlesti Chrismate, & esse Regni Christi participes.* Nec non Tertullianus lib. de Resur. car. *Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur.* Sed & hic quoque variatum est. Græcis totius corporis ungendi coluere disciplinam. Cyrillus Hierosolymit. *Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum, sed est Charisma, quod Christi & Spiritus Sancti, id est, Divinitatis ejus præsentiam efficit.* ὅπερ συμβολικῶς ἐπὶ μετώπου καὶ τῶν ἄλλων σου χρίεται αἰσθητηρίων. καὶ τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται, τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι τὸ πνεῦμα χρίεται. *Quo frons, & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur, & corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima vero Sto. Vivificoque Spiritu sanctificatur.* Hinc Presbytero Cononi pudor incussus. αὐτὸς δὲ ἔχριεν καὶ ἐβάπτιζεν τοὺς ἐπὶ τοῦτο παραγενομένους. καθ' ὅτι δὲ ἔχριεν γυναῖκα, ἐσκανδαλίζετο. *Ipse igitur S. Chrismate ungebat & Baptizabat eos qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur.* Sed & in ordine Baptismi secundum usum Æthiopum. *Sacerdos ungit frontem, dorsum, & oculos eorum, in figuram crucis...tibias, ulnas, genua, sola pedum, & spinam.* Ecclesiæ Romanæ castior est unctionis disciplina atque honestior, quæ soli vertici conjungit Chrisma suum.

Cyr. Hier. Catech. myst. 3. de Chrysm.

Moschus in Prat. spirit. c. 3.

Bibl. Patr. tom. 6. p. 73.

Atque nunc apparet quam confusa, & a vero quæstionis statu aliena sit Baronianæ de Confirmatione disputatio. Rivos Chrismatis, Oleique ex Antiquitatis monumentis suos in Annales invexit. At jam satis prudens illa confusio distinguitur, malæque artes dissolvuntur. Quid crescunt inutiles paginæ? Cur Angeli deducuntur cœlo ad Chrismatis ampullam, quam impii *Donatistæ per fenestram, ut frangeretur, jactaverant,* sustinendam? Cur tot e Patrum monumentis suppeditantur Testimonia? Perdis Baroni, perdis oleum, Chrisma, operam tuam. Tu ipse nos docuisti esse, *mysterium sacræ unctionis, qua Presbyteri recenter Baptizatos ungunt in vertice.* Unctionem, item, Baptismo præviam, scimus & tenemus; itaque tuum Confirmationis, sive Chrismatis Sacramentum nudum in scenam productum est. Nobis ergo fraudem cogitasti. Non qualibet Chrismatis unctione census Confirmationis augetur,

augetur, sed & *frontis*, & ab Episcopo peracta. Sic Biel in Sententias dist. 7. *Confirmatio dicitur facta in fronte ubi notatur determinata pars corporis, in qua si non fieret, non esset Confirmatio. Nam unctio cum Chrismate quæ fit in vertice Baptizati pro vero a Sacerdote baptizante non est Confirmatio.* Sic Thomas: *Confirmandus ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.* Sic Florentina Synodus. Unctio illa *in fronte peragitur ubi verecundiæ sedes est, quaque Confirmandus ab Episcopo inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis scandalum est, Gentibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur.* Quæ igitur unctio fronti non adhibetur ab Episcopo, Confirmationi inferri nequit. Sed dolus an virtus, quis in hoste requirat? Struendis insidiis ambages commodissimæ sunt, & aptissimæ. Thom. p. q. 72. a. 9.

Hæc sunt unctionis in Baptismo ac Confirmatione adhibitæ incunabula. Nec ullum ab Ecclesiasticarum rerum perito antiquius, certiusque Chrismatis testimonium afferri potest, quam ex Tertulliano. Non ergo *Chrisma statim post Apostolorum Tempora* in Confirmationem introductum; ut Eruditissimo Pearsonio, aliisque bene multis placuit? Quibus vero de causis immutata simplex Apostolicaque disciplina fuerit, paucis nunc est aperiendum. Tres autem causæ cogitanti incidunt in animum. Prima videtur esse amor Sacramentorum, quibus aliquid majestatis & honoris ex adjunctis ceremoniis conciliari creditum est. Quam causam innuit Tertullianus de Baptismo c. 2. *Nihil adeo est quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ in actu videntur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur: ut hic quoque quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Mentior si non e contrario Idolorum Solemnia, vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & autoritatem sibi extruunt.* Altera ex illa manans causa fuit, via alliciendi & excitandi studia hominum ad Christi Religionem. Pompæ ceremoniarum assuetis mortalibus, Ethnicis Judæisque, sordebat simplex mundicie Baptismus: ut contemptui afferretur remedium, multa pigmenta, temere dicam, an prudenter, in nativa venustaque facie

L Sacramen-

Sacramentorum aſperſa ſunt, quo pompæ fulgore perſtringerent oculos ſpectantium. Ultima adjunctarum Baptiſmo ceremoniarum cauſa, animorum inclinatio fuit ad res divinas ſignis quibusdam, quaſi verbis viſibilibus, menti exhibendis, ut cum per oculis tum per aures demiſſæ, potentius irritarent Religionis cultores. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi Myſt. 3. Καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα, τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη Χριστός: τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἅγιον Πνεῦμα. *Et vobis, poſtquam ſimiliter ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſt Chriſma, quod imaginem gerit illius quo unctus eſt Chriſtus, hoc autem eſt Spiritus Sanctus.* Apud Juſtinum Autor Quæſt. 137. *Si ante ſepulturam Maria unguento Dominum unxit, nos autem in Baptiſmo, Symbola ſignaque paſſionis & reſurrectionis referentes celebramus, quomodo primum oleo ungimur, ac deinde cum Sacro Lavacro quæ dicta ſunt peractis Symbolis, unguento conſignamur denique.* Sic in ſubdita Sylveſtri conſtitutione: *Pura illa Sindon quæ ſub divinorum donorum Miniſterio expanſa eſt, Joſebi Arimathenſis eſt miniſterium. Ut enim ille Domini corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit; per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percepit: Eodem modo nos propoſitionis panem in ſindone ſacrificantis Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus.* Adeant quibus eſt otium Germani Theoriam qua myſticis ſignis Hiſtoria Chriſti adumbratur. His de cauſis adulterata eſt Sancta Sacramentorum ſimplicitas, adductis ex Veteri Teſtamento umbris Ceremoniarum, ut divina ſaltem inſtitutio novitati prætenderetur. *Exinde egreſſi de Lavacro* (verba ſunt Tertulliani) *perunguimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant; ſic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit.*

Tert. de Bapt. c. 7.

Cæterum, duplex hic quæſtio movetur. Prior an manuum impoſitio Baptiſmum Solemnem, veluti partem ejus ſubeat, nec-ne? Poſterior, an etiam Chriſma frontis ad ceremonias Baptiſmi non pertineat. Priori anſam dedit Vir Antiquitatis peritiſſimus Henricus Valeſius, Annot. in librum ſextum Euſeb. *Qui perfectum Baptiſmum acceperant, iis manus tantum imponebatur ab Epiſcopo, ſine Chriſmatione, ut docet canon Arauſicanus.* p. 120. Quibus conſequens eſt, manuum impoſitionem Solemnis Baptiſmi partem non eſſe, quippe qui perfectionem jam ante ſuam adeptus erat, quam Χειροθεσία accederet. Atque

que hanc in sententiam descendere debent Viri illi eruditi qui Confirmationem in numero privilegiorum Episcopalium habent; alioquin necessitate constringerentur fatendi plenum confertumque Baptisma a Presbyteris ministratum non fuisse; cui, scilicet, manus Episcopalis complementum suum addere debuit.

Manuum vero impositionem partem esse Baptismi Solemnis nobis est persuasissimum. Nec alia mens Patribus fuit. Tertullianus, qui solemnem Baptismum primus in conspectum produxit. *Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora libens a Patre descendit super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit columba figura delapsus in Dominum.* Tunc inquit, *cum imponitur manus per benedictionem invocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Profecto si hæc manus impositio a Baptismo distrahitur, vacuus est Spiritus Sancti, ex Theologia Tertulliani, qui aquam pro via assequendi Spiritum habuit. *Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub Angelo Spiritui Sancto præparamur.* Quid clarius? In aquis Spiritum Sanctum non consequimur. Nimirum, ad exemplum suscepti a Christo Baptismi, nostrum Tertullianus existimat. Porro, a Christo non in aqua sepulto, sed ex *aqua ascendenti* Spiritus illapsus fuerat, Marco teste. *Et is statim ascendens ex aqua vidit findi cœlos, & Spiritum quasi columbam descendere super eum.* c. 1. v. 10. Quamobrem Tertullianus in Baptismo Dominico nostri similitudinem quærens, dixit nos præparari Spiritui Sancto, per manus impositionem & benedictionem invocato. Tertullianicæ Theologiæ accedit & illa Cyrilli Hierosol. *Ac Christus quidem cum in flumine Jordane lavisset corpus in quo Divinitas habitabat, aquis tradidit, ascenditque ex illis, & Spiritus Sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem.* Καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη Χριστός. *Et vobis, postquam similiter ex aquis Sacri Lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus.* Jam vero Patres in animum sibi non induxere Baptismum Spiritus expertem, sed plenum atque exundantem gratiæ fontem. Ingreditur itaque Baptismi Solemnis substantiam illa manus impositio qua Spiritus Baptismi indultus est. Cum signum resque signo exhibitæ ad idem Sacramentum pertineant.

Tertul. de Bapt. c. 6.

Cyr. Hier. Catech. Myst. 3.

Ex-

Expugnat pertinacem Adversariorum sententiam insignis ille Cypriani locus ad Stephanum, Ep. 72. *De eo vel maxime tibi scribendum, & cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit... eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos, & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, Baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plane sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur.* Illustris locus, cui nullæ tenebræ offundi possunt. Quid est illa ad accipiendum Spiritum Sanctum manus impositio, nisi ea Ceremonia quam Valesius, Cestriensis Episcopus, Hammundus, pro Confirmatione sua habent. Atqui Cyprianus manuum impositionem cum aqua, veluti partem cum parte, copulat: pars, quippe, est Baptismi illa qua nascimur, qua plane sanctificamur, qua dignitatem filiorum Dei adipiscimur. Ad regenerationem nulla conducit ceremonia nisi Baptismus, qui *lavacrum regenerationis* Paulo definitur. Unum est, non geminum, nativitatis Christianæ Sacramentum. Quocirca his Cypriani, *si Sacramento utroque nascantur*, totum Baptismi mysterium suis partibus distribuitur: perinde atque panis & vinum, quæ non semel Sacramenta dicuntur, in unum completum Sacramentum confluunt. Ob eam ipsam causam impositio manus nomine consummationis a Sancto Martyre donata est. Cujus non alia ratio fingi unquam potest, nisi quia hæc manus impositio Baptismi appendix, & accessio est. Audiatur Ep. 73. *Idcirco quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant Samaritani, Baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat id a Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Si manus impositio pro Baptismi parte non haberetur a Cypriano, quid hæc sibi volunt, *tandummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum est?* Sapienter Clemens Alex. Τέλειον ᾗ τὸ ἀπροσδεὲς φαμεν. *Perfectum autem dicimus cui nihil deest.* Si Samaritanorum Baptismo aliquid deerat, utique ante manuum Apostolicarum impositionem perfectum plenumque a Cypriano existimatum non fuit.

Clem. Alex. Pædag. l. 1. c. 6.

fuit. Solemni Baptismo nil perficiendum *deest*, nec Confirmatio Latinorum in loco complementi Baptismi duci potest, cum omnibus numeris suis Solemnis Baptismus jam absolutus fuerit. Quod igitur Baptismo *deest*, illud tanquam partis accessio adjungitur. Samaritanorum Baptismo deerat manus impositio, qua ad summum usque complectus est. Pars itaque Baptismi, & quasi dignitatis perfectionisque accessio, manus impositio Cypriano fuit.

Pauca mihi liceat Amplissimi Rigaltii verba referre, quibus id argumenti non minimum illustratur. *Absque hoc signaculo, sive Sacramento, Cornelius Episcopus Rom. in Epistola quadam ad Fabianum, Antiochiæ Episcopum, scribit minime esse putandum Novati clinici Baptisma perfectum, aut consummatum fuisse, aut Spiritum Sanctum intervenisse.* Hoc sua lingua sic narrat Eusebius: Ου τῶν τε μὴν ἐδὲ λοιπῶν ἔτυχε ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τῆς Εκλησίας κανόνα τῦτε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Τύτου δὲ μὴ τυχὼν πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε. *Rufinus aliquid Corneliani styli servasse videtur, & quod jacens in lecto pro necessitate perfusus sit; nec reliqua in eo quæ Baptismum subsequi solemniter adimpleta sunt, nec signaculo Chrismatis consummatus sit.* Rigal not. in epist. 73. Quid ni perfectum existimaretur Novatiani Baptisma, si id quo caruit *signaculum*, hoc est, vel docente Valesio, *manuum impositio*, non esset aliquid Baptismi Solemnis?

Eusebi. Hist. l. 6. c. 35.

Atque his Eliberitani Concilii capimus intellectum; *peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavachrum suum integrum habet, nec sit Bigamus, Baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* c. 38. Integer perfectusque Baptismus imperfecto discernitur. Cui vero manus Episcopalis impositio defuit, in lavachri imperfecti ordine collocatum fuit. Unus est & sensus & sermo Leonis Papæ Ep. 37. *Si ab hereticis Baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullum Sacramentum Regenerationis iteretur, sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur; ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus consequatur.* Iterum atque iterum dicam, illud defuit quod Baptismo inesse debuit, nec debuit inesse nisi Baptismi portio quædam, absque qua mancus existimabatur & mutilus. Auditu insolens est Baptismo aliquid deesse si ad eum Eucharistia non accesserit. Con-

celſo ſimiliter diſtinctam penitus a Baptiſmo disjunctamque fuiſſe manuum impoſitionem, quamobrem in Regenerationis Sacramento *aliquid defuiſſe* a Leone dictum fuerit, nullus capio?

Altera quæſtio paucis eſt abſolvenda, Chriſma, ſcilicet, frontis Solemnis Baptiſmi ceremoniis eſſe inſerendum. Quod ſatis ſuperque declarat Dionyſius ille cui Areopagitæ nomen. Ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικῆς εὐχαριστίας. *Pontifex, poſtquam divinitus efficaci unguento virum conſignavit, participem pronuntiat deinceps Sacratiſſimæ Euchariſtiæ.* Quibus conſtat hanc Ceremoniam cenſus Baptiſmalis fuiſſe. Et quæ in Sacramento illuminationis explicatur, & quæ plenam accedendi ad Euchariſtiam poteſtatem ſufficit, quam Sacramentum Confirmationis non ſufficit. Inſignis & in hanc rem locus eſt apud ordinem Baptiſmi, ſecundum uſum Æthiopum. *Sacerdos accipit Balſamum, & orat ſuper ipſum, confirma Domine virtute tua omnem gratiam Spiritus Sancti ſuper hoc Balſamum. Fiat ſanctum: Amen. Fiat ſignum vitæ: Amen. & Confirmatio famulis tuis, Amen. Amen... Poſtea ungit frontem, dorſum & oculos eorum in figuram crucis, & dicit in unctionem gratiæ Spiritus Sancti. Amen... Poſtea imponit manum ſuper eos, & dicit; Benedicti ſitis Benedictione Angelorum cæleſtium. Benedicat vobis Dominus noſter Jeſus: accipite Spiritum Sanctum per virtutem Dei Patris, per virtutem filii J. Chriſti, & per virtutem Spiritus Sancti.* Unctionem porro frontis hac in Liturgia ad Ceremonias Baptiſmi pertinere apparet & promptum eſt, cum ex Miniſtrante, qui Sacerdotem agit non Epiſcopum; cum ex frontis unctionem excipientibus Ceremoniis. *Induunt qui Baptizati ſunt veſtem albam, & Coronam ſuper capita ſua, & myrto & palma, & rubeam veſtem undulatam & Phrigiatam, ſeu acupictam*: quibus declaratur Jeſum a Baptizatis indui, quod in Baptiſmo peragitur.

Flaccus Alcuinus abunde nos de ritibus Confirmationis docuit. *Poſtquam vero veſtiti fuerint Baptizati, deportantur ante Pontificem ad Confirmandum, quibus dat ſingulis ſtolam candidam, Chriſmalem, & decem ſiliquas, & ſic veſtiuntur: & poſtquam induti fuerint, dat Pontifex ſuper eos orationem, impoſita ſcilicet manu ſuper capita eorum, cum invocatione Spiritus Sancti. Hac finita facit crucem de Chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicendo; In nomine Patris, & Filii, & Spiri-*

Dionyſ. Eccl. Hier. c. 2.

Bibl. Pat. t. 6. p. 73.

Alcuin. de Offic. div. p. 259.

Spiritus Sancti. Pax tibi. Respondeant omnes, & cum Spiritu tuo. Hæc verba sunt salutationis ad novum hominem qui regeneratur. Sane illud præcavendum est, ut hoc non negligatur, quia in hoc omne Baptismum legitimum Confirmatur.

Stylum Alcuini vertisset Baronius, nec immerito, si illa Ceremoniarum pompa ad Baptismum non pertineat. *Ad novum hominem qui regeneratur*, inquit Alcuinus. Quid conferunt ad regenerationem si a Baptismo distrahantur? Aliquid virium corroborandis Regeneratis, ex Latinorum sententia possent incutere; regenerationem operari non possent, nisi usurpato Baptismi officio. Iterum dicam *regeneratur*, non regeneratus est, quia instrumentum efficiendæ regenerationis, ritus ille frontem ungendi existimatus Alcuino fuit. Nec illa silentio sunt prætereunda *in hoc omne Baptismum legitimum, Confirmatur.* Quibus indicatur unctionem verticis ad Sacramentum Solemnis Baptismi proinde referri, ac calicem ad Eucharistiam: quo de calice communicantibus propinato, legitur non semel in Ordine Rom. *Post eos Diaconi Confirmant*; ut habitum partis ad sociam relatæ, vox illa innuat indicetque.

Sed, nec minimum virium obtinet canon Arausicanus. *Nullus Ministrorum qui Baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semper in Baptismate Chrismari.* Con. Arauf. 1. c. 2. Quibus de causis Chrisma gestandum a Sacerdotibus qui Baptizandi procurabant provinciam tam arcte præscribitur? An quia etsi Sacramenta distincta, eodem tamen temporis momento de more suscipiebantur? Quid ni quoque similiter & præcipiebatur ne Minister sine Eucharistia progrederetur? Chrisma deferendum præscribitur, quia in solemnitates Baptismi ingrediebatur, non modo verticis, sed & frontis, cujus administrandi facultas Sacerdotibus conceditur canone primo, ut mox probandum. Ni fallar animi Cabassutius veris excidit in hunc canonem Commentario. *Addit Amalarius Fortunatus per istam manus impositionem efformari crucem super fidelibus, eadem faciei parte ubi Pontifex Aronicus in Lamina aurea inscriptum gerebat Dei nomen. Itaque, uno eodemque contactu in Confirmatione manus imponitur, frons Chrismate mystico linitur, & signum crucis efformatur.* Cabassu. Not. Eccles. p. 210. Quæ Viro Docto excidisse miror, cum impositionem manus, ab actu crucem in fronte efformandi diserte distinxerit

rit

rit Amalarius. *Et ut per manus impositionem & orationem detur Spiritus Sanctus, similiter ab autoritate Apostolica sumptum est... dicit Romanus libellus de quo sæpe commemoravimus. Oratione expleta facit crucem cum pollice, ex Chrismate.* Non hic obscura sunt *crucem* inter & impositionem manuum distinctionis vestigia, cum oratio in hisce Ceremoniis sit media. Sed & Alcuinus, Amalario pene coætaneus, utramque Ceremoniam & fingendi crucem pollice, & manum imponendi, tam aperte discrevit, ut vix fidem inveniat virorum cætera eruditorum præjudicium. *Pontifex dat super Baptizatos orationem, imposita, scilicet, manu super capita eorum; hac finita facit crucem de Chrismate cum pollice.* An disciplinam Confirmationis ab Amalario diversam Alcuinus colebat?

Amal. De Off. Eccl. l. 1. c. 27.

Baronius magna pompa Prudentium in Confirmationem citavit testem, sed perversa prudentia. Testimonium elevabit Doctissimi Cassandri Paraphrasis.

Cultor Dei memento
Te fontis & Lavacri
Rorem subiisse Sanctum:
Et Chrismate innovatum.

Cassand. Hymni Eccl. p. 218.

Antiquitus consuetudo fuit, ut Solemni Baptismatis celebratione, quæ de nocte in Pascha Vigiliis peragebatur, Baptizati mox a Presbytero in vertice, deinde ab Episcopo in fronte, sacrato Chrismate consignarentur, ac tandem corpore & sanguine Domini Confirmarentur. Itaque unctio Chrismatis Baptismo, haud aliter fere atque Calix sanguinis Domini, corporis Dominici Sacramento, conjungebatur. Ita enim Sacramenta numerant Gregorius, Isidorus, Rabanus. Sunt autem Sacramenta Baptismum & Chrisma, corpus & sanguis: & quemadmodum Baptizati Chrismate ab Episcopo Confirmari, ita quoque qui corpus Domini acceperunt ab Episcopo, vel Diacono, Calice sanguinis Domini Confirmari dicebantur... Tametsi autem Chrisma Baptismo, item ut sanguinis Sacramentum Sacramento corporis jungebatur; id tamen discriminis erat, quod Confirmatio sanguinis in solemni & publica Eucharistiæ administratione, statim & semper Confirmationem corporis consequebatur. At Confirmatio Chrismatis quæ per Episcopum fit, quamvis auctarium quoddam

sacri

ſacri Baptiſmatis ſit habita, non tamen ſtatim & ſemper Communicationem corporis conſequebatur. Quæ Viri Docti etiam atque etiam ſunt obſervanda.

Caſtiganda hic ſunt cum error, tum incuria Baronii, qui Chriſtophorſonianæ Euſebii Verſioni fidens, Confirmationem extundit ex loco a Confirmatione alieno. *Clemens Alex.* inquit, *agens de Adoleſcente qui a Joanne Evangeliſta ad Chriſtum converſus eſt, hac in eandem ſententiam: Ad extremum, Baptiſmi Sacramento illuminavit, poſtea vero ubi ſigillo Domini (id eſt Sacramento Confirmationis) obſignaſſet.* n. 14. Quem errorem non mea, ſed Clariſſimi Valeſii cenſura vexabit. Τὴν σφραγῖδα τῦ Κυρίυ. *Veteres Chriſtiani ita Baptiſmum vocabant, ut, præter cæteros, docet Gregorius Nazianzenus in Oratione* 40. *ubi Baptiſmum diverſis nominibus a Chriſtianis* vocari obſervat. Δῶρον καλῦμεν, χάρισμα, Βάπτισμα, Χρίσμα, Φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λυτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγῖδα, πᾶν ὅτι τίμιον. *Cauſam vero cur Baptiſmum vocet* σφραγῖδα *idem Gregorius ſubjungit; quod, ſcilicet, Baptiſmus ſit conſervatio & nota dominii. Male ergo Chriſtophorſonus, hunc Euſebii noſtri locum de Sacramento Confirmationis interpretatus eſt. Atqui Græca id non ſonant.* Sed & proprium in errorem Cardinalis delapſus eſt, non a Joanne Evangeliſta adoleſcens ad fidem perductus eſſe perhibetur. Hæc ex Clemente Euſebius. *Joannes ad extremum viſo Juvene quodam, ſtatura corporis egregio, vultu non invenuſto, & ferventi indole prædito, converſus ad eum quem ordinarat Epiſcopum: Hunc, inquit, coram univerſa Eccleſia, & ſub teſtimonio Chriſti ſtudioſe tibi commendo... Presbyter vero Adoleſcentem ſibi traditum, in domum ſuam ſuſcipiens educavit.*

Vales. Annot. in Euſeb. p. 45.

Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 23.

Cæterum, & ſibi, & Lectoribus illudit illuſtriſſimus Purpuratus, qui in prima Antiquitate Confirmationem poſuit ſuam quæ ab illa Veterum maxime disjuncta eſt. Mitto quod Græcæ, Æthiopicæ, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, Romana ætate grandiores, Chriſma cunctis corporis ſenſibus applicent, non uni fronti. Obſervari præterea poſſunt aliæ novitates ab antiquis Latinorum moribus non minimum diſſidentes. Arcto nodo, cum facultas aderat, Chriſma Baptiſmusque copulabantur: quod Alcuinus memoria complexus eſt. *Ut autem ſurrexit a fonte Baptizatus, faciat Presbyter ſignum crucis... poſtea veſtiatur infans veſtimentis ſuis. Si vero Epiſcopus adeſt, ſtatim Confirmari eum*

 oportet

oportet chrismate, & postea communicare. Inter utriusque Mysterii celebrationem interponi dies septem Durandus voluit. *Baptizatus Confirmari non potest, nisi demum post septem dies post Baptismum, propter dona Spiritus quæ recipit in Baptismo, nam pro singulis donis, decet dies singulos celebrare.* Nunc vero multi implentur anni inter utrumque ritum usurpatum, quod magis a Maldonato probatur. *Quando autem Confirmari debeant Baptizati, ea in re laudabilior consuetudo est Ecclesiæ hodiernæ quam veteris. Nam in Ecclesia veteri statim post Baptismum Confirmatio & Eucharistia dabatur etiam infantibus: nunc autem merito expectatur illud tempus, quo tempore possint Baptizati confiteri fidem suam.* Vetus inter novumque Chrisma aliquid est & discriminis. Absente Episcopo, *corpore & sanguine Dominico omne præcedens Sacramentum in Baptizato Confirmabatur*: quia, judice Rabano, *hæc ideo accipere debet, ut Deum habere mereatur in se habitatorem.* Alia nunc ratione Latini suos mores condidere, sequitur Confirmationem Eucharistia. Hoc inter veteris novæque Confirmationis formam etiam interest, quod olim, finita oratione, Pontifex faciebat crucem de Chrismate, inter dicendum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pax tibi: quæ novi hominis regenerati salutatio est.* At Florentino edicente Concilio, forma consecrationis est; *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Denique, novum ab Augustino suppeditatur discrimen. Confirmationem sine ejus injuria repeti non posse Latini sciscunt. Alia Augustino sententia fuit l. 3. contra Donat. c. 16. *Manuum impositio non sicut Baptismus repeti non potest.* Illud etiam ex Maldonato notabile. *An Confirmatio data ab Episcopis hæreticis repeti deberet in Ecclesia Catholica, non ita fuit certum: imo existimo in tota Vet. Ecclesia fuiße repetitam, quia non existimabatur esse vera Confirmatio: nunc vero Ecclesia sentit non magis esse repetendam Confirmationem hæreticorum quam Baptismum.* Glorientur nunc nominibus Veterum Annales, cum Patribus Ceremonias, Autoritatemque Ecclesia Romana aperte sic abrogarit.

Maldon. de Confir. p. 197. q. 2.

Raban. de Inst. Cler. l. 1. c. 2.

Mald. de Confir. q. 2.

ANNO XXXV. NUM. XIII.

An Confirmatio, manusve impositio solis concessa Episcopis? Usus Antiquæ Ecclesiæ varius, quo demonstratur Confirmationis disciplinam non manasse ab Apostolis. Consuetudo Ecclesiæ Rom. solis Episcopis Confirmandi contribuens Autoritatem. Argumenta ex Innocentio, Gregorio Magno, Amalario, Rabano: quorum sententiæ Theologi insignes Latinæ Scholæ adhæsere. Aliarum Ecclesiarum ritus diversus. Pugnæ Latinorum de Ministro Confirmationis. Ante Sylvestrum jus dispensandi & conficiendi Chrismatis, Presbyterorum in Ecclesia Rom. fuit. De insigni Gregorii ad Januarium Calaritanum Epistola. Corruptam fuisse ostenditur, ac restituitur. Concessam esse Presbyteris manuum impositionem, contra Baronium, Clarissimumque Cestriensem probatur ex Clem. Alex. Eliberitana Synodo, Ambrosiastro, liturgia Æthiopum. Qua de causa in jus præsulum concessit Confirmatio? Manus impositionem ad Presbyteros etiam pertinere, Cypriani sententia fuit, & argumentis declaratur.

A condita urbe Massilia, gladius erat ibi quo noxii jugulabantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia Antiquæ consuetudinis monumenta servanda. Urbis Massiliæ premere vestigia Latinos facile credimus. Antiquorum enim monumentorum abrogato usu, nomen retinuere. Nulla nunc apud Romanos viget in Confirmatione manuum impositio. Quid igitur sibi volunt illa Cardinalis; *sicut olim tantum Apostolis, sic solum Episcopis concessa est*? Atqui Baroni manus impositio funditus periit, & ex tua Confirmatione deleta est. Nec applicatio pollicis, aut impositio manus censeri debet; aut si esse conce-

datur, differt plurimum ab Apoſtolica. Verum faciles largiamur hodiernam Confirmationem ab Antiqua non diſcrepare. Quæſtionis eſt an Confirmatio ſit inter privilegia Epiſcopalia quæ cum Presbyteris communicari non poſſint? Bellum fatale hic in Regno Latinorum verſatur, quæ certamina non minimum conferunt ad veritatis victoriam. Nec enim lege Apoſtolica de adminiſtranda Confirmatione mandari potuit, quin etiam de Miniſtro præſcriberetur; ut ſi de Diſpenſatore hujuſce ritus multa varient Eccleſiæ, hinc non fallax ducatur argumentum ab Apoſtolis non manaſſe Confirmationis diſciplinam, quam certam fixamque Poſteris tradidiſſent. Atqui de Miniſtro Confirmationis nec Eccleſiarum una praxis fuit, nec Theologorum Rom. unus ſenſus eſt.

Olim in uſu Eccleſiæ Romanæ fuit, ut ſolus Epiſcopus Confirmationis Diſpenſatorem ageret, & patet ex Innocentii reſcripto ad Decentium, Ep. 1. c. 3. *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hac autem Pontificibus ſolis deberi ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo demonſtrat, verum & illa lectio Apoſtolorum quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos qui jam Baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam de Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo Baptizant, Chriſmate Baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare; quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum Sanctum.* In eandem ſententiam deſcendit & Amalarius. *Notandum autem quod Philippus, qui Samariæ Evangelizabat, unus de ſeptem fuerit. Si enim Apoſtolus eſſet ipſe, utique manum imponere potuiſſet, ut acciperent Spiritum Sactum: hoc enim ſolis Pontificibus debetur.* Unus & ſenſus eſt Rabani. *Sicut*, inquit, *poteſtas & privilegium apud ſolum Epiſcopum conſtat, quod ſacrum Chriſma ipſe conficiat, & Baptizatum per manus impoſitionem, cum ipſo Chriſmate conſignet.*

Amal. de Eccl. Offic. l. 1. c. 27.

Raban. de Inſt. Cler. l. 1. c. 8.

Ad hanc diſciplinam adhæſere complures Scholaſtici, docente Maldonato, de Confirmatione 2. Quæſt. *Secunda ſententia fuit multorum Scholaſticorum, qui putarunt ita Epiſcopum eſſe miniſtrum Confirmationis; ut Presbyter neque ex officio, neque ex commiſſa poteſtate poſſit Confirmare: & ſi Confirmet, non eſſe Sacramentum; quorum argumenta ſunt,*

quod

quod Episcopus aut solus jure divino est minister, aut non solus, sed etiam Presbyter est minister. Si solus Episcopus jure divino minister est, nemo alius potest ex commissione esse minister: nam jus divinum non potest abrogari jure humano. Si Presbyter etiam jure divino est minister, sed tamen jure humano prohibetur ne confirmet, sequeretur Presbyterum, qui tentaret Confirmare, dare verum Sacramentum, etiamsi peccaret, quemadmodum Laicus qui Baptizat coram Presbytero. At Augustinus inquit peccat, sed Baptizat. Secundo quod ipse Episcopus necesse est habeat autoritatem Confirmandi, vel ratione ordinationis, vel ratione jurisdictionis. Si ratione ordinationis habet, non potest autoritas Confirmandi committi Presbytero. Nam quæ ordinationis propria sunt, non committuntur: sicut potestas consecrandi non potest committi alteri. Si ratione jurisdictionis, sequitur posse committi autoritatem Confirmandi etiam in alium, quemadmodum autoritas excommunicandi committi potest. Præterea, quia tam proprium Episcopo fuit semper Confirmare quam Ordinare: potestas autem Ordinandi non potest committi Presbytero; ergo nec potestas Confirmandi. Hæc eadem opinio imbuit mentem Estii, nobilis Latinorum Theologi, qui suis rationibus, eam doctrina insignibus Gallis compluribus, & Episcopis & Abbatibus insevit, ut constat ex certaminibus Joannis Vergerii Hauranii Sancti Cygirrani in Biturigibus Abbatis, sub Aurelii Victoris nomine latentis, cum eruditissimo Sirmondo.

Contra vero, *multi Theologi*, ait Bellarminus, & *omnes Canonistæ contrarium docent, & quidem longe verius est quod isti posteriores affirmant... Gregorius l. 4. Ep. 36. apertissime permittit Presbyteris Sardiniæ ut in absentia Episcoporum Confirment... Denique, Concilium Tridentinum de Confirmatione, ideo ait ordinarium ministrum esse Episcopum, ut indicaret posse extraordinaria potestate idem fieri etiam a Presbytero. Ex quo apparet error Chemnitii qui in suo Examine, parte secunda, dicit, Concilium definivisse contra Thomam & alios quosdam Doctores, imo & contra ipsum Gregorium, solum Episcopum esse ministrum Confirmationis.* Sic per mutua vulnera cadunt Latini hoc in Civili bello ad quod consurgunt. Vim sane demonstrationis ex disciplina Romana obtinet gravissimum illud Estii argumentum. *Potestas enim Confirmandi, aut competit Episcopo ratione Sacerdotalis consecrationis, aut ratione Episcopalis, quorum prius dici non posse videtur; nam ita omnibus sacerdotibus communis esset hæc potestas, sicut potestas consecrandi corpus & sanguinem... Quod si vero ratione consecratio-* Est. in Sent. l. 4. dist. 7. a. 21.

secratio-

secrationis Episcopalis competit, non poterit igitur qui eam consecrationem non habet, ulla superioris commissione Characterem Confirmationis imprimere, quomodo nec Diaconus potest ex commissione consecrare corpus Domini. Ex altera parte Estiani obruuntur exemplis, & autoritate Conciliorum tanquam fluctu. *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem* (verba sunt Florentinorum Patrum) *ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quæ aperte ostendunt, declarantque huic Traditioni Florentinos adjunxisse fidem. An Sanctissimis decretis suis fabulam inseviissent? Aut cui bono ille verborum apparatus, *ex rationabili, & urgente admodum causa*, si nulla de causa Presbytero Confirmationis administrandæ provinciam committi posse persuasum habuissent? Quamobrem Synodus Tridentina edixisset, Episcopum *ordinarium esse Confirmationis ministrum*, ni extraordinariam communicandi hujusce Sacramenti potestatem adjungi Presbytero posse existimasset?

Non ea mens est animo tanta dirimere certamina. Hinc solum colligimus, nec Confirmationis disciplinam esse ab Apostolis promulgatam, de cujus dispensatore nondum constat; nec eandem ubique terrarum viguisse consuetudinem. Luce clarius est cum ex Innocentio, tum ex Gregorio, id moris esse Romanæ Ecclesiæ, ut solis Episcopis frontem Chrismate signandi facultas adjungeretur. *Pervenit ad nos* (verba sunt Gregorii ad Januarium Episcopum Calaritanum) *quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re contristantur aliqui ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus Baptizandos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Quid clarius? Secundum *usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus*, hoc est, Romanæ. Alias vero Ecclesias alium tenuisse morem apparet ex scandalo cui causam dederat Gregorii prohibitio, tentantis illas ad Romanæ Ecclesiæ, de Confirmatione administranda, disciplinam deducere. An vero mos ille semper in Ecclesia Romana obtinuerit, ut soli Episcopi Chrismate frontem consignarent, non immerito in dubitationem adducitur ex insigni Pontificalis in vita Sylvestri loco. *Constituit ut Presbyter Arianum resipiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designaret eum.*

Greg. l. 3. Epist. Ep. 26.

eum. Constituit & Chrisma ab Episcopo confici, & privilegium Episcopis contulit ut Baptizatum consignent, propter hæreticam suasionem. Hic & hoc constituit, ut liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Si constituit Sylvester Chrisma ab *Episcopo confici*; aut nullus erat in Ecclesia Rom. Chrismatis usus ante Sylvestrum, aut a solo Episcopo Chrisma non conficiebatur. Optio hæc Latinorum sua est, utram harumvis conditionem recipiant. Si a solo Episcopo non conficiebatur, utique nec a solo administrabatur. Quis enim Presbyteros exueret facultate usurpandi illud ipsum Chrisma quod confecerant? Si constituit Sylvester ut *Baptizatum Presbyter liniat Chrismate, propter occasionem transitus mortis*; an verticali, an frontis *Chrismate?* Equidem si fides Amalario, *in Gestis Pontificalibus legitur, Sylvester Papa instituit ut a Presbytero ungeretur Neophytus in cerebro. Ita enim scriptum est, hic constituit ut Baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum propter occasionem transitus mortis.* Sed hinc apparet & promptum est, Amalarium ex sui seculi moribus Antiquos existimasse. De cerebro, ne μῦ quidem in Gestis Pontificalibus, & absurdum est atque absonum extra modum, ante Sylvestrum qui, ut vulgo perhibetur, anno 314. ad 335. Cathedram Romanam tenuit, Presbyteros non satis habuisse autoritatis ad sufficiendum Baptizatis verticale Chrisma. Quasi vero Laïcorum & Presbyterorum de Baptismo celebrando sors æqualis fuisset, neutrisque ante Sylvestrum permissa fuissent Baptismi solemnia; sed Presbyteri, non secus ac Laïci facultas, in ministranda aqua tota versaretur. Imo omnibus notum est atque obuium, adolescente sensim Episcoporum autoritate, levatam fuisse Presbyterorum, quibus abdicata sunt plurima privilegia. Idcirco in dubio ponendum non est de *frontis* Chrismate intelligendum esse Sylvestri decretum. Quod patet & Lege ab eodem promulgata: *Constituit etiam clara voce Sylvester Episcopus urbis Romæ, ut nemo Presbyter Chrisma conficeret, dicens quoniam Christus a Chrismate vocatur.* Quibus innuebat privilegium Sacri unguenti consecrandi summis Sacerdotibus esse contribuendum, quod hucusque Presbyteris commune fuerat.

Amala. de Offic. Eccl. l. l. 1. c. 27.

Can. 5.

Cæterum, observandum est non immerito insignem illum Gregorii ad Calaritanum Episcopum locum corruptum videri, quod aperte tuetur Maldonatus. *Ex quo*, inquit, *sequitur verba Gregorii in Ep.* 26.

Mald. de Confir. q. 2. p. 137.

26. *fuisse corrupta ab aliquo defensore contrariæ sententiæ.* Nam Gratianus de Consecr. can. 5. *pervenit*, citat verba Gregorii, ubi legit, *Baptizatos*, nunc autem plerique libri legunt, *Baptizandos*. Addam ex abundanti Thomam Aquinatem 3. p. q. 72. a. 11. *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus.* Sane, ratio ipsa ostendit locum Gregorianum a mala manu fuisse interpolatum, cum moris non esset Ecclesiæ Romanæ Baptizandos, sed Baptizatos *in frontibus Chrismate tangere.* Deinde, quod vetitum a Gregorio fuerat, ad vitandum scandalum Presbyteris permittitur. Quid vero prohibitum fuerat? ne Baptizandos ungerent? Minime gentium: sed ne, quod Episcopi in Ecclesia Rom. privilegium fuit, Presbyter Chrismate frontem Baptizati liniret.

Accedat Arausicanum Concilium, c. 1. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate & Benedictione consignari placuit.* Confirmationem his pingi nil clarius. Quid enim est Confirmatio, si hæc non est? Placuit consignari: quomodo? cum Benedictione & Chrismate. Quando? si desideretur Episcopus; quæ in verticalem Unctionem referri non possunt. Denique, huic & disciplinæ consentit Græcorum Ecclesia, apud quam fas est Presbyteris Chrisma applicare fronti. Imo aspere invehuntur in Latinos, quod suis Presbyteris Chrismandi abrogarint facultatem, ut in Epistola Nicolai proditum memoriæ circa annum 876. *& insimulare tentant quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire Baptizatorum frontes inhibemus.*

Ingrediar nunc ad examinandam sententiam Clarissimi Cestriensis Episcopi, aliorumque bene multorum, qui *soli Episcopi impositionem manuum reservatam fuisse* existimant cum Baronio. Imponendæ manus expertes facultatis non fuisse Presbyteros declarat insignis ille Clementis Alex. locus, in mulieres alienos capillos sibi apponentes. Τίνι γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicit? Non mulieri quæ ornata est, sed alienis capillis.* Si in ascitos mulierum sive Catechumenarum, sive Baptizatarum capillos Clemens ille se intendit adversarium, nonne consequens Baptizatis Benedicendis Presbyterorum manus applicatas fuisse? Sacerdotalis impositionis manuum Eliberitanum Concilium insolens non fuit,

C. 77.

c. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos Baptizaverit, Episcopus eos per Benedictionem perficere debebit.* Quæ Benedictio manu imposita peragebatur; additum vero huic ceremoniæ nomen *perfectionis*, quia extremus Solemnis Baptismi actus fuit, & complementum. Ergo si Diaconus plebem regens ubi fuit Presbyter, aliquos Baptizabat, ab Episcopo perfici Baptizatus non debuit. Cessante caussa cessabat & effectus, quodque Baptismo deerat a Presbytero perficiebatur. Sane, si facultatem imponendæ manus propriam esse Præsulibus Eliberitani existimassent, aliter Canonem suum condere debuerunt. *Si quis Presbyter regens plebem, sine Episcopo aliquos Baptizaverit, Episcopus eos per Benedictionem perficere debebit.* Sic leges suæ ab iis promulgarentur, quibus persuasissimum est nullam inesse Presbyteris manus imponendæ potestatem. Nec ulla ratio idonea afferri potest, quamobrem in Eliberitano Canone insertum est *aut Presbytero*, si ut Diacono, sic Presbytero jus nullum perficiendi Baptizatum competat. Adducatur & coram oculis nobilis ille Ambrosiastri locus in Eph. 4. *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si non sit præsens Episcopus.* Eadem habet Autor Quæst. Vet. & Novi Testamenti inter opera Augustini editus, quæst. 101. *Nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Scribe *consignat* ut apud Ambrosium. Σφραγίζειν proprie est *consignare*; consignare autem, & manum imponere, idem est Patribus. An Apostolica instituta violavit illustris Ecclesia suis Episcopis longe clarior, quam amplitudine sua, Regiisque incunabulis? & passi fuissent Dionysius, Petrus, Athanasius, Alexandrini Episcopi, Presbyteros se Religionis vinculo exolventes, & ruptis omnibus modestiæ carceribus, in sacrum propriumque munus Episcoporum invadentes? Et Orbis Ecclesiæ tantum nefas, quo omnia jura perturbabantur, dissimulassent silentio? Et Ambrosiaster, & Autor Quæstionum apud Augustinum nullam novitatis aut corruptionis notam Alexandrinorum Ægyptique disciplinæ non inussissent? Quid plura? In ordine Baptismi secundum usum Æthiopum quater imponit Sacerdos manum suam. 1. *Super capita eorum qui Baptizandi sunt.* 2. Postquam Baptizati sumpserunt *corpus Sanctum & sanguinem venerandum Domini.* Deinde, Diaconus *dat eis lac & mel, & iterum Sacerdos imponit manus suas super eos, & dicit: crescant famuli tui, Do-* Bibl. Patr. t. 6. p. 60.

N *mine*

mine, ad sapientiam tuam. Ungit *frontem, dorsum, & oculos eorum in figuram crucis--& iterum imponit manus.*

Atque hic agitanda Quæstio est quamobrem manuum impositio conjuncta tandem soli Episcorum dignitati, fortuna bonumque fuerit? Postquam Episcopalis autoritas sensim adoleverat, cum nomine *Summi Sacerdotis* collatum est privilegium Præsulibus, ut sine eorum nutu atque permissu, ne ipsi Presbyteri quidem sacra peragerent, quod a Tertulliano aperte proditum memoriæ. *Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi autoritate, propter Ecclesia honorem: quo salvo salva pax est.* Expertem manus imponendæ facultatis Presbyterum non fuisse ex eo satis superque constat, quod inter Baptismi suppellectilia refertur a Septimio solemnis illa Ceremonia, c. 9. *Diximus quantum mediocritati nostra licuit, de universis qua Baptismi Religionem struunt.* Quænam sunt illa *universa*, nisi *Unctio, manuumque impositio*, quas superiori capite fusa oratione fuerat prosecutus? Sed dignitati debebatur Præsulum, ut si adessent, ipsi sacra obirent; salvo tamen Presbyterorum jure, vel absentibus, vel concedentibus Episcopis. Rem ut aliquo exemplo confirmemus, autore Christo Presbyteri autoritatem reconciliandi Pœnitentes induerunt. Atqui sciscit Cartaginense 3um. c. 32. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo, non reconciliet Pœnitentem, & necessitate cogente.*

Tert. de Baptis. c. 17.

Sed & voluntatis inclinatione Baptizati magis propendebant ad Episcopum, veluti digniorem, recipiendæ manuum impositioni. His de causis ordinariæ χειροθεσίας dispensatores profitemur Episcopos; eoque pertinere Epistolam 73. Cypriani ad Jubaianum faciles largimur. *Quod deerat, id a Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia Baptizantur, Præpositis Ecclesia offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Stylo Cyprianico Præpositus Episcopum præcipue designat. Ep. 10. de Fabiano Papa. Rom. *Quod & vobis esset circa Præpositi memoriam gloriosum.* Ep. 6. *Ecclesia enim gloria Præpositi gloria est.* Ep. 9. *Quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogi-*

cogitantes, quod nunquam omnino sub Antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu Præpositi, totum sibi vindicarent. Sed constanter negamus & pernegamus his Cypriani excludi Presbyteros a jure manus imponendæ; quod duobus argumentis demonstramus. Primum ducitur ex Baptismo, quem totum communicare Sacerdotibus in integro fuit. Jam vero pars erat Baptismi manuum impositio. Hinc in Concilio Cartag. Nemesianus a Thunubis. *Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant, & sic recipiantur; cum manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.* Nimirum, Cypriano duobus actibus perficitur Regenerationis mysterium, aqua, & manus impositione. Conc 3. Cartag. c. 36. *Porro autem,* inquit, *non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum Sanctum, sed in Baptismo, ut Spiritum jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus plasmavit, & tunc insuflavit in faciem ejus flatum vitæ.* Aqua delineat Christianum, manus imposita absolvit: illa corpus fingitur, hac infunditur anima novo homini perficiendo. Secundum argumentum ex Cypriano, pro jure Presbyterorum de imponenda Baptizatis manu, petitur ex χειροθεσίᾳ Reconciliatoria, quæ ad officium pertinebat Episcopi. Ep. 9. *Nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita.* Ep. 10. *Ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam.* An majus impositionis *Confirmatoriæ* quam *Reconciliatoriæ* mysterium? Fingemusne animo & cogitatione, necessitate urgente, Diacono permissam esse *Reconciliatoriam* impositionis manum, *Confirmatoriam* Presbytero non esse permissam? Ut orationem contraham, quod principio rerum soli Episcopatus honori delatum fuerat, crescente tandem autoritate, in jus potestatemque Præsulum concessit, cum Presbyteris nulla via communicandum. Exemplo sit Virginum consecratio, quæ olim inter privilegia Presbyteri numerabatur. *Ut Presbyter,* Cyp. Ep. 74. ad Pompe. *inconsulto Episcopo, Virgines non consecret.* Id juris tandem ad solam Pontificum autoritatem raptum, teste Hispal. Synodo 1. c. 7. *Quamvis cum Episcopis plurima Presbyteris mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen autoritate veteris legis; quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint; sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum consecratio, constitutio altarium, Benedictio, vel Unctio; siquidem nec liceat eis benedicere Ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositiones*

nes manus fidelibus Baptizandis, vel conversis ex hæresi Spiritum Sanctum tradere; nec Chrisma conficere, nec Chrismate Baptizatorum frontem signare, sed nec publice quidem in Missa quemquam Pœnitentem reconciliare. Vere atque candide removent & prætermittunt autoritatem Apostolicam e sua disciplina, solis, quippe, Ecclesiasticis regulis, non adeo antiquis, illa Præsulum privilegia nitebantur.

ANNO XXXV. NUM. XVII.

De Confirmationis efficacia. Quam Chrismati suo vim Baronius contribuit, ad Solemnem Baptismum pertinere, testimoniis Nazianzeni, & Damasceni probatur. De Charactere, altero Confirmationis effectu. Inventum esse cum ratione & Antiquitate pugnans, breviter demonstratur. Incognitus Character Rabano, Amalario, Straboni, Lombardo; dubius Scoto. Confirmationem non fuisse Sacramentum Antiquis ostenditur, cum Novatianis Chrisma rejicientibus, tum insigni Bedæ loco. Æthiopes, Nestorianique Sacramenti Confirmationis insolentes.

Coronidis loco de virtute Confirmationis ab illustrissimo Purpurato nonnihil additum; deinde, quasi ex *Novatoribus* triumphum egisset, ex Augustini axiomate, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur*: colligit, *tam in Orientali quam in Occidentali Ecclesia semper viguisse* Confirmationis Sacramentum. Atqui Baroni, quam tuo Sacramento contribuis efficaciam, tota Baptismi est, cujus Confirmatio portionem exercet. Ad alia festiuanti sufficiant Nazianzeni, Damascenique testimonia. Ille Orat. 40. *Ἐὰν σοι προσβάλῃ μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ τοῦ φωτὸς διώκτης καὶ πειραστής—ἔχεις ᾧ νικήσεις: μὴ φοβηθῇς τὸν ἀγῶνα, προβαλοῦ τὸ ὕδωρ, προβαλοῦ τὸ Πνεῦμα ἐν ᾧ πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβεσθήσεται. Si te luminis Persecutor, & Tentator post Baptismum adortus fuerit, habes quo eum superes: ne certamen reformides, aquam oppone,*

pone, Spiritum oppone, in quo ignita omnia illius pravi tela extinguuntur. Hic Orthodoxæ fidei lib. 4. p. 297. Νῦν μὲν οὖν διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγίς, καὶ φυλακτήριον, καὶ φωτισμός. *Nunc igitur per Baptisma, primitias Spiritus Sancti accipimus, & initium alterius vitæ fit in nobis, id est, primitiæ regenerationis, & signaculum, & tutela, & illuminatio, & sanctificatio.* Annon effectus Baptisma obtinet, quos adjungunt Confirmationi suæ?

Ad novum quidem effectum vires dant Sacramento Chrismatis, Characterem, scilicet, quem, ne esset ludibrio, Anathematum cinxere præsidio Tridentini Patres, Sess. 7. c. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, Anathema sit.* Hæc Characterum mysteria, quæ est ingenii mei tenuitas, me non capere aperte profiteor. Nec mihi videre videor sive in Natura rerum, sive in Scriptura, illam *signi spiritualis, & indelebilis* notionem, quam animis consignare conantur. Signum, quippe, definiente Augustino l. 2. de Doctr. Chr. c. 1. *Res est sensilis, quæ præter speciem quam sensibus ingerit, aliud etiam simul in cogitationem venire facit.* Quæ definitio an suo signo quod imaginantur in mente, accommodari possit valde dubito? Nec magis capio quid rei significatæ sit illi signo parte alia respondentis? Quo magis miror Scholasticos sanctissima illa profundissimaque Mysteria audacter ingredientes, atque tot diversos Characteres suis discriminibus discernentes. Exemplo sit Estius, Scholæ Romanæ primipilus. *Nonnihil difficultatis habet quæstio quæ moveri solet de discrimine Characteris hujus Sacramenti a Charactere Baptismi; utrum, videlicet, hic ab illo differat in genere signi, an vero secundum rationem perfecti & imperfecti.* Est. l. 4. d 7. a. 16. Unum certe & certo scio, nullum ex Antiquitate Characteri comparari posse præsidium. Fons & principium hujusce fidei Innocentius 3[us]. esse non immerito creditur. Inclinata jam Ecclesia, de Confirmatione accurate tractatum est ab Alcuino, Amalario, Rabano, Strabone, Lombardo, quos apud de Charactere ne verbum quidem. Ut orationem contraham solum exscribam Rabanum. *Signatur Baptizatus cum Chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus* Raban. lib. 1. de Inst. Cler. c. 30.

 San-

Sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientia, & virtutis venire in hominem declaretur. Dum enim ipse Spiritus, post mundata & benedicta corpora, atque animas, libens a Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret, & illustraret; & nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei quod in fronte suscepit, faciat eum donis Cælestibus repletum, & sua gratia confecta, tum intrepide & audacter coram Regibus & Potestatibus hujus seculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. In hac fusa efficaciæ Confirmationis descriptione omisisset-ne Characterem Rabanus, si notus ipse fuit? Quis e Scholasticorum grege in materiam Confirmationis ingrediens, signum illud indelebile Tridentinorum silentio præteriit? itaque Characteri manu favente antiqua Traditio non plaudit, unde Scotus, teste Soto, *tenuissimam opinionem ostendit se habere de Charactere: contendit enim probare Characterem neque ex Sacris literis, neque ex Sanctorum Patrum Testimoniis, neque per rationem colligi posse.* In observatione ponendum Thom. Waldensem autoritatem adhibuisse Hieronymi probandæ de Charactere Traditioni perpetuæ. *Citat*, inquit Vasques t. 6. quest. 63. a. 6. *Citat ex Hieronymo in libro interpretationis triformis hæc verba: Character ferrum coloratum quo nota pecudibus inuruntur. Character Græce forma dicitur: quæ in Hieronymo invenire non potui, neque video unde hæc differentia inter Characterem & Charactērem Valdensis colligere potuit; si quidem vox hæc Græca est, Græce autem hæc solum est vox Charactēr.* Quid his artibus non probabitur? Sapienter fecit Baronius qui *virtuti Sacramenti* Confirmationis Characterem non adjunxit, quem patribus incognitum esse noverat.

Porro, in loco numeroque Sacramentorum ab omnibus ubique terrarum Ecclesiis Confirmationem non haberi, testificantur antiqui, novique Scriptores. De Novatianis a Theodoreto memoriæ proditum. *Iis qui ab ipsis tinguntur sacrum Chrisma non præbent, quocirca eos etiam qui ab hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Itaque, si Chrisma germanum Sacramentum a Solemni Baptismo disjunctum constituit, gravissime accusari a Patribus Novatiani debuere, quod de Sacramentorum a Christo institutorum numero detraherent Confirmationem; jam vero a Novatianis

Theod. l. 3. Hær. Fab.

vio-

violatum legitimum Sacramentorum Ecclesiæ numerum atque imminutum fuisse, Patrum nulli questi sunt. Et incredibile est Fabianum, Sanctum Pontificem in ordinem Presbyterorum allegisse Novatianum, Confirmationis expertem, si naturam veri Sacramenti induisse jam credebatur. Octavo seculo floruit Venerabilis Beda, quem Confirmationem e Sacramentorum numero exemisse apparet, & promptum est ex insigni loco. *Sciendum autem*, inquit, *quod illa unctio quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia a duabus prædictis, & vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda; propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.* Jam vero secunda unctio quæ Presbyteralis est, nec pro Sacramento habetur, nec a Baptismo, cujus portio est, disjungitur. Æthiopica Ecclesia non ignobilis Christi Regni pars est: At, teste Zaga Zabo apud Damianum a Goes, illa respuit Confirmationis Sacramentum. *Præterea*, inquit, *sciendum apud nos Confirmationem & Chrisma, sive extremam olei Unctionem pro Sacramento non haberi, nec in usu esse, ut video hic ex Romana Ecclesia consuetudine fieri.* Cui consentiunt Alvares aliique qui de rebus Æthiopicis condidere lucubrationes. Non minimam Orientis partem occupant Nestorii filii, quos a Sacramento Confirmationis abhorrere constat publicis monumentis. Legantur Doctissimi Angli Breereword, & Ephraim Pagit: nos ad alia properamus.

Beda in Psal. 26.

ANNO XXXV. NUM. XX.

De Simone Mago. Vix a Josephi Simone ille Lucæ diversus. An pro Summo Deo Simon adorari voluerit. Hæc Antiquorum Traditio ad examen revocatur. De Simone multa patrum ἀσύστατα. Pugna Augustini cum Epiphanio. De Summa Divinitate non potuisse se jactare apud Judæos, vel Samaritanos, quibus expectatus Messias, homo divinus quidem erat, non Jehova. Nec potuisse imagines a Simone, vel Judæo, vel Samaritano ad cultum proponi sine scandalo. Alia argumenta in Summam Simonis Divinitatem ex Tertulliano,

liano, Epiphanio, Theodoreto, licet ad Vulgi opinionem abeuntibus. Fons antiquæ, de usurpata a Simone Numinis Majestate, Traditionis aperitur.

FAtale portentum prodigiumque generis humani Simon Magus flebili Ecclesiæ damno exortus est. Tanta tamque incredibilis est Impostoris perversitas, ut a veritate laboret. Non ignotus Josepho Simon Magus, quem ab illo cujus Lucas commemorationem non dimisit, diversum vix credam. Διαλύονται δὲ τῇ Δρουσίλλῃ πρὸς Ἄζιζον οἱ γάμοι μετ' οὐ πολὺν χρόνον τοιαύτης ἐμπεσούσης αἰτίας. καθ' ὃν καιρὸν τῆς Ἰουδαίας ἐπετρόπευσε Φῆλιξ θεασάμενος ταυτὴν, καὶ γὰρ ἦν κάλλει πασῶν διαφέρουσα λαμβάνει τῆς γυναικὸς ἐπιθυμίαν καὶ Σίμωνα ὀνόματι τὸν ἑαυτοῦ φίλον Ἰουδαῖον Κύπριον τὸ γένος μάγον εἶναι σκηπτόμενον, πέμπων πρὸς αὐτὴν ἔπειθε τὸν ἄνδρα καταλιποῦσαν αὐτῷ γήμασθαι. *Drusilla Azizique connubium dissolutum est causa ejusmodi.* Gelenius sensum Josephi non assecutus est, *Drusilla autem non multo post dimissa ab Azizo.* Non dimissa est inquam, sed calcata patria Religione, lubenter maritum deseruit. *Felix autem cum esset Judaæ Procurator, visa hac fœminarum omnium pulcherrima, amore ejus captus, Simonem amicum, genere Cyprium Judaum, pro Mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret ut, relicto priore marito, ipsi nuberet.* Consentiunt omnia, ars, nomen, tempus, locus, nec facile quidem in animum possum inducere infamem illum impostorem, plausum Samaritanorum præstigiis petentem, accurato Historico fuisse incognitum. Addubitandi sola ratio est, quod in Patria aliquid reperitur discriminis. Josephi Simon, Cyprius; Lucæ Simon, ex vico Samaritano, Gitton nomine, ortus esse perhibetur. Verum in Scriptura de Patria Simonis ne verbum quidem. Justinus est qui Simonianorum natalium locum pervulgavit, ediditque. Cæterum, in Historia non pauca peccasse, satis superque notum; teste portentoso, & supra fidem omnem, errore de τῶν Lxx. Versione. *Ptolomaus, Rex Ægypti, petiit ab Herode Rege Judaorum, ut copiam librorum faceret.* Apol. 2. Josepho autem Doctissimus Petavius justam laudem concedens: *quoad vero*, inquit, *recentiorum Judaorum tempora spectat, certiorem & constantiorem habemus Josepho neminem.* Nec a vero multum abludere Josephum de Simonis Patria Cypro, Magus Barjesus documento est, quasi infelix illa Insula Magiæ esset officina.

Joseph Ant. l. 20. c. 5. p. 693.

Pla-

Placuit & Eruditissimo Stephano Lemoine hæc sententia de Cypro, Simonis Magi Patria. Ut vero & magna linguarum peritia, & ingenii abundabat acumine ὁ Μακαρίτης, sic ex angustiis se expedit in Prolegom. Var. Sacr. *Licet alicubi dicatur Simon, de quo Act. 8.* Γιττεὺς, *quasi Pagus Gitticus illi Patria fuisset, hoc nullo modo stringit; nam non legendum* Γιττεὺς, *sed* Κιττεὺς, *vel* Κιτταῖος, *ex urbe Cittium, quæ erat Cypri urbs nobilissima, a Kittim.* At hæc, ut ut docte & subtiliter scripta, rem acu non tetigere. Nec enim illa Autorum emendatio admittenda est atque probanda, quæ cum eorum mente fronte adversa pugnat. Atqui certo certius est correctionem a Clarissimo Viro adhibitam adversari & repugnare tum Justino, cum Epiphanio, quibus Simon Samaritanus audit. Justinus Apol. pro Christianis: *Simon quidam Samaritanus in vico cui nomen Githon, est natus.* Epiphanius Epiph. Hær. 21. n. 1.
Οὗτος ὁ Σίμων Γόης ἦν, ἀπὸ Γιτθῶν ὡρμᾶτο τῆς πόλεως τῆς ἐν τῇ Σαμαρείᾳ, νυνὶ κώμης, ὑπερεχούσης. *Igitur Simon iste veneficus, Gittis oriundus, olim oppido, nunc vico Samariæ.* Itaque non legendum Κιτιεὺς sive in Justino, sive in Epiphanio, quia Cittium *Cypri* urbs est nobilissima, non Samariæ, quæ Patribus Simonis Patria credita est. Verosimilius ergo Justinum, qui sectarium se posteris præbuit, lapsum fuisse memoria; vel nominis affinitate urbis Cypriæ & vici Samaritani fuisse deceptum.

Per Antiquorum animos illa pervasit opinio, Simonem in Sanctissimam Dei Opt. Max. Majestatem involasse, tentatis omnibus ut pro ipso Numine coleretur: quæ Irenæi Traditio est, quam Posteri avide animis imbibere. *Hic a multis, quasi Deus glorificatus est, & docuit semet ipsum esse qui inter Judæos quidem, quasi Filius apparuerit; in Samaria, quasi Pater descenderit; in Reliquis vero gentibus, quasi Spiritus Sanctus adventarit.* Iren. l. 1. c. 20. Sic alii non pauci Beati Irenæi vestigiis inhærentes. Insigni quadam temeritatis ignominia pene notabor, si Traditionem adeo constantem tentem evertere fide. Audacem tamen facit Irenæi circa Historiam nimia credulitas. Si persuasum habuit Christum annum quinquagesimum evasisse, nil miri quod famæ, tam ficti tenacique quam nunciæ veri, de Simone faciles aures accomodaverit. Ut ut se res habeat, dubiorum aculeos scrupulosve non occultabo. Duo sunt, meo judicio, quæ de Divinitate usurpata Simonis opinionem maxime juvant: ambitiosus, scilicet, ille Titulus

O quem

quem Simoni Samaritani adjunxerant, *Dei magna virtus*, quo impius decoratus est; nec-non statua, *Simoni Deo Sancto*, ut ajunt, a Senatu palam Romæ decreta, cujus oculatum testem sese Justinus ipse perhibuit. Quis porro viro gravissimo, & Philosopho, & Martyri, visa narranti fidem nollet astringere suam? Nunc autem cum nares paulo emunctiores de statua Simoni posita jure dubitent, nullus video cur statuæ cadentis obruta pondere Simonis Divinitas, non ruat una?

Ac primum in observatione ponendum est, multos de Simone multa variare. Clementis Constitutiones & de affectata Deitate Simonis, & de statua mutæ sunt. Hæc sola leguntur apud Philastrium: *Intellectum autem quendam alium qui descendit in mundum salutis causa hominum, dicebat etiam se esse virtutem quandam Dei, quæ supra virtutes omnes esset,* Quibus veluti certis notis a Summo Deo distinguitur. Nec Damascenus favet decantatæ Simonis Divinitati. *Hic cum Christi nomen tantum vendicaret, concubitum passim sine delectu corporum docebat. Resurrectionem autem carnis rejiciebat; Deumque mundi Effectorem & Autorem negabat: idemque se & Samaritanorum patrem, & Judæorum Christum prædicabat.* His, ni vero conjectura aberrat, Simonem ad Summam numinis Majestatem nisum non fuisse colligimus. Quem expectarent Christum Judæi, notum vel pueris qui nondum ære lavantur. Flagitabant atque optabant Regem Sanctum, Clarum & Miraculis, & arte Bellica; qui jugum Romanorum dejiceret a cervicibus suis: sed hominem tamen, non Deum Jehovæ suo parem. Qua de causa sæpius ab impostorum artibus delusi, plurimos sibi Christos imposuere, præcipue Barcocabam, qui contra Romanos arma disposuit. Imo, nil magis Judæorum offensam meruit, quam Summum Christi Servatoris Numen. His ex ejus ore auditis, *ego & Pater unum sumus, sustulerunt lapides Judæi ut eum lapidarent: dicentes, lapidamus te ob blasphemiam, id est, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Joan 10. An ergo verosimile est Simonem se magnificentissime jactasse de Summa Divinitate, qua & Judæos, & Samaritanos fide unius & Naturæ, & Personæ Divinæ imbutos, a se penitus alienasset, nedum animos ad benevolentiam conciliasset? Insuper, si *Deum mundi Autorem* Theologia Simoniana negabat, an non apparet & Simonis, & Dei Optimi Maximi discrimen? Profecto, si Summum Numen

Damasc. de Hæres. p. 576.

Numen præstabat atque exercebat, debuit Deo, hoc est, sibi, mundi creationem ascribere, ut ad altiores gloriæ dignitatisque gradus ascenderet.

De Simone multa a Patribus memoriæ prodita, quæ sunt ἀσύστατα. Augustinus c. 1. de Hæresibus: *Dixerat enim Simon se in monte Sinai legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis.* Epiphanius vero, Hær. 21. Μὴ εἶναι δὲ τὸν νόμον Θεοῦ ἀλλ' ἀριστερᾶς δυνάμεως ἔφασκε. *Præterea legem non a Deo, sed a sinistra intelligentia profectam asserit, uti neque Prophetas a bono Deo.* Perinde gryphes equis junguntur ac ista secum.

De Simone hæc Augustinus commendavit posteris: *Et asserebat se esse Christum, itemque Jovem se credi volebat... imaginesque & suam, & ejusdem meretricis discipulis præbebat adorandas, quas & Roma, tanquam Deorum simulachra, autoritate publica constituerat.* Pace Viri Magni dixerim, hæc Traditio a veri fide dissidet multis de causis. Mitto statuæ Simonianæ Fabulam, de Helenæ meretricis imagine, autoritate publica constituta, viderit Augustinus. Non certe sectarium habuit Justinum, qui de Simonis Dei Sancti statua plurimos imbuit, de Helenæ publicis imaginibus, neminem; argumento atque judicio nullas Justini oculis objectas hujusce meretricis fuisse statuas, quas, non secus ac Simonianas scripto commemorasset. Quis, quæso, ea opinione animum perfundere potest, quod Simon, qui ortu Samaritanus, vel Judæus fuit, suas imagines proposuerit ad adorationem, cum religionem imaginum, cane pejus & angue, Samaritani Judæique aversarentur Simonianis temporibus? Voluit sane impurus ille Magus pretii magni homo haberi apud suos, quod & splendore præstigiorum consecutus est: atqui, jussa imaginum adoratione, discipulorum animos a se penitus alienasset. Referendorum omnibus obviorum exemplorum labore supersedemus: unum satis est ad demonstrandum quantum Judæis odii inesset erga imagines, etsi ad cultum non expositas. Πάντων δὲ μᾶλλον ἐλύπει τὰ τρόπαια, δοκοῦντες καὶ εἰκόνας εἶναι, τὰς τοῖς ὅπλοις περιειλημμένας. Οἷς μὴ πάτριον ἦν αὐτοῖς τὰ τοιαῦτα σέβειν οὐ μετρίως ἐδυσχέραινον. *Sed nihil tam molestum fuit quam Trophæa, quæ cum putarent armis contectas imagines, quarum usus interdictus est nostris legibus, indignissime eas ferebant.* Herodes vero videns eos turbatos, & sine satisfactione non facile cessuros, accitis ad se Præcipuis ex illo numero,

Aug. de Hær. c. 1.

Joseph. Ant. l. 15. c. 11.

in Theatrum adductis, rogabat eos, ostensis Trophæis, quidnam hoc esse putarent; cumque reclamassent hominum esse imagines, jubet detrahi ornatum, & ostendit nudos stipites: quo facto, in risum solvitur indignatio. Sic in imagines male animatis Judæis, quis sibi inducat animum statuarum adorationem a Simone fuisse propositam? Denique, quis tam ferrei valentisque stomachi est, ut concoquere possit Simonem *& Jovem*, *& Christum voluisse credi?* Hæccine una consentiunt? An Judæorum Samaritanorumve popularium gratiam inivisset, qui bene multi Romam incolebant, si Jovis, impuri Ethnicorum Numinis, Titulos & nomen usurpasset: vice versa, an non offensam Romanorum meruisset, si pro Christo haberi voluisset? Hac sane contradictione Simon, illa quam instituebat Religione, discipulorum solvisset animos.

Theod. l. 1. Hær. Fab. Hæc fuit Menandri, discipuli Simonis, Traditio, teste Theodoreto secundum Irenæum, primam Virtutem omnibus esse incognitam. Ἑαυτὸν δὲ οὐ τὴν πρώτην ὠνόμασε δύναμιν, ἄγνωστον δὲ ἔφησε ταύτην, ἀλλ' ὑπ' ἐκείνης ἀπεστάλθαι βοηθὸν μὲν ὄ. *Se autem non primam nominavit Potentiam; dicebat enim eam cognosci non posse, sed ab illa se missum esse jactitans, se ipsum Servatorem appellavit.* Hinc plurima nascuntur argumenta in Traditionem de Summo Deo Simone. Ac primum, æstimandum est, & suo momento ponderandum Epiphanii de Menandro testimonium:

Epiphan. Hær. 22. n. 1. Ὅμοια δὲ τῷ ἑαυτοῦ διδασκάλῳ τὰ πάντα συνυφαίνων καὶ γοητείαις καὶ ταῖς ἄλλαις μαγγανείαις οὐ διέλειπεν οὐδὲν δὲ διήλλαττε τῇ διδασκαλίᾳ, ἀλλ' ἢ μόνον ὅτι ἑαυτὸν ἔλεγε μείζονα μᾶλλον ἢ τὸν πρὸ αὐτοῦ ὄντα διδάσκαλον. *Cætera Doctori suo consentanea iisdem præstigiis ac maleficiis adtexebat, nec ab ejus dogmate dissidebat, nisi quod majorem se Antecessore ac Præceptore suo jactabat.* An Summam Dei Maximi dignitatem sibi Simon asseruit, qui Menandro discipulo minor habebatur? Quis unquam Summo Deo majorem somniavit? Ea sane Menandriana disciplina non solum maxima Deitate Simonem evertit, sed & patentis mendacii palam insimulasset, cum se superiorem Menandrum habuisset. Ex Irenæo erroris hic Epiphanius ab Erudito Petavio coarguitur: Animad. p. 41. *Atqui Iren. l. 1. c. 21. scribit dixisse primam Virtutem incognitam omnibus esse: se vero ad hominum salutem ab Angelis esse missum. Quare non μεγάλην illam se esse δύναμιν asseruisse videtur, ut ipsius Magister, & erroris Architectus; sed minorem quandam,*

quod

quod & diserte Theodoretus asserit. Quod si ita est, qui verum esse potest quod subjicit Epiphanius, majorem se Menandrum Antecessore suo ac Præceptore jactasse. Fateor quidem hæc non una consistere, quod & summus Deus sit ille Simon, & Menandro inferior: sed hinc colligendum Simonem non ambiisse Dei gloriam ac titulos. An etiam falsus animi est Tertullianus? *Post Simonem Menander discipulus ipsius similiter magus, eadem dicens quæ Simon ipse; quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat.* Non igitur Simone minor, si non major evasit. An ergo ambo Summi Dii? Sed nec rationem capio quamobrem Simon, *quasi Pater, in Samaria descenderit; inter Judæos, Filius apparuerit; in reliquis vero gentibus, quasi Spiritus adventarit*: cum Mysterii Trinitatis omnes simili ignorantia laborarent? Cur sub Spiritus nomine, potius quam Filii, Gentes invisebat? Tertul. de Præs. c. 46.

Novum argumentum Irenæus Theodoretusque sufficiunt: scribunt, quippe, Menandrum dixisse *primam Virtutem incognitam* hominibus esse. Quis non legitime hinc colligat, Simonem pro Summo Deo non fuisse habitum a suis discipulis, quibus probe notus fuit? Ut vel ex voce ἀγνοστὰ, Menander addictus Præceptoris sui disciplinæ, illum sibi sublimiores Divinitatis gradus ædificare voluisse non in animum induxerit. Sed & magia, quam exercebat Simon, illum superbo Dei Maximi titulo exuit, vel judice Epiphanio, etsi ad Vulgi opinionem abeunte. Epiph. Hær. 21. n. 4. Μὴ ἄλλως ἢ δύνασθαι, σώζεσθαι τινα, εἰ μή τι ἂν μάθοι ταύτην τὴν μυσταγωγίαν, καὶ τὰς τοιαύτας θυσίας τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, διὰ τῶν ἀρχῶν τούτων καὶ ἐξουσιῶν προσφέρειν. *Negat insuper salutem consequi ullum hominem posse, quam si ejusmodi mysteria didicerit, & universitatis Parenti ea sacrificia, per illos quos diximus Principatus, ac Potestates obtulerit.* Jam vero nulla magia sine cultu Angelorum, quod Summum Numen non decet. Itaque, certis signis Simon ab *universitatis Parente*, cui per medios Angelos offerenda sunt sacrificia, distinguitur.

Denique, improbabile prorsus est post consecutum Baptisma, Simonem ad majora nisum fuisse quam ante, cum insigni illo & pulchro titulo superbiebat: *Iste est Potentia illa Dei Magna.* Suscepta, quippe, Christi Religione, Jesum Dominum palam adorare, teste tota Samaria professus est, qua & fide, & obsequio erga Christum solvebat omnem Mortalibus Religionem de se, veluti Summo Deo veneratione

colendo, & aperte profitebatur se unum esse de grege hominum, qui perinde ac alii Christi discipuli, salutis adipiscendæ cupidus fuit. Sed & Samaritani Simonem non modo viderant perdurantem apud Philippum, miraculorum ejus fulgore perstrictum, sed & misellum tremulumque Magum, verbis Petri tanquam fulmine percussum, audierant supplicantem, *deprecamini vos pro me apud Dominum.* Quibus necessario consequitur, non ad amplius fastigium potuisse animo assurgere, post quam ante susceptam Christi Religionem. Jam vero antequam Samariam Philippus veniret, Simon, etsi magni pretii homo apud Samaritanos, non colebatur ut Summus Deus: Nulla sacrificia Simoni perpetrata; nulla vota dicata; nil eorum præstitum quæ ad Deum adorandum pertinent. A Samaritanis quidem, quos Simonianæ præstigiæ dementaverant Magus ille plurimum observabatur, adeo ut maximum exclamarent: *Iste est Potentia illa Dei Magna.* Quæ nil minus quam Summum Deum sonant; sed Dei Legatum, Ministrum, Instrumentum. Phrasi non dissimili Evangelium dicitur *potentia Dei ad salutem.* 1 Cor. 1. Atque hisce titulis, perinde atque statua fabulosa Simonis Dei Sancti, manavit illa Traditio, quam, misso examine, qui Justinum excepere animis imbiberunt. Exemplo sint Tertullianus, Irenæusque; ille, de Præscr. c. 46. *Simon ausus est Summam se dicere Virtutem, id est Summum Deum.* Hic: *esse autem se sublimissimam Virtutem, hoc est, eum qui sit supra omnia Pater.* Quid clarius hisce explicationibus exaggeratam fuisse illam orationem: *Iste est Potentia Dei Magna.* Atqui, si antequam Simon a Philippo perduceretur ad fidem, titulus ille insignis & pulcher Summi Dei, honorem Simoni non conciliarat, posteaquam credendo coivit in societatem Christianorum, veri specie abest Summam apud Samaritanos Judæosve Simoni adjunxisse Numinis Majestatem. Hoc, superbis titulis præstigiisque, apud suos discipulos Magus ille consecutus est, ut Vir divinus, Messiasque existimaretur: quod ad explendam Magi impuri ambitionem satis fuit.

Euseb. Hist. l. 2. c. 13. Atque hæc veris esse proxima declarant quæ ab Eusebio de Simonianis tradita sunt. *Sane hunc Simonem hæreticæ pravitatis Principem atque Autorem fuisse, accepimus. Unde ad nostram usque ætatem, quicunque ejus sectam profitentur, cum se Christianam Religionem plenam modestiæ & sanctitatis amplecti simulaverint, tamen & ad superstitiosum Dæmonum cultum, quem abjicere visi fuerant, nihilominus relabuntur,*

dum

dum ante Simonis & Helenæ picturas proni sese adjiciunt, eosque suffimentis, & sacrificiis, ac libationibus colere non verentur. Ut in Simone, non magis quam in Helena, summum Deum, sed Cœlestem hominem quærerent, eodem honore colendum quo Indigetes, Heroesque ab Ethnicis afficiebantur. Quam superstitionem cum fide Christiana posse retineri, bene multi hodie & opinantur. Cultum porro hunc imaginum Simonianarum ab ipso Simone institutum non est opinandum, cum Samaritanis & Judæis fuisset scandalo: Discipulorum inventum fuit, grata memoria Præceptori suo colendo.

ANNO XXXV. NUM. XXVI.

De Duce Samaritanorum a Pilato fuso. An ille a Simone diversus? Negantis Baronii audax conjectura refellitur, cum Josepho, tum ratione. Verosimile Ducem securi percussum. Simonem non in tanta gratia apud Samaritanos fuisse, si ejus a Pilato deletæ copiæ. De Simonis libris alia Baronii conjectura rejicitur.

MOre ingenii sui vanis in conjecturis de Simone illustrissimus Purpuratus nititur. Concitarat Samaritanos Impostor quidam, jubens ut convenirent in montem Garizim, apud eam gentem Sanctissimum, asseverans se illic ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moses deposuerit. Quid Baronius? *haud quidem*, inquit, *puto alium a Simone Mago Impostorem fuisse illum.* Quibus argumentis Baroni? Nullis, sane, nisi audaci tua augurandi conjectura. Sed & fallacem esse aperte indicatur a Josepho. *Pilatus prior clivum montis occupat equitibus suis, & peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt, multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos & potentiores Pilatus multavit capite.* Quis ex his non colligat perditorum Ducem captum, securi fuisse percussum? Agitata fuga salutem pedibus invenisse non scripto proditum est. Concedatur Baronio Ducem Samaritanorum se mandasse fugæ; si Simon ille fuit, an post tam fœdam turpemque cladem, Samaritanorum vanis & auspiciis, & promissionibus delusorum, gratiam adhuc retinuisset? Imo, fallacibus promissis illorum odia

Joseph. Ant. l. 18. c. 5.

odia moviſſet. Nec multo melior videtur eſſe Baronii de Simonianis libris conjectura. Dixerat Dionyſius. *Quocirca amentiſſimi Simonis ſcripti hac de re contradicendi ac refellendi cauſa libri, procul a choro divino, & ſancto animo repellantur.* Libros Simonis Magi eſſe pronunciatur Baronio, etſi librorum Simonis inſolentes fuerint Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius Auguſtinus.

Dionyſ. de D.vin.Rom. c. 6.

ANNO XXXV. NUM. XXIX.

De Eunucho Candaces converſo. Ejus vocatio ſignanter ab Eſaia prædicta. Lapſus Nazianzeni nomen Candaces ejus ſervo affigentis. Quænam illa Candaces. Cur Reginæ Æthiopum agitata mentio, Regis omiſſa? Quæſtionis explicatio ex Autoribus & Sacris & Prophanis. Oraculum Eſaiæ Eunucho Candaces accomodatum. Lud Æthiopia eſt. Eunuchi Patria Meroe, non Arabia. Nulla Æthiopia Arabica, quod contra Clar. Lightfootum probatur. An Æthiopum Religio ad Judaicæ, Chriſtianæque ſimilitudinem accedebat? Affirmantis Baronii graviſſimus error autoritate Strabonis, & Plinii, rationeque refellitur. An Circumciſionis diſciplina ex Ægyptiis in Judæos manaverit? Baronii Marſchamique ſententia compluribus argumentis evertitur. An Judæis Æthiopum nomen impoſiſitum ab Herodoto? Ajentis Baronii error ex ipſo Herodoto coarguitur. De Religione Eunuchi antequam Chriſti teneret diſciplinam? Lapſus Baronii, non unum Euſebium, ſed & Chryſoſtomum, & Nicephorum exiſtimaſſe Eunuchum fuiſſe Ethnicum. Vero ſimilius non fuiſſe proſelytum. Quæ Græcis ſacrificia conceſſa Hieroſolymis? An Cornelii Baptiſmus Eunuchi converſioni prævius? Quæſtio Chryſoſtomi

ſoſtomi cur ab Angelo Eunuchus ad Philippum non adductus eſt, ſolvitur.

FElicior nunc ad dicendum materia proſternitur. De Eunuchi Candaces ſalute agitur quam ope Philippi conſecutus eſt. Nec mirum ſi ſolito fuſius tractetur a Luca, cum Oraculi, inſtinctu divino afflatuque editi, fauſtum felixque ſit complementum. Cecinerat olim Eſaias 66. 19. *Et ponam ſignum in eis, & mittam ex illis* פליטים אל הגוים *qui evaſerunt ad gentes Tarſis, Pul, & Lud trahentes arcum.* In eo Eſaiæ Loco agitur de vocatione Gentium quos e Judæis פליטים id eſt, *evaſuri* cladem, quam univerſæ genti Deus erat interminatus, uno verbo Apoſtoli atque eorum diſcipuli converſuri erant ad Chriſtum. Quid-ni etiam *evaſuri* ſignificabit illos qui, oborta perſecutione propter Stephanum, relictis Hieroſolymis fugæ ſe commendarunt, fugiendæ morti; quos inter Philippus qui a Spiritu Sancto miſſus eſt ad Æthiopem Eunuchum Baptizandum, qui Popularibus ſuis tanto ſucceſſu prædicavit Evangelium, ut hodie poſt tot ſecula jugiter in fide perſeverent. De Eunuchi Patria, ac Religione, non pauca ſunt apud Annales quæ Cenſoriam virgam meruere.

Verum, antequam in errores Baronii confutandos ingrediatur oratio, principio Gregorii Nazianzeni lapſui animum advertamus. Graviſſimi Patris verba ſunt ſunt in Oratione de Baptismo. Φίλιππος εἰμι: γίνε Κανδάκης. *Philippus ſum, eſto Candaces.* Atque hunc ſequuntur Euthymius & Anaſtaſius Sinaïta. Tamen in Græcis Lucæ verbis nulla eſt ambiguitas. *Ecce vir Æthiops, Dynaſta* Κανδάκης τῆς Βασιλίσσης Αἰθιόπων; *Candaces Regina Æthiopum.* Nempe Candaces nomen tum temporis Æthiopum Reginis commune fuit. Plinius ubi de Meroe: *Regnare fœminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad Reginas tranſiit.* l. 6. c. 28.

Quænam fuerit illa Candace Doctis quæſitum? Tempore Strabonis illuſtris Regina, Candaces nomine, imperabat Æthiopibus. Τέ- Strab. l. 7.
των δ' ἦσαν καὶ οἱ βασιλίσσης στρατηγοὶ τῆς Κανδάκης, ἣ καθ' ἡμᾶς ἦρξε τῶν Αἰθιόπων, Ἀνδρικὴ τις γυνὴ, πεπηρωμένη τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν. *Ex iis erant etiam Duces Reginæ Candaces quæ noſtro ævo Æthiopibus imperavit, virilis mulier quædam, altero oculo capta.*

 Vero-

Verosimilius hanc Candacem, ab illa cujus thesauris Dynasta a Philippo Baptizatus præfuit, esse diversam. Jam rerum Caligula potiebatur cum Eunuchus Hierosolymam se contulit.

Observabile est Reginæ, non Regis Æthiopum memoriam a Luca fuisse celebratam, nec a repentina suspicione abest Candacem egisse viduam. Sed id conjiciendi necessitate non astringimur; cum certum exploratumque sit ex monumentis Historiæ, Æthiopum Reges pro Diis haberi a subditis. *Reges colunt ut Deos, qui plerumque temporis clausi, domi sedent*: Strabone teste. Itaque gens fœminis, non viris regnabatur: quod testificatur & Nicephorus l.6. c.6. *Candaces Æthiopum Reginæ; patrio, quippe more, gens ea a muliere regebatur, Satrapa, Divina dispositione, primitiæ ex Gentibus in Christum credentibus, fit.* Eusebii temporibus eadem adhuc vigebat consuetudo, ut fœminæ Æthiopibus imperarent. Κατὰ τι πάτριον ἔθος ὑπὸ γυναικὸς τοῦ ἔθνους εἰς ἔτι νῦν βασιλευομένου. *Quippe moris est etiamnum illis gentibus muliebri imperio gubernari.* Relatu dignissima sunt verba Oecumenii. Εὐνοῦχος ταμίας τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν. Ἰστέον δὲ ὅτι Κανδάκην οἱ Αἰθίοπες πᾶσαν τὴν τοῦ βασιλέως μητέρα καλοῦσιν; ἐπειδὴ πατέρα Αἰθίοπες οὐκ ἀναφέρουσιν, ἀλλ᾽ ὡς ὄντας υἱοὺς Ἡλίου παραδιδόασιν. ἑκάστου δὲ τὴν μητέρα καλοῦσι Κανδάκην. *Eunuchus præerat conclavi Thesaurorum Regiorum. Sciendum autem quod Æthiopes omnem Regis matrem Candacem appellant. Siquidem Æthiopes patrem non referunt: sed illos tanquam Solis filios tradunt. Uniuscujusque autem matrem Candacem appellant.*

Eufeb. Hist. l. 2 c. 1.

Ut autem aliqua cum ratione oraculum Esaiæ Eunucho a Philippo Baptizato videatur accommodatum, לוד apud Prophetam Æthiopes designasse, breviter est ostendendum. Ludim ab illo describuntur tanquam arcubus insignes: nec potuerunt Æthiopes ullo alio charactere melius insigniri. *Æthiopes arcubus quadricubitalibus ligneis, ac praustis utuntur: armantur etiam mulieres.* Contra sagittæ brevissimæ, quarum acumen non ex ferro, sed ex Smyri lapide: nec graves esse oportuit quas in pharetra non gerebant, sed tanquam radios in serto quo caput erat redimitum: ut ab Eximio, & nunquam sine præfato honore nominando, Samuele Bocharto ex Luciano notatum est. Τὸ βέλος Αἰθίοψ ἀνὴρ ἀφελὼν τῆς κεφαλῆς, ταύτῃ γὰρ ἀντὶ φαρέτρας χρῶνται: περιδέοντες αὐτῇ ἀκτινηδὸν τὰ βέλη. *Sagittam vir Æthiops a capite adimens, eo enim utuntur Æthiopes pro pharetra.*

Strab. l. 17.

Ipsum

Ipsum nomen לוד signanter Æthiopes exprimit, & assimulat. לוד Hebræis est, *declinare*, *obliquare*; *torquere*: inde Phœnices לוד fecerunt, ex quo factum est ut *Lud* vocaretur Æthiopia, quæ sub Ægypto, ubi Nilus est maxime anfractuosus. Cæterum, Æthiopiæ Caput erat Meroe Civitas, eodem nomine quo & Insula. De quibus Plinius hist. l. 6. c. 29. *Ipsum oppidum Meroen ab introitu Insulæ abesse* Lxx. *M. P. juxtaque aliam Insulam Tatu dextro subeuntibus alveo, quæ portum faceret. Ædificia Oppidi pauca.... Delubrum Ammonis est ibi Religiosum, & toto tractu Sacella. Cæterum, cum potirentur rerum Æthiopes, Insula ea magnæ Claritatis fuit. Tradunt armatorum* ccl. *M. dare solitam. Artificum* cccc. *M. alere*. An vero ibi egerit Candaces in dubio est. Alibi enim Regiam habuisse Strabonis Candacem ab eo memoratum. *Inde Napata progressus est Petronius, quæ Candaces Regia erat, ubi filius ejus immorabatur.* Strab. l. 17.

Hæc fuit germana Eunuchi Patria: qua de re nonnulli addubitare visi sunt, quos inter Dorotheus in Synopsi. ***Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & in Insula Taprobana, inque universa Erythra Evangelium Domini nostri prædicavit.*** Ecce Æthiopia Arabica. Nec mirum Augustinum, & Theodoretum in hanc descendisse sententiam; cui Lxx. Josephusque se illigarant. Chus, quippe, ipsis Æthiopia est. Sed, si rationem consulamus, Chus erit *Arabia*. Hinc Num. 12. 1. Chusitis appellatur Sephora, uxor Mosis, quæ Madianitis erat filia Jethro. Chusitis igitur eo loco mulier est Arabica non Æthiopissa. Recte Clariss. Lightfootus. ***Eunuchum Æthiopem ex Africa oriundum conjiciunt Interpretes; jure quidem eo quod Candaces nomen apud Scriptores Ethnicos usitatissimum habeamus.*** Hæc vero non laudamus. ***Duplex Chus, sive Æthiopia occurrit, tum apud Sacras Scripturas, Arabia una; altera Africæ: cum apud Homerum:*** Odiss. 1. Æthiopia, quippe, Arabica nulla est, nisi ex prava כוש interpretatione fingatur. Quæ res non tenui argumento indicioque patefacta est Jobi 28. 19. פטדת כוש *Pitdath Chus*, non est Æthiopica Topazius, sed Arabica. Neque enim Æthiopicæ Topazii meminit quisquam Veterum; sed Arabica notissima est in Chiti, vel Topaso Maris Rubri Insula, ut docuit me, scientiæ portentum, nunquam satis laudandus Samuel Bochartus. Sed & an prospero usus sit Homero Lightfootus, mihi est in dubio. Lightf. in Act. p. 797.

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν:
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.
Æthiopas qui bifariam divisi sunt ultimi hominum
Alii quidem ad Occidentem Solem; alii ad Orientem.

His Arabiam Magnus Poeta complexus esse non videtur. Arabia quidem ad Orientem pertinere nonnunquam censetur, adeoque ejus incolæ in Sacro Codice vocantur Orientales. Gen. 25. 6. Job 1. 3. Sed si Æthiopiam Orientalem in Arabia quærimus, Africana Æthiopia Occidentalis esset existimanda; quod, ni fallor, una Geographorum sententia explodetur.

Atque hæc de Dynastæ Candaces Patria: nunc Illustris hujusce Viri Religionem tractemus. *Quod ad Æthiopum Religionem spectat*, verba sunt Baronii, *autor est Strabo, eos primum colere Deum immortalem, qui omnium rerum causa sit; ac rursum alterum immortalem, qui nomine careat, ut ex his appareat eos cum Judæis eadem pene sensisse; & a Christianis non adeo discrepasse: unde libenter imbibit Eunuchus de Christo, Deo pariter & homine olim mortali, doctrinam.* An illustrissimi Purpurati oculos gravis somnus urgebat, cum hæc scriptis mandavit? Ut suam originem, sic & Religionem Ægyptiis, omnium mortalium superstitiosissimis, debebant Æthiopes. De Antiquitate, quidem, olim inter utrosque populos certamen fuit. Æthiopum causa potior Viro Docto Joanne Boemo Aubano, aliisque nonnullis. *Primi*, inquit, *omnium mortalium creduntur, verissimique indigenæ, & servitutem nunquam experti. Primo Deorum cultum apud eos institutum memorant, primasque Sacrorum ceremonias.* Sed Moses litem dedit secundum Ægyptiorum Tabulas; *& Mitsrajim genuit Luddim*, seu Æthiopes. Gen. 10. Et vero certum est, primos homines ex Armeniæ montibus profectos in quibus substiterat Arca, ad Austri regiones devenisse paulatim, & per Assyriam, Babyloniam, Syriam, & Ægyptum, tandem in Æthiopiam penetrasse. Itaque locorum situs postulat ut Ægyptus prior culta fuerit. Sic cum hominibus Religio in Æthiopiam ex Ægypto migravit. Paribus institutis utrique populi floruere, puta: Τὸ τοὺς βασιλεῖς θεοὺς νομίζειν: *Reges pro Diis habere:* καὶ τὸ περὶ τὰς ταφὰς μάλιστα σπουδάζειν: *& plurimum circa sepulchra studium adhibere:* Τὰς τε τῶν ἀγαλμάτων ἰδέας καὶ τοὺς τῶν γραμμάτων τύπους: *Statuarum formas, & literarum Cha-*

Joan. Boem. de Afr. c. 4.

Characteres. Hieroglyphicæ, quippe, litteræ tam erant in Æthiopia quam in Ægypto receptæ, atque eadem pingebantur utrobique figura.

Error est Baronii crassissimus, *Æthiopes cum Judæis eadem pene sensisse, & a Christianis non adeo discrepasse.* Num apud Judæos Sacræ imagines, Reges in Deos relati, fœdissimus omnium Numinum cultus? An Jupiter Hammon a Christianis, puræve Religionis Cultoribus unquam honore affectus? De superstitione Æthiopum Plinius l. 6. c. 29. *Delubrum Ammonis & ibi Religiosum, & toto tractu Sacella.* Sed Strabonem ipsum audiamus, quem pro opinione sua Baronius Strab. l. 17. testem adduxit. *Deum putant alterum immortalem, alterum mortalem. Immortalem, quidem, eum qui rerum omnium causa sit. Mortalis vero apud eos incertus est, & nomine caret; sed frequentius eos a quibus beneficium accepere, & Reges pro Deis habent. Putant, præterea, Reges suos communes omnium Conservatores, & Custodes esse. Cæteros vero privatos eorum esse quibus benefecerunt. Ex iis qui Torridam habitant nonnulli sunt qui Deos non colunt, quos etiam Soli infensos esse, & detestari cum eum extorreri vident, & propterea quod eos urat, & oppugnet. Atque ob id in paludes fugere. Meroitæ ultra alium quendam Barbarum Deum, etiam Herculem, Pana, & Isim colunt. Mortuos alii in flumen præcipitant; alii, circumfuso vitro, domi servant; alii in fictilibus alveolis eos circum Templa defodiunt; jusjurandum per eos exigunt, & omnes pro Diis habent.* Infandas ergo in Sanctam Christi Religionem edidit contumelias, cum cultum Æthiopum a Christiana disciplina non adeo discrepasse fingit animo. Sectam Meroitarum, Metropolim Æthiopiæ incolentium, secutum esse aulicum Dynastam Candaces, antequam vera Dei notitia imbueretur, vero proximum: ac ex Æthiopica paternaque disciplina Hammonem, Deos masculos & fœmineos, Herculem, Isim, palam coluisse. Egregiam vero dispositionem, ut Eunuchus ille *imbiberet de Christo, Deo pariter & homine olim mortali, doctrinam!* Somnia hæc sunt viro gravi indigna: imo portenta fidei, ac pene funera.

Percelebri de Judæorum Circumcisione agitandæ quæstioni materiam Baronius præbuit. *Cæterum*, inquit, *Æthiopas antiquitus Circumcisionem ab Ægyptiis didicisse, sic Judæos, quod in Ægypto habitassent, appellans testatur Herodotus.* An vero hanc opinionem suo compro-

 baris

barit calculo diserte non apparet. In eam non nihil inclinasse eo existimari potest, quod, ne minimo quidem verbulo, illam confutavit. Sed illustris Eques Marshamus, doctrina perinde ac natalibus inclitus, de transmissa ab Ægyptiis ad Judæos Circumcisione sententiam familiarius affixit animo: Seculo. 5. p. 72. *Apud Ægyptios Circumcidendi ritus vetustissimus fuit, & ἀπ' ἀρχῆς, ab ipso initio institutus.* Assertionis rationem si quæras, respondet Vir Clarissimus, ex Herodoto, *Ægyptii nullorum hominum Institutis uti volunt.* Quod, pace Eruditi Equitis cinerum, argumentum frigidum est, ac illi causæ alienum. Probari, quippe, debuit Ægyptios, vel Patriarcharum Temporibus peregrinis Institutis semper abhorruisse. Qua de re, velut sibi incognita, nullus cogitavit Herodotus. Nec si hujusce Historici Temporibus, quem initio Belli Peloponesiaci, ante æram Christianam 431. annos tres & quinquaginta natum perhibent, in Proregis munere lubentes non constituissent extraneum; ideo non sequitur Josephum Hebræum toti Ægypto non fuisse præfectum: quod tam certum est quam quod certissimum, cum administrationi Josephi tota de Judæorum Ægyptiaca servitute innitatur Historia. Sed & vacillantis sententiæ fuisse Herodotum de Antiquitate Circumcisionis Ægyptiacæ exploratum est, quod a Candido Marshamo omitti non debuit. Μοῦνοι δὲ πάντων φῆσι Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνοντας ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δέ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιςίνῃ, καὶ οὗτοι ὁμολογοῦσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων, καὶ Αἰθιόπων οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὁπότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἐξέμαθον. *Soli autem omnes Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes verenda ab initio circumcidunt. Phœnices vero & Syri in palæstina confitentur hoc ab Ægyptiis didicisse. De Ægyptiis autem & Æthiopibus dicere non possum utri ab alteris didicere.* Si hæreat in dubio Herodotus Æthiopibus an Ægyptiis ascribenda sit Circumsionis institutio, in ea sententia versari non potuit; *quod Circumcidendi ritus ab ipso initio* apud Ægyptios viguerit? Porro, falsum aperte dixisse perhibetur Herodotus, teste Josepho. Τῶν δὲ τὴν Παλαςίνην κατοικούντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσιν Ἰουδαῖοι. *Omnium autem qui habitant Palæstinam soli Judæi circumciduntur.* Grave contra nobilem Marshamum argumentum. An ab Ægyptiis Phœnices Syrique didicere Circumcisionem, quam respuebant & contemnebant?

Ab Ægyptiis non manasse ad Hebræos ritum Circumsionis, non inertibus

inertibus argumentis demonstratur. Deo jubente, Abrahamum Nota Circumcisionis esse insignitum, a Mose traditum est. Nec tam dira Abrahamum, ætate jam confectum, incesserat cupido cruentum gentis invisæ imitandi ritum. Cui bono talem in se carnificinam admisisset? Ut Regi Ægyptiorum faceret pergratum? At nec Gazis aut honoribus inhiabat. Imo injuriam immerenti obtulerat Pharao, qua alienus ab Ægyptiaca disciplina factus est animus Abrahami. Jam vero si, mandante Deo, ritum Circumcidendi usurpavit Abrahamus, illum ex fontibus Ægyptiacis Circumcisionem in se derivasse falsum est, nisi & ab Ethnicis Isaaci inceptum sacrificium deduxisse velimus. Concedendum ergo est ipsum Deum illum Circumcidendi ritum ab Ægyptiis mutuatum fuisse, decorando sacra illa tessera servi sui corpore. Quod an cum Sapientia Dei consentiat, examinandum? Nonne & faciliores, & aptiores Ceremonias ex inexhausto Intelligentiæ suæ penu expromere Deus potuit, nisi Idololatrarum cunctis mortalibus supertitiosiorum ritus assumeret, Sacro fœderis sui cum Abrahamo, Abrahamique posteris, pignori ponendo. Cui bono aut consilio? An ut puræ Religionis cultor, societate cum Idololatris conjungeretur? Siccine discrimen populum suum inter & extraneum Deus dedisset?

Sed afferendum est argumentum quod solvi non metuat; mirorque ab Erudito Spencero, qui utriusque sententiæ argumenta bene multa composuit, fuisse prætermissum, cum vim demonstrationis obtineat. Argumentatio petitur ex Mose. *Mitsrajim autem genuit Ludæos, & Hanamæos, & Lababæos, & Casluchæos, unde egressi sunt Philistæi.* His advertamus animum. Constant omnium sententiæ Mitsrajim esse Ægyptios, quorum Philistæi sacro Historico progenies esse perhibetur. Itaque si Ægyptii ab initio circumcisi sunt, hunc sane ritum cum suis filiis communicarunt: nec ulla de causa, abdicatis paternis institutis, quæ apud omnes altas adeo radices agunt, Philistæi præputium retinuissent, cum ex sapientia, & fama, Ægyptii omnibus mortalibus precio essent atque honori, ut multi eorum disciplinæ, remoto præputio, sese addixerint; nedum Ægyptiorum liberi paternam Circumcisionem abjecerint. Atqui apparet & promptum est Philistæos, progeniem illam Ægyptiacam, expertes Circumcisionis fuisse. Quocirca passim in scriptura vocantur ערלים: centum

tumque Philistæorum præputiis Micol filiam Regis Saul, sibi David uxorem emit. Post ergo natos Philistæos Ægyptii Circumcisionem usurparunt. Quibus Temporibus hoc factum sit non liquet, sed vero proximum Hebræorum arripuisse similitudinem. Fiunt quidem Circumcisi, non nascuntur: Ut ergo gens Ægyptiorum in disciplinam Circumcisionis, ingratam naturæ, dolorisque plenam, transiret, abdicato præputio, magna duci autoritate ac exemplo debuit. Itaque quo magis animum in omnes partes verso, Circumcisionem a Josepho ad Ægyptios manasse, mihi est persuasissimum. Gratiam Ægyptiorum Vir ille sapientia, beneficiisque sibi conciliaverat. Servis suis dixerat Pharao. *An invenire possumus huic parem Virum in quo sit Spiritus Dei.* Ad Josephum vero conversus: *Tu praeris Domui meæ, & ad os te osculabitur universus populus meus. Constituo te super universam Terram Ægypti.* Gen. 41. Ego in Josepho omnia reperio quamobrem Circumcisionem in Ægyptios derivarit; magnam, scilicet, cum adulta autoritate, & sapientiam, & cum ipso Domino conjunctionem; quarum una, vel sigillatim, pollet vi non minima ad flectendos animos.

Josephi silentium urget Clarissimus Marshamus. *Josephus ad citatum Herodoti locum hoc adjicit: Eorum qui Palæstinam habitant, soli circumciduntur Judæi, de ritus origine nil objicit.* At multæ fuerunt causæ cur hanc Quæstionem non moveret. 1ª. Quod totus est ut probet Judæos Herodoto non fuisse incognitos. Καὶ μὴν οὐδὲ Ἡρόδοτος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἠγνόηκε ἡμῶν τὸ ἔθνος, ἀλλὰ τρόπῳ τινὶ φαίνεται μεμνημένος. *Verum, neque Herodotus Halicarnasseus nostram ignoravit gentem; sed quodammodo ejus meminisse cognoscitur.* An igitur sapientis fuisset arma in suum testem convertere? 2ª. silentii Josephi causa est, quod de Cicumcisionis origine mentem suam satis aperuerat. Προσέταξε δὲ τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ γένος βουλόμενος μένειν τοῖς ἄλλοις μὴ συμφερόμενον περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα. *Jussit etiam Deus genus ipsum, quod nolebat cum aliis permixtum, pudenda circumcidi.* Quid disertius in Marshamum? Manat a Deo Circumcidendi ritus: quo fine? Ne permiscerentur Hebræi. Immaturo, sane, concilio si jam apud alios Circumcisio viguisset. Illustris Marshamus Origenem pene falsi postulat. *Origeni Celsus objecerat Judæos* ἀπὸ Αἰγυπτίων αὐτὸ ἐληλυθέναι, *eam ab Ægyptiis mutuatos fuisse. Respondit Origenes*

Mosem

Mosem dixisse. πρῶτον ἐν ἀνθρώποις περιτετέμνεσθαι τὸν Ἀβραάμ. *Abrahamum primum mortalium Circumcisum fuisse; quod tamen in Libri Genes. 17. non legitur.* Quid sibi vult nobilis Eques? Conceptis quidem verbis non legitur, sed nec sic mortuorum resurrectio legitur in his Domini: *Ego sum Deus Abrahami*; sed vi consequentiæ legitur. An voce cælitus edita opus fuit derivandæ in Abrahamum prophanæ Ceremoniæ? An Sanctitati Dei consentaneum ab Idololatris mutuari sacrum Fœderis Divini Sigillum? An prudenti præsentissimoque consilio κεχτνιειον populi sui in Nota, aliis communi, constituisset? Numquid remota institutione Divina usus Circumcisionis penitus cessat? Ait quidem secundum Herodotum Marshamus, *causa Circumcidendi eadem quæ lavandi, ne sordibus polluantur.* Sed ad eluendas corporis sordes quid præputii resegmen? An recutiti aliis mundiores? Narratur a Zaga Zabo apud Damianum Goes. Et ab Salomonis *Temporibus Legem Domini & Circumcisionem servamus... Insuper, jussu & decreto ipsius Reginæ Maquedæ mulieres quoque Circumciduntur. Atque id ea ratione deducta est, quemadmodum Viri præputium habent, eodem quoque modo mulieres etiam quandam glandulosam carnem, quam nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri Circumcisionis; id quod fit tam in masculis quam in fœminis ad octavum diem.* Sed suo ritui nullam causam Physicam ex rerum natura petitam prætendunt, aut jure prætendere possunt, cum nec liberis procreandis obstet præputium, nec munditiei corporis. Nulla igitur ratione adducti Ægyptii ritum Circumcisionis admisere, quod longe absurdum est, cum sapientes nihil non sine causa agant, nedum acerbum Circumcidendi dolorem frustra sustineant; aut exemplum Josephi sibi proposuerunt ad imitandum, quasi abdicatio præputii via esset ad conjungendas cum Deo copulationes. Utinam Viri Clarissimi Mosem, ea qua par est, veneratione prosequerentur. In sententiam obscuram temerariamque non descenderent, moti, ut plurimum, fabulis ex immensa temporis ἀδήλου haustis. Tantum inter prophanos Historicos Moses caput extulit, sive rerum, sive Antiquitatis habeamus rationem.

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Non prætereundus est ne is quidem error, quo Annales Baroniani

Q hic

hic affecti sunt. *Judæos quod in Ægypto habitassent Æthiopas ab Herodoto appellatos fuisse memorant.* Nil profecto tam absurdum quicquam in mentem venire potuit, quam quod Hebræi ex Ægyptiaca commoratione Æthiopes dicerentur; Ægyptii longe potiori ratione vocandi. Itaque Baronianum somnium a Josepho diserte excutitur, de Herodoto hæc scripto tradente. Φησὶ δὲ καὶ αἰθίοπας παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι τὴν τῶν αἰδοίων περιτομήν. *Idem ait Æthiopas quoque ab Ægyptiis Circumcisionem virilium didicisse. Phœnicas vero, & Syros Palæstinos fateri se hanc ab Ægyptiis accepisse.* Hinc apparet & perspicuum est Æthiopibus Judæos ab Herodoto non inseri, cum & Phœnicas, & Syros ab Æthiopibus tam accurate discreverit. Palæstinorum Syrorumque nomine comprehendere Judæos longe tolerabilius foret, quod & a Josepho factum est. Vituperanda est Baroniana incuria quæ tribus quatuorve erroribus unum articulum cumulavit.

Joseph. l. 1. Cont. Apionem.

Hac perorata Celeberrima quæstione, dicere ingrediamur de Religione quam Dynastes Candaces profitebatur, cum ad Christum, docente Philippo, adductus est. Atque hic variant, in Ethnicorum numero ab Eusebio Eunuchus habitus est. Ὃν πρῶτον ἐξ ἐθνῶν πρὸς τοῦ Φιλίππου δι' ἐπιφανείας τὰ τοῦ θείου λόγου ὄργια μεταχόντα. *Qui cum a Philippo, cælesti visione admonito, primus ex Gentibus Divini Verbi mysteria percepisset, totius Orbis Fidelium primitiæ factus.* Erroris dicam scripsit Eusebio Parens Annalium. *Perspicue errasse videtur*, inquit, *sed fuisse Proselytum cæteri omnes Ecclesiastici Scriptores æque consentiunt: ad Paschalem enim celebritatem, ad quam Hebræi omnes convenire soliti essent, Hierosolymam idem se contulisse putatur*; Hem! *Omnes?* Num Scriptoribus Ecclesiasticis non est inserendus Nicephorus? Atqui existimavit Eunuchum fuisse Gentilem. *Primitiæ ex Gentibus in Christum credentibus fit.* An non Chrysostomus Scriptor Ecclesiasticus? At innuit indicatque Eunuchum non esse Judæum. *Magnis laudibus prædicatur ille, quandoquidem & ille in Æthiopia manens, & tantis occupatus negotiis, & cum non esset festus dies, venit adoraturus Hierusalem.* Quibus, adversa fronte, Baronio concurrit facundus ille Chrysostomus. Hic diserte *non erat festus dies.* Ille *ad Paschalem celebritatem se contulit.* Optime Chrysostomus, qui & rem acu tetigisse videtur. Philippo dictum fuerat; *vade meridiem versus*

Euseb. Hist. l. 2.

Chryst. Hom. 19. in Acta.

sus ad viam qua descendit a Hierusalem in Gazam. Hinc colligit Chrysostomus Philippum egisse Samariæ. *A Hierosolymis*, inquit, *non itur ad Meridiem, sed ad Septentrionem; a Samaria autem ad meridiem est iter.* Sed de Chrysostomi Geographia non est quod multum laboremus. Satis sit quod non Hierosolymis, sed Samariæ Philippum habitare persuasum habuerit. Hinc, quippe, colligitur ad festum Paschatis agitandum Eunuchum Hierosolymam non venisse, cum a vero abhorreat Philippum, insignem pietate Virum, se in occulto apud Samaritanos continuisse sacris illis diebus, qui a Judæis Deum timentibus tanta cum solemnitate agitabantur. Quot & quanta & in se, & in Evangelium odia movisset? Quod si extra diem festum Eunuchus se Hierosolymam contulerat, aperte concluditur illum non fuisse Proselytum, cum veniens ex Æthiopia Hierosolymis multum remota, sic direxisset iter suum, ut pro Judæorum disciplina sacris solemnibusque diebus interesset.

Depulsis Baronianis erroribus, ad Eunuchi Religionem veniamus. Nec Gentium fuisse primitias cum Eusebio, Nicephoroque; nec Judaicæ disciplinæ tenacem, cum Baronio, aliisque innumeris censemus. Viri pii nomine dignum, Corneliique similem existimamus: hoc est, omissa Circumcisione veri Dei imbutum notitia. Nec a Maldonato, Salmeroneque, Autoribus magni inter Jesuitas nominis, Proselytis ille insertus est. Sane consideranti nil apparet quod Proselytum redoleat in Eunucho. Legebat Scripturam: at Thesaurus ille cælestis omnibus patebat, ex quo Græcus factus est: &, dubio procul, Cornelius, *Vir ille pius, & timens Deum*, Sacros Codices cum cura legebat, etsi Judæum non exerceret. Hierosolymis adorabat: at hoc ipsum non raro fiebat a Gentibus. *Erant autem τινες Ἕλληνες, quidam Græci ex iis qui ascendunt ut adorent in festo.* Joan. 12. 20. *Græci*, inquit, proindeque in Proselytorum numerum non ascripti. Suscepta Religione Judaica *Græcorum* nomine Proselyti non donabantur. Quod si festis diebus Eunuchus Hierosolymam petiisset adoraturus, quod visum Baronio, non satis conclusum videretur pro Proselyto. Adorabant in festo Græci illi qui Philippum rogarunt ut videndi Christi copia ipsis concederetur. *Credibile est*, Maldonato judice, *Judæos non solum passos æquo animo, sed vehementer etiam lætatos fuisse ut Gentiles, honoris causa, & ut* Mald. in Joan. c. 12. vers. 20.

Deum suum adorarent, & a remotissimis terris venirent, & Templum admirabundi, venerabundique ingrederentur. Ille utique Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum qui Jerosolymam adoraturus venerat; Gentilis erat. Non tantum credibile est, sed etiam certum. Idcirco erat in Templo Atrium Gentium, ubi Deum orare Ethnicis permissum fuit.

Quin etiam Græci sacrificabant opera Judæorum Sacerdotum atque manibus. Omnibus cantatum est Heliodori sacrificium, 2. Maccab. 3. *Heliodorus autem cum sacrificium obtulisset Domino, & vota maxima vovisset ei qui vitam ipsi reparaverat, castra movens ad Regem reversus est.* Sic Alexander Magnus, Vitelliusque sacrificia perpetrarunt Hierosolymis. Joseph. Ant. l. 18. c. 7. Αὐτός τε μετὰ τοῦ Ἡρώδου τοῦ τετράρχου, καὶ τῶν φίλων εἰς Ἱεροσόλυμα ἀνήει θύσων τῷ θεῷ ἑορτῆς Πατρίου τοῖς Ἰουδαίοις ἐνεστηκυίας. *Ipse cum Herode Tetrarcha, & amicis ascendit Hierosolymam, sacrificaturus Deo in festivitate quæ tum instabat publica.* An Vitellius Religionem Judæorum susceperat? Liceat mihi pauca Illustris Seldeni verba referre. *Æthiops item Eunuchus venerat adorare in Hierosolymis quod ad holocausta, spontaneas oblationes, & vota Gentilibus permissa.* Seld. de Jure Nat. l. 3. c. 4. *Cætera vero cultus in sacrificiis, sacrisque præstationibus genera ipsis ibi interdicta.* Ex Talmudica doctrina: veteri Maimonides: הגוים אין מקבלין מהן אלא עולות בדבר שנ ומיד בן נכר לא תקריב את לחם אלהיכם אפילו עולות
A Gentilibus recipienda non erant alia præter Holocausta, secundum illud Legis sacræ: de manu Alienigenæ non offeretis panem Deo vestro. Etiam Holocausta ex avibus recipiebant a Gentili, idque tametsi nondum cultui extraneo, seu idololatriæ renuntiasset. Cæterum, recipienda a Gentibus non erant aut Sacrificia pacifica, aut Sacra frumentacea in Lege præstituta, aut Sacrificia pro peccatis ex ignorantia; aut ea quæ offerenda fuere ob transgressionem voluntariam. Quin, nec in Holocaustum ab Gentibus recipiendum fuit aliquid, quod ab eis non sponte, aut ex voto offerebatur.

Uno argumento pugnant Baronius, Bellarminus, aliique quibus placet Eunuchum esse Proselytum, quod sane huic sententiæ magnam veri speciem conciliat. *Petrus omnium primus incipit prædicare Gentilibus, sicut ipse omnium primus prædicaverat Judæis... Sed objicies;* Bellar. de Rom. Pont. *nonne Act. 8. Philippus converterat Ethnicum hominem? Respondeo Eunuchum illum fuisse Proselytum, id est, jam conversum ad Judaismum non*

non autem plane Gentilem, *ut erat Cornelius*. *Nam Petrus non mentitur. Act.* 14.. *Cum indicat se primum prædicasse Gentibus*. Nodum sic expedit Erasmus in Paraphrasi. *Eunuchus solus sine teste Baptizatus est in via, velut suffuratus Evangelii gratiam a Judæis*. Ab Erasmo non multum differt Doctissimus Chamierus: *Nec obstat*, inquit, *quominus extra ordinem, & ex peculiari mandato, etiam cum miraculo, Philippus Eunuchum Baptizarit, quod sua sponte non erat facturus. Reprehensus autem fuit Petrus primo Hierosolymis, at Philippus erat in Samaria*. Itaque Vir ille Magnus eorum sententiæ concedens qui Eunuchum Proselytum non fuisse existimant, peculiari facto, & quasi privilegio Philippi se tuetur. Verum, in responsione aqua hæret. Certum quippe est a Christo datam esse Petro provinciam ac negotium ostium salutis Gentibus reserandi. Idcirco, in Concilio Hierosolymitano, *vos scitis*, verba sunt Petri, *Deum jam pridem elegisse inter nos, ut per os meum audirent Gentes verbum Dei*. Quæ Doctissime plenissimeque a Hieronymo explicantur, ad Salvinam Epistola. *Primus ab Apostolo Baptizatus salutem Gentium dedicavit Cornelius*. Annon in decretis divinis fuit, ut per os Pauli, & Matthæi Gentes ad Christum perducerentur? Quamobrem igitur de se ipso singillatim & diserte Petrus, *per os meum audirent Gentes verbum Dei*; non vero, *per os nostrum*, cum Paulus Apostolum Gentium præcipue præstaret; nonnisi quia constitutum erat ut conversionis Ethnicæ auspex Petrus evaderet, instillata Cornelio fide? Christi flagrans amore Philippus, admirabilem Eunuchi conversionem silentio non contriverat, ne merita laude Christum defraudaret. Nullæ tamen in Philippum concitæ lites illæ, quas Petro de Baptizato Cornelio intenderant. Nec ratio tanti discriminis fingi potest, concesso Eunuchum non esse Proselytis inserendum, nisi quia nil erat novi in Baptizato Eunucho; novum autem & inauditum Judæis, quod Petrus Ethnicis familiariter usus fuisset. Alia igitur via difficultati est satisfaciendum. Hæc attendenti, institutionem Cornelii excepisse Eunuchi Baptismus videbitur. Nec Lucæ insuetum aut cohærentia distrahere, aut temporum ordinem negligere. Pertinebat sane ad octavum caput, quod undecimo narratum est: *qui dispersi fuerant ex afflictione orta ob Stephanum transierunt usque in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam*. Data occasione ex Apostolorum

Cham. de Oecum. Pont. l. 1. c. 18. n. 50.

lorum cura & diligentia, qui multis vicis Samaritanorum Evangelizarant, Lucas oratione prosequitur illa quæ Philippo, apud Samaritanos agenti, contigerant. Quo tempore contigerit Eunuchi conversio dictu difficilimum, atque in Chronologiæ ἀπορ. ascribendum, non secus ac annum & Æneæ a Petro sanati, & Dorcadis ex mortuis excitatæ, & Cornelii fide imbuti.

Chryſ. Hom. 19. in Acta. Quæstionem non injucundam movet Chrysostomus; quare Eunucho *non apparet Angelus, & ipsum ducit ad Philippum.* Respondet Sanctus ille Pater, *quia fortassis non obedisset, sed solum perterritus esset.* Sed Cornelius steterat intrepidus, & boni Viri, salutis suæ amantes, mandatis Angelicis morem gerunt, Spiritum obedientiæ sufficiente Deo. Optime Chrysostomi quæstionem ille solvet, cui Dei voluntas pro ratione erit: Dei, inquam, cujus infinita Sapientia variis se modis exerit in vocandis hominibus, ut ejus Libertas, atque ὑπεροχὴ ubique fulgeat. Cornelio Angelum mittere libuit, Eunucho non libuit; hic & illic sapientissime. Sed, quod in observatione ponendum, Petrum ad Cornelium, Philippum ad Eunuchum convenire Christus voluit; non vice versa: ut magnum Posteris Apostolorum exemplum modestiæ pingeretur, ne obtentu donorum, dignitatisque suæ superbientes, Laïcos pedibus proculcarent; sed, more Christi, servandos homines solicite quærerent.

ANNO XXXV. NUM. XXVII.

Explicatur versus 26. c. 8. Act. De Gaza urbe sententia Lightfooti expenditur. Utri, viæ an urbi, addendum desertæ *epitethum? Oecumenii sententia Lightfootiana verisimilior. Lapsus Eruditi Viri circa Sozomenum, atque contradictio.*

URbs Gaza versus quam Philippus iter convertere jussus est, ad Eunuchi spectat historiam. *Angelus Domini Philippo dicens, surge, & vade meridiem versus, ad viam qua Hierosolymis descendit, εἰς Γάζαν: αὕτη ἐστὶν ἔρημος. Ad Gazam quæ est deserta.* Dubius intellectus, qui ad viam, aut ad urbem referri potest. Clarissimo Lightfooto nonnullisque ἔρημος *deserta*, non *viæ*, sed *urbis* est Epitheton. Cui sententiæ probandæ Strabo adducitur a Lightfooto. *Ibi*

Light. Chron. Tem. Act. 8.

portus

portus Gazaeorum, ultra quem circiter septem stadia, Civitas illustris olim, per Alexandrum diruta, & μενῦσα ἔρημ@. Sed Strabonis autoritas omitti debuit, quippe qui, si Josepho fides, delapsus sit in errorem nisi nobilis Geographus Alexandrum Judæorum Regem, non illum Macedonem Asiæ potentem habuerit in animo; qua excusatione defendi posset: sed Straboniana phrasis Alexandrum Magnum non obscure indicat. Atqui instauratam Gazam, nec ignobilem esse demonstrant illa Josephi. Ἔνιοι δὲ μενόμενοι τὰς οἰκείας ἐνεπίμπρασαν, ὡς μηδὲν αὐτῶν λάφυρον εἶναι τοῖς Πολεμίοις λαβεῖν. *Alii vero desolatas prius ædes incendebant, ne hostis præda potiri posset... Senatores autem numero quingenti in Apollinis Templum confugerant.* Quæ florentis potentisque urbis non obscura sunt indicia. Joseph. Ant. l. 13. c. 21.

Eversa, itaque, ab Alexandro Judæo Gaza recte *deserta* dici potuit. Sed non immerito quæritur qua de causa illud epitheton additum est, cum uni Palæstinæ Gazæ, hac discrimen faciente Nota nil opus esset. *Tradunt*, inquit Clariss. Beza, *duas fuisse Gazas; unam veterem, alteramque novam, ideoque oportuisse hanc ab illa distingui; quod non invenio idonei cujuspiam Scriptoris autoritate confirmatum. Quamvis enim ab Alexandro Magno expugnatam & dirutam fuisse Gazam constet, tamen mox instauratam, nec impotentem fuisse liquet ex eo, quod aliquot post seculis, nempe sub Ptolomæo Lathuro, qui penultimus fuit Ptolomeorum, denuo fuit magnis viribus expugnata ab Alexandro Judææ Rege.* Meminit quidem Strabo alterius Gazæ, in Armenia sitæ, l. 11. *Eorum Regia æstivalis est Gaza in campo sita.* Sed de illa non cogitabat Philippus: quippe quæ *nec meridiem versus*, nec e Regione Hierosolymæ fuit. Aliam Gazam in Palæstina quæsivit Lightfootus. *Dixerim ab Angelo ideo additum* (est deserta) *quod fuerit altera Gaza, eaque non longe admodum distans a loco ubi jam Philippus; in Tribu, scilicet, Ephraimitica. 1. Paral. c.7. v.28. Sichem cum filiabus suis, ad Gazam & filias suas.* Quæ nulla via possunt cum his conciliari, *αὕτη non ad Gazam, sed ad viam Gazæ ducentem referri debet. Sic Arabs & Syrus, recte quidem; quum nonnisi una Gaza esset, & via per desertum jaceret.* Sed non modo in contradictionem, sed & in errorem Vir Eruditus lapsus est. *A Diodoro Siculo, l. 19. vocatur antiqua Gaza. Alia enim ædificata fuit ad portum juxta mare, Majuma nonnunquam dicta Sozom. l. 5. c. 3.* Siccine Sozomenus? De Juliano Aposta- Light. Hor. Heb. in Act. Lightf. Comment in Act. p. 797. Lightf. Chron. Temp. p. 67.

Apoſtata. *Conſtantienſibus quoque in Palæſtina idem crimen objiciens, urbem eorum Gazæis contribuit. Hanc enim urbem Conſtantiam, uti ſupra retulimus, cum navale eſſet Gazæorum & Majuma prius diceretur, Conſtantinus Chriſtianæ Religioni impenſe deditam eſſe intelligens, civitatis jure donaverat, & filii ſui Conſtantii nomine appellatam, ſeparatim Rempublicam habere præceperat; iniquum eſſe ratus ut Gazæis, Græcorum ſuperſtitioni ſupra modum addictis, contributa eſſet. Verum ubi Julianus ad imperium pervenit, Gazæi adverſus Conſtantienſes litem moverunt: Ipſe vero in ea cauſa judex ſedens, Gazæis Conſtantiam adjudicavit: atque exinde, priore ſpoliata vocabulo, maritima pars urbis Gaza appellatur.* Conſtat itaque ex Sozomeno, nullam fuiſſe novam Gazam Lucæ temporibus, cum *Conſtantia*, olim *Majuma*; *Gaza* nomen non adepta ſit, niſi imperante Juliano. Qui Gazæ alicujus novæ meminerit, quæ Philippi Evangeliſtæ temporibus extaret, neminem ſane invenimus. Illa vero Gaza quam Autor Paralipomenon memorat, everſam fuiſſe Tiberii Ætate ex eo apparet, quod nullo veſtigio in Autore idoneo reperiatur.

Accedimus itaque ad ſententiam Oecumenii qui Epitheton adjunxit viæ, non urbi. Πρὸς Μεσημβρίαν ἐστιν ἡ ὁδός, τὸ δὲ ἄυτη ἐστὶν ἔρημος εἶπεν, ὥστε μὴ φοβηθῆναι τὴν τῶν Ἰουδαίων ἐπιστασίαν. *Via erat meridiem verſus, dixit autem,* hoc eſt deſerta, *ut non metueret Judæorum principatum.*

ANNO XXXV. NUM. XXVIII.

Exemplum Eunuchi legentis Scripturam imitandum, judice Chryſoſtomo. Aurea Sancti hujuſce Patris verba. Olim lectioni ſcripturarum incubuiſſe pueros, mulieres, milites, Reges, compluribus exemplis declaratur. Inventa Eruditi Simonis de prohibita lectione Scripturæ, refelluntur ex Clem. Alex. Chryſoſtomo, Auguſtino, Theodoreto. Diurnis nocturniſque manibus Sacri Codices terebantur. Egregium Monachi Marciani Exemplum. Ordo legendæ Scripturæ ex Nazianzeno, Hieronymoque declaratur.

Decepit

DEcepit expectationem nostram illustrissimus Purpuratus. Occupatus in legendis Scripturis Eunuchus dum in curru sedens iter expediret, ansam Baronio præbebat commodam atque idoneam exponendæ de legendis Scripturis Antiquorum sententiæ & consuetudini. At hanc materiam ingredi noluit. Non sic altissimum de Reliquiis aut Imaginibus egisset silentium, si parem ex Antiquitate factisque Virorum Illustrium, occasionem Sanctorum & picturas, & exuvias commendandi habuisset. Quod ergo omissum est in tam luculenta necessariaque materia, de monumentis Antiquitatis supplendum.

Non prætereunda sunt aurea de pio Eunuchi facto verba Chrysostomi. *Barbarus ille. Reginæ Æthiopum Eunuchus, qui in tanta erat gloria, & curru vehebatur, illo tempore lectionem non negligebat, sed Prophetam in manibus habens magnum adhibebat studium, idque nesciens quid in libris contineretur, & afferebat quidquid in se erat studium, alacritatem, attentionem. Cogita enim obsecro, quantum erat neque in itinere lectionem negligere, & præsertim sedentem in curru. Merito male audiunt qui neque domi ut hoc faciant persuaderi possunt, sed putantes supervacuam esse horum lectionem quia vel mulieri cohabitant, vel militiæ ascripti sunt, vel puerorum & servorum, aliorumque negotiorum curam agunt, non convenire sibi arbitrantur quod Divinæ Scripturæ lectioni incumbant. Ecce & Eunuchus & Barbarus erat, quæ utraque ad reddendum negligentiorem sufficiebant; & ad hæc dignitatis amplitudo & abundantia opum: adde quod in itinere erat, & curru ferebatur. Attamen desiderium & ingens studium omnia obstacula e medio auferens, in lectione retinebat. Unde non dicebat ea quæ plerique dicunt, non intelligo ea quæ scripta sunt; non possum intelligere profunditatem Scripturarum; quare frustra & incassum laborem sustinerem? Et non habeo qui manu ducat. Nihil iis simile cogitabat ille, lingua quidem Barbarus, mente autem Philosophus: sed cogitavit potius se non contemptum iri, sed superna gratia adjuvari, modo quod suum erat afferret studium; quem & nos imitemur!* Recte atque sapienter. Chrysf. Hom. 34 in Gen.

Eandem disciplinam coluit Izates Rex Adiabenorum, vel nondum abdicato præputio. Ad salutandum Izatem admissus Eleazar, Regem offendit *legentem sacra Mosis volumina.* Admiratione signi Joseph. Ant. l. 20. c. 2.

Euseb. de vita Const. l. 1. c. 32. cælestis captus Constantinus Imperator. Ἀυτὸς δ' ἤδη τοῖς ἐν θείοις ἀναγνώσμασι προσέχειν ἤξιε. *Exinde ipsemet Divinorum Librorum lectioni vacare instituit.* Legendæ Scripturæ incumbebant pueri. De Origene Eusebius : Euseb. Hist. l. 6. c. 2. Καὶ γὰρ ἤδη καὶ τῶν τῆς πίστεως λόγων ἐ σμικρὰς ἀφορμὰς καταβέβλητο ταῖς θείαις γραφαῖς ἐξέτι παιδὸς ἐνησκημένος. *In tantum enim fidei nostræ Doctrinam non vulgariter imbiberat, ut pote in Divinis Scripturis jam inde a puero exercitatus.* Quam consuetudinem Ecclesiæ Orientales observabant. De Eusebio Emiseno Sozom. l. 3. c. 6. *Qui nobili genere natus apud Edessam urbem Osdroenæ, a puero,* κατὰ πάτριον ἔθος, *juxta Patriam consuetudinem sacras Scripturas didicit.* Legebant mulieres: hinc duxit argumentum Tertullianus improbando Fidelis & Ethnici Matrimonio. Tertul. ad Uxor l. 2. c. 6. *Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat aliquid Dei Cœna de Taberna; de Taberna, de Gehenna, quæ Dei mentio? Quæ Christi invocatio? Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione.* Fulgentius Epistola 2. ad Gallam de statu viduali. *Nunquam cessetur divinis eloquiis, & totam delectationem cordis tui Scripturis Sanctis indulge.* Legebant milites. Eo pertinet a Cassiano Historia memoriæ commendata de Simone Monacho, quem Cassian. l. 5. c. 39. sic compellavit Senex ad inerti injungendum laborem. *Olim quærebam qui Apostolum Latina manu mihi perscriberet. Etenim habeo fratrem militia laqueis obligatum, & apprime Latinis instructum, cui de Scripturis Sanctis aliquid ad legendum ædificationis ejus obtentu transmittere cupio.*

Simon Crit. l. 2. c. 22. Atque hinc patet quid de inventis Viri Docti Richardi Simon sit pronunciandum. *C'est pourquoy, bien que la lecture de la Bible soit utile d'elle même, ils ont jugè à propos de ne la permettre qu'avec de grandes precautions.*

Non prosit potius si quid obesse potest.

L'Eglize ne l'a pourtant jamais defendue entierement: imitant en cela l'exemple de St. Jean Chrysostome, & de plusieurs autres Peres, qui ont recommandè au peuple la lecture des Livres Sacrez. Comme les Fideles estoient alors soumis à leurs Pasteurs, & qu'ils apprenoient d'eux la maniere d'interpreter l'Escriture Sainte, on pouvoit leur confier cette Divine Parole, qu'ils lisoient avec respect, & avec une entiere soumission aux ordres

ordres de L'Eglize... Dans ces derniers siecles on n'a presque plus écouté la Tradition. Quid eſt ſuperbe hominibus illudere, ſi hoc non eſt? Innumeris Hæreticorum examinibus abundabat Chryſoſtomi Seculum. Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ, Manichæi, Gnoſtici, Paulianiſtæ, Donatiſtæ, aliique complures quorum vel nomina paginas implerent librorum: venenatis ſuis aculeis Eccleſiam compungebant, fidei myſteria miſere depaſcebant, Conciliorum Autoritatem ſordibus inquinabant, Sacra omnia pedibus proculcabant; Atque ut ex floribus, roſcida mella apum gregi ſuppeditantibus, hauriunt araneæ ſua toxica; ſic ex Scriptura, pietatis fonte, impuri illi Hæretici errores ſuos eliciebant: ut in cautionem & proviſionem tot incommodorum, Chriſtianos uti Scriptura prohibere debuerit Chryſoſtomus? Hoccine remedium adhibuit impediendæ animorum corruptioni? An uſurpavit Simonianum Carmen:

Non proſit potius ſi quid obeſſe poteſt?

An Eccleſia Conſtantinopolitana cui præerat Chryſoſtomus, Legem Tridentinæ ſimilem promulgavit? *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua, paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri: hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parrochi vel Confeſſarii, Bibliorum a Catholicis Autoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis argumentum capere poſſe, quam facultatem in Scriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.* Similibus-ne cautionibus Antiquitas legendas Scripturas ſepivit? *Lectionem concedere poſſunt quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis argumentum capere poſſe.* Hem! Lectionem concedere poſſunt? Atqui illa ipſa lectio Chryſoſtomo eſt mandatum omnibus additum. Ἀκούσατε ὅσοι ἐστὲ καὶ γυναικὸς καὶ παιδῶν προΐστασθε, πῶς καὶ ὑμῖν ἐπιτρέπει μάλιστα τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν, καὶ οὐχ ἁπλῶς οὐδ' εἰς τὸ τυχεῖν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς. *Audite quotquot eſtis & præeſtis uxori ac filiis, quomodo etiam vobis præcipit ut legatis Scripturas, &*

Concil. Trid Reg.4. Lib.prohibit.

Chryſ. in Coloſſ. c. 3.

& quidem non simpliciter, sed magno cum studio... Audite quæso omnes seculares: comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, saltem Novum Testamentum, Apostolorum Actus, Evangelia, Magistros perpetuos. Facultatem in *scriptis* habeant absque qua *absolutionem* percipere non possint? Quis ex Patribus hominem eo diris devovit quod scripturas evolveret? Aut *scriptam facultatem* flagitavit, ut ad illas pateret aditus? Siccine Clemens ille Petri Successor Corinthiis mandata mittebat: Ἐγκύπτετε εἰς τὰς γραφάς. *Scripturas diligenter inspicite, quæ Spiritus Sancti vera sunt Oracula. p.* 58.

Quo tandem rediit res apud Christianos? Quam immutata Secula? *At pendebant Fideles ab ore Pastorum!* Hæc est Erudito Simoni causa quamobrem legendæ Scripturæ dabantur in mandatis? quasi vero Catholici Romani hodie minus cederent suis Pastoribus, & fasces submitterent quam olim; aut de Autoritate Ecclesiæ non penderent fides fortunaque Autorum, qui se suaque scripta dedunt Ecclesiæ judicio. Quos pastores consulendos habuit Eunuchus ille Candaces, solus in curru incumbens Scripturæ, Patriamque repetens, ubi nulli erant Episcopi, nedum ἀναμάρτητοι Episcopi? Viro Docto aliquando otium rei si sit, legat Augustinum ad Paulinam. *Nolo autoritatem meam sequaris, aut ideo putes tibi aliquid necesse credere, quoniam a me dicitur: sed, aut Scripturis Canonicis credas, si quid nondum quam verum sit vides, aut interius demonstranti veritati ut hoc plane videas.* Hinc intelliget Augustino non eam fuisse mentem ut ad Pastorum arbitrium & nutum Christiani fingerent & accomodarent fidem suam. Olim indoctorum futiles excusationes refellebat Clemens ille Alexandrinus. Γράμματα, φησὶν, οὐκ ἔμαθον· ἀλλ' εἰ μὴ τὸ ἀναγινώσκειν ἔμαθες, τὸ ἀκούειν ἀναπολόγητον ὅτι μὴ δίδακτον. Πίστις δὲ οὐ σοφῶν τῶν κατὰ κόσμον, ἀλλὰ τῶν κατὰ Θεὸν ἐστὶ τὸ κτῆμα. *Literas, inquit, non didici: sed si non didicisti legere, non est quod de auditu te possis excusare, quoniam is doceri nequit: fides autem non Sapientium secundum mundum, sed eorum qui secundum Deum sunt Sapientes est possessio.* Audiatur & Theodoretus. *Vin'tu Scripturas negligere? Unde cognitio? An ergo cognitionem relinquere? Unde fides? Clamat Paulus, quomodo credent si non audiant? & rursus, ergo fides est ex auditu; auditus vero per Verbum Dei. Quicunque igitur Verbo obsistit, is auditum obstruit, fidem expellit. Sed enim Romanorum Leges nemo ignorat impune.*

Aug. Epist. 112, ad Paul.

Clem. Pæd. l. 3. c. 11.

pune. Eos ergo qui Magni Cœlorum Regis Edicta nolunt quenquam meditari & discere, quæ non insidias instruere dicamus animæ? Alimentum est scriptura. Παῦσαι οὖν λιμοκτονῶν τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ἄνθρωπε, καὶ λιμὸν ἄγριον ἐπισπασάμενος οὐκ ἄρτου καὶ ὕδατος: ἀλλὰ τοῦ ἀκοῦσαι λόγον κυρίου. Ἄλλος ἐπιφέρει τὰ τρύματα, καὶ σὺ κωλύεις ὑπάγειν τὰ φάρμακα. *Quin desistis, o homo, hominem interiorem fame conficere; & fame quidem crudeli, non a pane & vino, sed ab auditu Verbi Dei. Non deest qui infligat vulnera, & tu prohibeas inferre remedia? Quin desinis variam medicinalium librorum Sapientiam, quasi frustraneam traducere? Incutiat tibi pudorem ille saltem Eunuchus, qui Reginæ Gazis præfectus ne in itinere quidem cessavit a legendo.*

Maxima autem diligentia Majores hunc legendæ Scripturæ morem tenuerunt; itaque non diurnæ, sed & nocturnæ lectioni dabant operam. Exemplo sit celebris ille Marcianus Monachus. Cum vellet Eusebius, Marciani discipulus, noctu videre quid ageret Præceptor, *ausus est ad fenestram accedere, & cum se inclinans respexisset, videt lumen, non ex lucerna, neque quod esset manu factum, sed a Deo datum, & quod superna gratia Præceptoris sui caput circumfulgebat, & Divinorum eloquiorum Scriptura ostendebat intelligentiam. Tenebat enim librum, & Divinæ voluntatis sacrum inquirebat Thesaurum.* Theodor. Hist. Patr. c. 3.

Ad Eunuchum Candaces ut redeam, in prophetiam etsi non intellectam, mihi videtur divinitus incidisse, ut de Christi cum morte tum beneficiis, data occasione, Philippus orationem haberet. Alioquin sapientis est, ea legendo percurrere ex quibus fructum, gaudium emolumentum capit, quæ ex ignotis Oraculis consequi non possumus. Ordine igitur lectio Scripturæ est administranda: id Patrum verbis & methodo declarare non me piget. Nazianzenus Orat. 1ª. p. 21. Ἑβραίων μὲν οὖν οἱ σοφώτεροι λέγουσιν ὡς ἄρα ἦν τις πάλαι νόμος Ἑβραίοις, ἐν τοῖς μάλιστα δι' ἔχων καὶ ἐπαινούμενος; μὴ πᾶσαν ἡλικίαν πάσῃ γραφῇ ἐνδίδοσθαι; μηδὲ γὰρ εἶναι τοῦτο λυσιτελέστερον.. ἀλλὰ τὰς μὲν ἀπ' ἀρχῆς ἀνεῖσθαι πᾶσι, καὶ εἶναι κοινὰς ὧν καὶ τὸ σωματικὸν οὐκ ἀδόκιμον. Τὰς δὲ μὴ ἄλλοις ἢ τοῖς ὑπὲρ εἰκοστὸν καὶ πέμπτον γεγονόσιν ἔτος πιστεύεσθαι ὅσαι δι' εὐτελοῦς τοῦ ἐνδύματος τὸ μυστικὸν κάλλος συγκαλύπτουσιν. *Enimvero Hebræorum Sapientes hanc olim Hebræis Legem fuisse narrant, in primis rectam & laude dignam, qua non cuivis ætati quivis Scripturæ liber concedebatur; nam ne hoc quidem utilius esse: quandoquidem*

doquidem nec tota statim a quolibet percipi possit, ac quod in ea reconditius est, ob externam speciem, imperitioribus plurimum detrimenti afferri posit: verum alii libri ab initio cunctis patebant, & communes erant. hoc est, quorum ne id quidem quod corporeum est, laude caret: alii autem his duntaxat committebantur qui 25. ætatis annum excessissent.

Nazianzeni discipulus Hieronymus ad Lætam de Institutione Filiæ; *Quærant eam in itinere seculi inter turbas, & frequentiam propinquorum*, & nusquam alibi reperiant, nisi in adyto scripturarum, *Prophetas & Apostolos de Spiritualibus nuptiis suscitantem... Pro gemmis & serico, Divinos Codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ Vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio. Discat primo Psalterium, hisce canticis avocet: & in Proverbiis Solomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste, consuescat quæ mundi sunt calcare: in Job, virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta, & Epistolas, tota cordis imbibat voluntate cumque pectoris sui collarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum, & Regum & Paralipomenon libros; Esdræ quoque, & Ester volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum.* Hæc pauca ex ampla materia segeteque decerpsimus, antiquis de legenda scriptura moribus explicandis.

Anno XXXV. Num. XXIX.

De Caligula hoc ipso anno ad imperium evecto ansa erroris Baroniani. Nodus in Dione difficilis. Qui Cajo Caligulæ Traditum Imperium. Cujus hæres Tiberius Drusianus Tiberii Testamento relictus est? Quæritur ex Suetonio difficultatis solutio, ut tamen semper aqua hæreat.

SI verum retinere & tueri sententia est, hic & Historia, & Dione Baronium aberrasse necessario fatendum est. *Hoc ipso anno*, inquit, *idem Tiberius in Imperium evexit Cajum Caligulam, nepotem suum.* Post defunctum certe Tiberium, Imperatoris honore Caligula affectus est. Ansam, opinor, erroris dedere hæc Dionis: 'Εκεί-

Dio. l. 58.

νον

τον κάκιστον εἰδὼς ἐσόμενον ἄσμενως, ὡς φασὶ, τὴν ἀρχὴν αὐτῷ ἔδωκεν. *Sciens Cajum pessime victurum, haud illibenter Imperium ei fertur tradidisse.* Ex Testamento Tiberii forsan parari posset lapsus excusatio. *Testamentum duplex Tiberius ante biennium fecerat; alterum sua, alterum Liberti manu: sed eodem exemplo, obsignaveratque etiam humillimorum signis. Eo Testamento hæredes æquis partibus reliquit Cajum ex Germanico; & Tiberium ex Druso nepotes, substituitque invicem.* Si Tiberii Augusti Testamento Caligula imperii Legatarius constitutus erat, phrasi quidem impropria, sed cujus exempla reperiuntur, summa rerum donatus censeri posset; proindeque *evectus ad Imperium* fidei commisso Testatoris. Hac excusatione defendatur, si lubet, error Annalium; quanquam biennium de quo Suetonius ad Consulatum Sulpitii Galbæ, & L. Sullæ felicis, vix accommodari queat. Suet. in Tib. c. 76.

Omisso Baronio, in Dionis historia nonnulla sunt quæ me male habent. Ab occultatioribus aculei, qui me vellicant & pungunt, ut evellantur postulo. *Cajo*, inquit, *tanquam Imperii potituro deditus erat, eo magis quod Tiberium haud diu victurum, ac ab ipso Cajo interemptum iri compertum habebat. Nihil eorum quæ etiam Cajo essent eventura, ignorabat.* Dio l. 58. At Tiberius ille Drusianus Testamento Imperatoris constitutus Imperii Legatarius, non Caligula. Ἐκεῖνος μὲν γὰρ καὶ τῷ Τιβερίῳ τῷ ἐκγόνῳ τὴν αὐταρχίαν κατέλιπεν. *Reliquerat sane Tiberius nepoti suo Tiberio principatum, sed Cajus Testamentum per Macronem in Senatum misit, idque Coss. reliquorumque ante ad hoc præparatorum sententiis, irritum judicari fecit, tanquam ab homine mentis impote conditum.* Τότε τε οὖν παραχρῆμα οὕτως αὐτὸν τῆς ἀρχῆς παρέλυσε. *Ita Tiberium tunc exuit, & post occidit.* Dionem cum Dione in gratiam redigere pene viribus meis editius. An Tiberius tradidit Imperium Cajo, si condito Testamento αὐταρχίας Tiberium & Caligulam æquis partibus reliquerat, sic & Imperii? Ut vellem hæc explicatio apta esset atque congruens phrasi Dionianæ, *reliquerat Tiberio principatum.* Sed aliud sonare videtur. Mallem Tiberium dedisse Caligulæ; quia, ut scripto prodidit Suetonius, Cajum ex Germanico, & Tiberium ex Druso nepotes substituerat invicem. Interim fateor, aqua hæret. Dixerat, quippe, Dio, εἶχε μὲν γὰρ καὶ τὸν Τιβέριον, τὸν ἔκγονον ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν διά τε τὴν ἡλικίαν,

ἔτε

ἔτε γὰρ παιδίον ἦν, καὶ διὰ τὴν ὑποψίαν, οὐ γὰρ ἐπιστεύετο τοῦ Δρούσου παῖς εἶναι, παρέωσε. *Erat ipsi nepos etiam nomine Tiberius, verum eo, & propter ætatem, puer enim erat adhuc; & propter suspicionem, quod non crederetur Drusi sanguine natus, neglecto.* Hæccine constant? An neglectus, si Imperii dictus hæres, aut vice versa?

ANNO XXXV. NUM. XXIX.

De Tiberio rogante senatum ut Christus inter Deos referretur. Traditio Tertulliani ad examen revocata. Argumentum Clarissimi Hueti pro affirmante sententia, vanum esse ex Justino ostenditur. Differentia inter Tertullianum, Eusebium, Chrysostomum, de hac Dominica Apotheosi. Pugna Tertulliani cum Luca. Nomen Christiani Discipulis non additum fuisse ante Claudii Imperium. Verosimile non esse de Christo Deo Tiberium sibi induisse persuasionem. An Pilatus ad Tiberium scripserit de Divinitate & miraculis Domini? Refellitur ajentium opinio, multis argumentis. Christo Pilatus hostis. Fidem Dominicæ Resurrectioni non addidisse probatur. Epistolæ Pilati falsæ. De Actis publicis sub Pilato. Nulla fuisse Pilati Acta de Christi miraculis. Acta a Justino memorata subdita esse, multis ostenditur. Non flagitatam fuisse a Tiberio Christi Apotheosin demonstratur. 1. Ex odio Tiberii in Judæos, cujus causa explicatur. 2. Ex negligentia Tiberii in Deos. 3. Ex Autoritate ejus in Senatum. Solutiones Clarissimi Cestriensis rejiciuntur. Verba Tertulliani suis ponderibus examinantur, unde novum argumentum ducitur. De Actis Pilati a Maximino divulgatis. Cestriensis notatus.

Tantus

TAntus suam erga Religionem Christianorum amor fuit, ut ambabus ulnis ea sæpius amplexi sint, quæ in illius honorem cedere videbantur; pio magis quam limato politoque judicio. Annon illud & acciderit in omnium ore cantata de Christo in Deos a Tiberio referendo Traditione, nunc est diligenter examinandum. Trita sunt illa Tertulliani qui primus hanc narrationem commendavit Posteris. *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annunciata sibi ex Syria Palæstina, quæ veritatem istius Divinitatis revelaverant; detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum Accusatoribus Christianorum.* Gloria Ecclesiæ non minimum intenditur hoc Imperatoris Romani suffragio. Itaque Baronius Tertulliani narrationem libenter auribus admisit: nec mirum, cum absque delectu non raro antiquis monumentis indulgeat: sed Viri Clarissimi, Baronioque naris longe emunctioris, Casaubonus, & Pearson Cestriensis, Huetusque Suessonensis, Episcopi veracem esse Septimianam Traditionem dixere. *Autorem habemus Tertullianum, Scriptorem quidem Christianum, sed fidei nihilo magis suspecta, cum hac objecerit Senatui ipsi, Populoque Rom. qui rei falsitatem facile deprehendisset ex Commentariis publicis, iisque potissimum quibus res sub Pilato gesta continebantur.* Qua ratione Erudit. Huetus fidem affert Tertulliano. Sed, vere ut dicam, hoc mihi vano est argumento ad narrationem Tertulliani confirmandam. Nonne Justinus in oblata Antonino Pio pro Christianis Apologia, hæc scripto publico tradidit? *Simon quidam Samaritanus, in vico cui nomen Githon, est natus; hic sub Claudio Cæsare efficacium Dæmonum arte, in Imperiali vestra urbe Roma, propter magicas quas exhibuit virtutes, Deus habitus est, & statua apud vos, veluti Deus, honoratus; quæ statua in amne Tiberis inter duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem SIMONI DEO SANCTO.* Num ideo veris est apponenda fabula? Atqui possumus argumento Viri Clarissimi Simonianæ statuæ adjungere fidem. Autorem habemus Justinum; Auctorem quidem Christianum, sed fidei nihilo magis suspectæ; cum hæc objecerit Senatui, Populoque Rom. qui rei falsitatem facile deprehendisset non solum ex Commentariis publicis, sed ex oculo-

Tertul. Apol. c. 5.

Huet. Dem. Evan Prop. 3. n. 22.

rum testimonio. Errata ejusmodi quæ circa Circumstantias Historiæ versantur, sæpe optimis viris illudunt, nec candorem virtutemque depellunt animo. Argumento mihi non frigido est veris non consentire Tertulliani narrationem, quod Justinus illam sua in Apologia omiserit: etsi Romæ versatus fuerit illis temporibus quibus Christi Apotheosis a Tiberio flagitata, recenti memoria Senatus, Populique Romani conservabatur. Ut, si Christi Divinitatem cum prerogativa suffragii Tiberius ad Senatum detulit, prodigio sit, aut suffragii adeo memorabilis ignarum, insolentemque fuisse Justinum Romæ agentem; aut si noverit, argumentationem ad eliciendum Antonini Imperatoris favorem potentissimam, silentio præteriisse.

Cæterum, nonnulla, etsi angusta, differentia tamen reperitur inter Autores, de optata a Tiberio Christi Apotheosi. Chrysostomus Hom. 26. in 2. ad Cor. *Cum igitur*, inquit, *facta Christi omnia renunciata essent, per nuncios rogavit Provinciæ Præses num illis videretur ipsum quoque suis suffragiis creare Deum; illi vero non annuerunt.* Quæ Chrysostomi Traditio minus quam illa Tertulliani abhorret a fide: cum votis Præsidis Judææ Senatum intercessisse nil repugnet; votis Tiberii non annuisse, fidem vix capiat. Sed aliquid momentosius illa Tertulliani & Chrysostomi differentia fabulæ suspicionem injicit. *Pilato de Christianorum dogmate*, (verba sunt Eusebiani Chronici) *ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera Sacra reciperetur. Verum, cum ex Consulto Patrum Christianos eliminari Urbe placuißet, Tiberius per Edictum Accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.* Hoccine credibile est Tiberium rogasse Senatores de recipiendo Christianorum dogmate? Dogma Christianorum unius Dei cultu floret, sacrificia cruenta amandat procul, Imagines Idolaque exterminat. Postulavit ergo Tiberius, ut Senatus universam antiquamque Religionem Romanorum pessundaret, abjecto Numinum, sacrificiorumque cultu: quæ Tiberiana postulatio, meo judicio, adeo absurda est, ut nihil supra. Qua vero de causa Eusebius, magnæ diligentiæ homo in colligendis de Re Christiana Cæsarum Rescriptis, Hadriani, puta, ad Minutium Fundanum; Antonini ad commune Asiæ; Gallieni ad Dionysium; Galerii Maximiani; ne verbum quidem exscripsit Decreti Tiberiani mortem Christianorum Accusatoribus minitantis?

tis? Optimam ille rationem afferet qui id decreti somnium esse ex Eburnea porta pro certo affirmabit.

Enimvero Lucam, Tertullianumque ad concordiam reducere difficillimum. *Christianum nomen tempore Tiberii in seculum introivit.* Effatum est Tertulliani, cujus si veritatem præstare nolim, repugnante Luca, Act. 11. *Factumque est ut annum totum congregarentur in Ecclesia, docerentque Turbam non parvam, & Discipuli nominarentur primum Antiochiæ Christiani*: quod defuncto jam Tiberio contigit, nemine dissentiente Chronologo: laboranti Tertulliano Pamelius frustra succurrit: *Nec contrariatur quod Actorum* 11. *primum dicuntur Antiochiæ Discipuli cognominati* Christiani; *quia qui Hierosolymis, & in Samaria jam ante crediderant in Christum, cui dubium quin a* Christo *etiam* Christiani *nuncuparentur?* Mihi sane dubium, Pameli, imo certum sic non esse nuncupatos, qui *Discipulorum* nomine simpliciter donabantur. Audiatur Lucas: Cæterum, cum per eos dies multiplicarentur *Discipuli*; Duodecim Apostoli, advocata multitudine *Discipulorum*. Act. 6. Re quidem *Christiani*, non nomine. Consentit Lucæ Epiphanius. Ὕστερον δὲ ἀπὸ Ἀντιοχείας ἀρξάμενος καλεῖσθαι Χριστιανισμός. *Postea vero Antiochiæ Christianismus appellari cœpit.* Inauditum sane *Christiani* nomen antequam ad fidem Ethnici vocarentur, quorum ingens numerus videtur ansam dedisse imposito nomini; quocirca non Hierosolymis, sed Antiochiæ Discipulis additum. Principio quidem rerum Christianarum prudentiæ & ædificationi consentaneum fuit omittere ob invidiam, *Christiani* nomen, ne conglutinatio Ecclesiæ Judaicæ novo hoc titulo usurpato divelli videretur. Itaque ausim affirmare pro certo non ante introductum fuisse nomen quam Claudius rerum potiretur. Imo sub Claudii Principatu, Christiani, nomine *Judæorum*, Romæ comprehendebantur, ut apparet ex Suetonio c. 25. *Judæos, Impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit.* Quo non vario argumento constat non esse verosimile Tertullianicum effatum, *Christianum nomen tempore Tiberii in seculum introivit.*

Epiph. l. 1. Hær. 19.

Præterea, Tiberium induisse sibi persuasionem de Christo Deo, creditu difficillimum, obstante infelici morte qua vitam reliquerat. Crux miserorum, servorumque supplicium fuit; quo a Christi adoratione avertebatur animus Tiberii, non ignorantis viles animas, non

Heroes-ve ad infelix lignum damnari : idcirco, ne violarentur Edicta Prætorum, ut ne quis cum telo servus esset, Domitius quærens a pastore qui aprum ingentem percussisset, respondissetque pastor venabulo; statim deinde, jussu Prætoris, miser ille in crucem sublatus est. Equidem, si rem ipsam putamus, nullus est nisi mentem afflatu divino concitatus, cui Christi mors dirissima indicium non sit atque argumentum imbecillitatis ac impotentiæ. Hinc Judæi acutissimis clamoribus cœlum complebant: *Si Filius Dei es, descende ex cruce.* Qua de causa a Paulo scriptis mandatum: *Sermo ille de cruce iis qui pereunt stultitia est, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam.* 1 Cor. 1. Nec in diversum Tiberius affectus est, nisi a Spiritu Sancto actum esse dicamus, quod fingi quidem potest, probari non potest. Si humanum ingenium sibi permittatur, suis sic aget argutiolis in Christi Divinitatem: aut potuit crucem effugere, & noluit; aut voluit, & non potuit. Si voluit nec potuit, imbecillus est, non Deus: si potuit nec voluit, insanum egit, cum vitæ lux charior sit cruenta infamique morte. Quanti porro pretii fuerint apud Judæos Ethnicosque Christi miracula, nimis constat ex blasphemiis quibus Autorem prodigiorum Cœlestium proscindebant. Epicureus ille Celsus *arguebat artis magicæ Christum, tanquam magicis quibusdam præstigiis faceret quæ fecisse visus est miranda. Nam cum alios, inquit, Jesus hic prævideret qui ejusdem magicæ disciplinæ cognitionem essent adepti, eadem illa quæ ipse fecerat, quandoque facturos, per jactantiamque asserturos vel Dei se virtute hæc facere, a sua Republica hos plane ejecit. Et eundem insuper carpit, quod haud quaquam hos jure ejecerit, si quidem & ejusdem sit criminis reus.* Si Tiberius periit, periisse vero infamem vitiis hominem, salva charitate existimare possumus, erravit stultitia circa Christi crucem quæ animale pecuinumque pectus magis infatuavit, nedum Divinitati Servatoris nostri fidem adjungeret.

Cicero.

Orig. in Cels. l. 1.

Ut evellamus animis hominum illam de Tiberio Christum in Deos referente opinionem, quæ autoritate Tertulliani, antiquitate, diuturnitate convaluit, ostendamus nec Pilatum de Christo Deo ad Tiberium scripsisse, nec Tiberium precibus solicitasse Senatum de Christi Apotheosi. Prius quod attinet, variant adversæ senten-

tiæ

tiæ Defensores; an ex Actis vel Epistolis Pilati, Tiberius hauserit opinionem Divinitatis J. Christi: de utrisque dicendum.

Epistolas de Christo misisse Tiberio Pilatum innuit indicatque Tertullianus, Apolog. c. 21. *Ea omnia* (scilicet) *nihil in sepulchro Domini repertum esse, præterquam exuvias Sepulti, qui dehinc, ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfusa nube in cœlum receptus est. Super Christo Pilatus & ipse, jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nunciavit.* Hæc sane Epistolas potius quam Acta designant. Et absentium Præfectorum mos, erat, datis literis optata postulataque Imperatoribus significare. Itaque Pilatus, *pro sua conscientia Christianus*, Evangelii Epitomen Tiberio misit. Quod, dubio procul, benevoli erga Christum animi certissimum est argumentum. Atqui Apostoli Pilatum Christi amicum egisse non modo ignorant, sed & in hostium numerum ascribunt, Act. 4. 25. *Adstiterunt Reges Terræ, & Principes congregati sunt simul adversus Dominum & Christum ejus. Congregati sunt enim in hac Civitate vere adversus Sanctum Filium tuum Jesum Christum Herodes, & Pontius Pilatus.* Hæccine sunt indicia novæ Pilati Religionis, & Christianismi conscientiam imbuentis, & hominis bene in Christum animati? Si *conscientia Christianus* Pilatus fuit, nonne concitatam in Apostolos, Ecclesiamque Hierosolymitanam persecutionem autoritate sua compressisset? An in carcerem Petrum, Joannemque conjici, virgis cædi, Stephanum lapidibus obrui, discipulos dissipari, ingruente Judæorum furore, tam leni animo passus fuisset?

Crescit argumentorum materies. Pilato dictum fuerat a Judæis, *Domine, meminimus Planum illum dixisse cum adhuc viveret, tertio post die suscitabor.* Itaque Pilatus nec pro sua conscientia Christianus esse, nec Tiberio de Resurrectione Ascensioneque Dominica scribere potuit, nisi certe certoque sciret Christum, morte triumphata, in vitam fuisse revocatum. Alioquin illum impostoribus inserere debuit, quippe qui promissæ Resurrectionis fidem non præstitisset. Jam vero fide caret Pilatum sibi persuasionem induisse de Dominica Resurrectione. Mitto Resurrectionis mysterium a Gentibus, cum sannis rugosis fuisse semper exceptum. Qua ratione fidem adjunxisset Resurrectioni Dominicæ, cum a militibus, Præsidibusque audiret furtim ablatum fuisse corpus Jesu Christi? *Dicite, Discipuli ejus nocte ve-*

nerunt, & eum furati sunt, nobis dormientibus: quod si hoc auditum fuerit apud Præsidem, nos istud persuadebimus ei, & securos præstabimus. Ipsi vero accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti, & divulgatum fuit istud apud Judæos usque ad hodiernum diem. Accedente tam gravi & militum, & Præsidium de furto Discipulorum testimonio, ad sententiam Pilati multum a fide Resurrectionis alienam, an persuasum habuit Christum, vi mortis superata, vitam perditam recuperasse? Egregiam vero Pilati docilitatem, qui vel repugnantibus & præjudiciis, & Judæis, & militibus, pro certo habuit quod nec creditum ipsis Apostolis, assuetis & oraculis, & miraculis J. Christi, promissis ejus innixis, & a mulieribus candidi pectoris, de Resurrectione Servatoris monitis. *Illi vero cum audiissent eum vivere, & conspectum fuisse a Magdalena, non crediderunt.* Marc. 16. Porro, si Pilatus abiit ad vulgi Judæorumque opinionem de ablato furtim a Discipulis corpore Dominico, Christum pro mendace ac impostore consequenter habuit, indignum cultu amicitiaque Populi Romani. Profecto, Tertullianus insanum stultumque Pilatum facit, ut Christianum faciat. Cum, Autor Epistolæ quam ad Tiberium memorat, sibimet honori non fuisset: quis enim, nisi mente captus, sic ad Cæsarem scriberet; Domine, Christum virum frugi, mansuetum, virtutibusque innumeris quam miraculis longe clariorem, incredibili Judæorum audacia atque importunitate, invitus in crucem agere coactus sum. Ad placandos vero Defuncti manes, delendamque immerenti oblatam contumeliam, jube, Domine, ut referatur in Deos. An-non hujusce tenoris Epistola, Pilatus impietatem, ignaviam, injustitiam suam propalam exposuisset? Artium aulicarum imperitum me fateor atque profiteor: crediderim tamen Pilatum sese magnificentissime apud Tiberium de Christi supplicio jactasse, Cæsaris gratiæ sibi conciliandæ, ob repressum Jesum Nazaræum tumultuantem, ac in Imperatoris jura involantem.

Ex his ferendum est judicium de Epistolis Pilati quæ circumferuntur, an genuinæ sint, nec-ne? Baronius unam ex Hegesippo suppeditat, quam adeant Lectores, si lubet, An. 34. n. 28. Aliam memorat Sixtus Senensis: *Eusebius*, inquit, *in secundo Historiæ Ecclesiasticæ tradit Pilatum post resurrectionem Domini scripsisse ad Tiberium Imperatorem quæ de Resurrectione Christi, deque ejus miraculis atque ejus* Divinita-

Divinitatis opinione, felix fama per omnem Syriam divulgabat: cujus exemplum ab Eusebio prætermissum, & a nobis in vetustis Bibliotheca Vaticana monumentis repertum hoc est. Legatur in Autore. Scopus vero Epistolæ hic est. *Hac autem ideo scripsi, ne quis nugis ac mendacio Judæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat.* Id Pilatus curabat scilicet. Porro, Epistola Sixti Senensis, verbis quibusdam a Baroniana discrepat, re vero simillimæ sunt, ac falsi postulantur ex Titulo: *Pontius Pilatus Claudio Tiberio Neroni Imper. S.* Ex Claudiana quidem stirpe Tiberius Cæsar genus traxit, & quidem utrumque; paternum a Tiberio Nerone; maternum ab Appio Pulchro. Sed nullum ex Historia suppeditari exemplum poteit, Tiberio jam Imperatori nomen *Claudii Tiberii* fuisse additum, nedum a Pilato. Tacitus Annal. l. 1. *Tiberium Neronem, & Claudium Drusum privignos Imperatoriis nominibus auxit* Augustus. Infanti Tiberio, *Tiberii Claudii Neronis*, non secus ac ejus parenti, inditum nomen fuisse tenemus ex Dione, non vero *Claudii Tiberii.* Quod majus est, Epistolæ adversa fronte cum Scriptura pugnant. Baroniana verba sunt: *Milites cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerant; nam & illum resurrexisse testati sunt se vidisse, & se a Judæis pecuniam accepisse.* In Sixtiana vero hæc leguntur: *acceperunt hi quidem pecunias: nihilominus tamen publice ubique professi sunt, atque testantur se visiones Angelorum vidisse, ac Jesum illum a mortuis vere resurrexisse.* Miram probitatem militum atque ingenuitatem, qui crimen suumaperte fatebantur. Quidni ergo meritis pœnis afficiebantur a Pilato, cui tanta cura fuit famæ Dominicæ ac veritatis promulgandæ? Sed fictum esse de Resurrectione Christi militum Testimonium laudatum ab Epistolis, palam ostendit Matthæus c. 28. *Milites, accepta pecunia, fecerunt sicut edocti erant, & divulgatum fuit istud apud Judæos usque hodie.* Nempe Discipulos venisse, & Christum furatos fuisse, dormiente Custodia: dici debuit, docentibus Præfectis Judæorum, quod & palam ac publice disseminatum est a militibus.

Commentaria publica, eaque potissimum quibus res sub Pilato gesta continebantur, implorat Eruditissimus Huetus, cui consentit & Clarissimus Guillelmus Cavius, Magnæ Britanniæ Regis Sacellanus, Qui Anglice librum edidit de Apostolicorum Virorum Vita, Actis, morte, martyrio. Fontes adire non potui, sed deductis rivulis

labra

labra prolui ope Clariss. Virorum qui sua Bibliotheca Universali illuxere Literato Orbi. *On cite aussi d'autres pieces que plusieurs Savans ont accusées de supposition, comme les Actes de Pilate, dont Tertullien a tiré ce qu'il dit dans son Apologetique, touchant je ne sai quel dessein de ranger J. Christ parmi les Dieux Romains.* Traditionem hanc se a Pilati Actis hausisse, nullus, ni errat memoria, dixit Tertullianus. Quæ ad Pilati munus pertinebant conscripta fuisse, maximeque tristem Damnatorum sententiam, facilis largior. Pontius Diaconus in Sancti Cypriani Vita. *Legit itaque de Tabula sententiam Judex*, quæ hæc complectebatur, ut ex Actibus passionis Cyprianicæ declaratur, *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Ascribebantur nomina Consulum, Præsidisque, certæ rei faciendæ, ut verosimile est. Pilatum vero aut scripsisse, aut scribenda curasse Acta quibus & miraculorum, & Divinitatis Christi mentio insereretur, nullis ducimur argumentis ad consentiendum, rationibusque compluribus demonstratum est Pilatum deChristo defuncto non bene existimasse, cum Religione militum & Sacerdotum testatum corporis Dominici furtum non potuerit non imbibere; ac consequenter, Christum mendacii ac imposturæ damnasse, qui morte perpetua, solemne promissæ Resurrectionis munus non confecerat. Miraculis autem Christi jactatis, benignas non præbuisse aures, testatur non modo opinio quam ex militum, Sacerdotumque testimonio imbiberat, sed etiam status Dominicus ante Herodem, miraculi videndi maxime cupidum, cujus tamen desiderium Christus non impleverat. Annon Pilato, non secus ac Herodi, de impotentia Christi & imbecillitate cogitatio injici debuit, quod nullo egregio facinore Regis gratiam injerat, qua, veluti præsidio salutis cingeretur?

Bibliotb. Universf.t.5.A. 87.p.7.

Acta non Pilati, sed sub Pilato, memorat, Justinus Apol. 2. *Τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἀκτῶν. Actorum quæ facta sunt cum Pontius Pilatus erat Judææ Procurator.* Sed pio, ut ajunt, errore, non secus ac Sybillæ libros, Acta illa subdita fuisse, mihi non est in dubio. His, ut videtur, innitebantur Tessarescaidecatitæ probando suo dogmati. *Ἀπὸ τῶν ἀκτῶν δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦσιν τὴν ἀκρίβειαν εὑρηκέναι, ἐν οἷς ἐμφέρεται, τῇ πρὸ ὀκτὼ Καλανδῶν Ἀπριλίων τὸν Σωτῆρα πεπονθέναι, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ βουλόντας ἄγειν τὸ πάσχα. Nam ex Actis Pilati accuratam hujus Instituti rationem didicisse gloriantur*;

in

in quibus scriptum est, 8. *Kal. Aprilis Salvatorem esse passum*; *quamobrem illa ipsa die celebrare Pascha volunt*. Epiph. Hær. 50. Acta illa Commentariaque publica, Constantino Imperante, in lucem edita fuissent ab Episcopis, ut ex iis monumenta certa Historiæ Christianæ excitarentur; magno & Religionis emolumento, & Superstitionis Ethnicæ detrimento? Sed & mirum est, Acta illa publica Veteres non consuluisse de Anno Passionis Dominicæ inveniendo, aliisque bene multis quæ ad res Christianas pertinebant illustrandis, aut refellendis Actis illi subditis Pilati, quæ jussu Maximini ubique Terrarum divulgata sunt. Notatu digna sunt Casauboni in Casaubonum verba: *Certe Eusebius cum Historiam suam scribebat, neque Epistolam neque Facta Pilati viderat, neque aliud ea de re norat, nisi quod apud Justinum legerat; & e Tertulliano vel per se vel per Interpretem cognoverat. Nam alioqui tantæ Vir diligentiæ, & curiositatis, ipsam Epistolam, vel Acta, in suos Commentarios fuisset, dubio procul, relaturus*. Quibus publica illa Acta, nec non Pilati Epistola configuntur, Inventumque Clarissimi Viri coarguitur: *Ex Justini, Tertullianique verbis colligere non possumus, vel Epistolam Pilati, vel Acta fuisse evulgata, sic ut in manibus hominum versarentur. Putem verius notitiam hujus rei pervenisse ad Christianos, per aliquem e Cæsarum Ministris, qui ad Christum conversus, quæ ipse, scrinia tractans Augustorum comperisset, Fidelibus narravit*. Quidni, Rerum Domino Constantino, qui Eusebium, tantæ Virum diligentiæ, sua Benevolentia complectebatur, *scrinia illa* rimari nobilis ille Historicus meruit? Casaub. Exerc. 16. n. 121.

Non flagitatam a Tiberio fuisse Christi Apotheosin, peculiaribus nunc argumentis est astruendum. Judæorum Religionem, perinde atque Judæos, Tiberio materiam alendo contemptui præbuisse, constat ex Annalium Romanorum Conditoribus. *Profana illic omnia quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos quæ nobis incesta: separati epulis, discreti cubilibus: projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent: inter se nil illicitum*. Tacit. Hist. l. 5. Accedat & Dio: Ἐς τὰ ἄλλα τὰ περὶ τὴν δίαιταν πάνθ᾽ ὡς εἰπεῖν καὶ μάλισθ᾽ ὅτι τῶν μὲν ἄλλων θεῶν οὐδένα τιμῶσιν. *Diversum a reliquis hominibus obtinent, cum aliis in rebus usuque vitæ quotidiano, tum eo præsertim quod nullum ex cæteris Diis colunt*. l. 36. Romanis itaque Judæus homo felix in consecrationem materia non fuit. Quibus & accedit animam Tiberii ad Judæos inclinatam non fuisse, hac occasione. Erat quidam Judæus qui ne Legibus pœnas

 daret,

daret, solum metu verterat. Persuasit ille Fulviæ, mulieri nobili, quæ Mosis legem amplexa fuerat, ut aurum purpuramque in Templum Hierosolymitanum mitteret. Quæ accepta munera ab illo Judæo, tribusque ejusdem farinæ hominibus quos sibi adjunxerat, in suos usus conversa sunt. Καὶ ὁ Τιβέριος, ἀποσημαίνει γὰρ πρὸς αὐτὸν φίλος ὢν Σατουρνῖνος τῆς Φουλβίας ἀνὴρ, ἐπισκέψει τῆς γυναικὸς, κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαϊκὸν τῆς Ῥώμης ἀπελαθῆναι. *Id postquam Tiberius ex amico suo Saturnino, ipsius Fulviæ marito, de injuria conjugi illata questo, cognovit, jussit universos Judæos ex Urbe pelli.* Quæ circa eadem Tempora contigere quibus a Pilato Jesus in crucem actus est. Sic male in Judæos animato Cæsare, an verosimile Tiberium delegisse hominem & Judæum, & Galilæum, & Crucifixum, & perduellionis postulatum, ut pro Numine palam ab omnibus colendo consecraretur?

Joseph. Ant. l. 18. c. 5.

Præterea, Constat ex Historiæ monumentis, Tiberium omni se Religione exolvisse: quod memoriæ proditum est a Suetonio c. 69. *Circa Deos ac Religiones negligentior, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus cuncta Fato agi.* Argumentum solvere conatus est Clarissimus Cestriensis Episcopus. *Sed nimis hoc dilutum est, cum referat Suetonius sub Tiberio, neque tam parvum quidquam, neque tam magnum, publici privatique negotii fuisse, de quo non ad P. C. referretur.* Lect. 4. in Acta, p. 64. Sed vim argumenti non attendisse videtur Vir Eruditissimus. Non agitur de relatione Tiberiana ad Senatum, penes quem jus fuit Consecrationis & Apotheosis: hoc volumus, quodque subindicatum fuerat ab Erudito Tanaquillo Fabro; Tiberium circa Deos negligentiorem alia omnia curasse quam Christi Apotheosin; qua cura, dubio procul, magnum Religionis Deorumque amorem declarasset, qui cum opinione Fati omnia agentis non una consentit, imo quam maxime pugnat.

Denique, hæc concordia conjungi posse non videntur, quod flagitantis Tiberii Christi Consecrationem, Senatus votis non annuerit. Impetravit si petiit, nec petiit si non impetravit. Curia ad adulationem Principisque nutum tota tunc composita, ut Togonius Gallus Principem oraret deligere Senatores, ex queis viginti sorte ducti, & ferro accincti quoties Curiam inisset salutem ejus defenderent. Quanta observantia Tiberius a Senatu coleretur memorat

morat Dio lib. 58. *Tiberio quoque decreta multa: ut Patris Patriæ nomen ferre inciperet: ut Natalis ejus dies, decem equorum certamine, & epulo Senatui dato honoraretur.* An Senatus tam mollis servilisque ingenii, Tiberiana de Christo Consecrando vota non capessisset? At quædam, inquit ex Suetonio Vir. Doctissimus, *adversus sententiam suam decerni ne questus est Tiberius.* Atqui non simplicem sententiam indicat Tertullianus, sed rem quam in optatis habebat Tiberius: qua de causa *in sententia mansit, comminatus periculum Accusatoribus Christianorum.* Itaque, sive metu vindictæ, in quam effusiorem Tiberii noverant animum; sive adulatione, qua contigebat ut sæpius ad nutum arbitriumque Principis sese fingerent, accommodarentque Patres Conscripti, Tiberiano desiderio indulsissent, ne morte vel exilio dedissent offenso pertinaciæ pœnas. Nec ulla probabili ratione Senatus votis Tiberianis poterat intercedere. An quia *Divinitatem Tiberius sibi oblatam rejecerat, tutissimum putavit Senatus alium neminem in Deos suos referre, ne eum Tiberio majorem efficere viderentur.* At timere non potuit de læsa Majestate Tiberii quasi rivalis Dei impatiente: securi sunt dignitatis defunctorum Imperatores; nec honores Cælitibus exhibiti unquam Cæsarum solicitaverunt ambitionem. Saltem, vel invito Senatu, Christus privatis domesticisque honoribus a Tiberio coli debuit, cum *in sua sententia manserit:*

Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Secreta domus Tiberianæ rimati sunt plurimi nec ignobiles Historici. Hinc scientia scelerum, libidinumque quibus indomitis exarserat Tiberius, ut, more Regio, pubem ingenuam stupris pollueret. Imaginum, Ararumque Christo positarum non apparent vestigia in domesticà Tiberii suppellectile.

Hactenus ex intellectu quem secundum Eusebium, communis & pervulgata opinio Tertulliani verbis affixit, disseruimus. Eusebius Hist. l. 2. c. 2. Τὰ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας ἤδη καθ᾽ ὅλης τῆς Παλαιστίνης βεβοημένα, Πιλάτος Τιβερίῳ βασιλεῖ κοινοῦται: *Pilatus de Resurrectione Servatoris nostri J. Christi, cujus per universam Palæstinam celebris erat fama, ad Tiberium retulit.* Quæ de Actis, vel Epistolis necessario debent intelligi. An vero hæc indicentur a Septimio mihi ponitur in dubio. *Utrum ad Acta, an ad Epistolam Pilati respexerit Tertullianus, non facile dixerim,* inquit, Erud. Casaubonus Exer. 16.

Epiſtolam imaginati ſunt illi qui Pilato Epiſtolas ſubdidere. Atqui nihil eſt in Tertulliano quod Epiſtolam, Actave certe certove deſignet. Hæc eſt Septimiana phraſis, Apolog. c. 21. *Ea omnia ſuper Christo Pilatus & ipſe, jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Tiberio nunciavit.* Epiſtolam alicui ſcribere, & aliquid nunciare inter ſe differunt. Accurate loquendo, ea nunciantur quæ voce referuntur: de fama, cui quot ſunt corpore plumæ, tot linguæ, totidem ora ſonant: Summus Poeta.

Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.

Terentius Hecyr. *At iſtos invidos Dii perdant, qui hæc libenter nunciant.* Plautus: *ſalutem tibi ab Sodali ſolidam nuntio.* Cicero: *miſit ad me ſtatim qui ſalutem nunciaret.* Et Nuntius ille eſt qui mandata mittentis verbis exequitur. Virgil.

Nuntius hæc Idmon phrygio mea dicta Tyranno,
Haud placitura refer.

Phraſis ergo Tertulliani proprie ſonat, Pilatum Tiberio narraſſe Chriſti miracula: non dixit, *Cæſari Tiberio ſcripſit*; dixit, Tiberio *nunciavit*, quam phraſim cur alteri anteponeret, ſi ſcriptam Epiſtolam cogitabat, nullus video. Si germanam verborum ſignificationem retinuerimus, quæ æqua atque honeſta poſtulatio eſt, hinc graviſſimum ducitur argumentum in Tertullianicam Traditionem, cum Tiberius ante fato conceſſerit quam Pilatus Romam rediret.

Joſeph. Ant. l. 18. c. 15. Καὶ Πιλάτος δέκα ἔτεσιν διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίας, εἰς Ῥώμην ἠπείγετο, ταῖς Οὐιτελλίου πειθόμενος ἐντολαῖς οὐκ ὂν ἀντειπεῖν, πρὶν δ' ἢ τῇ Ῥώμῃ προσσχεῖν αὐτὸν, φθάνει Τιβέριος μεταστάς. *Et Pilatus decem annis exactis in ſua Provincia, cum neceſſe haberet parere Vitellio, ad Urbem iter ſuſcepit, quo priusquam perveniret vita exceſſit Tiberius.*

Verbum amplius addam de Actis Pilato a Maximino ſubditis, quæ ab illis quibus innitebantur Teſſareſcaidecatitæ multum diſcrepabant. *Cum Acta quadam apud Pilatum ſuper Servatore noſtro habita compoſuiſſent, plena impietatis adverſus Chriſtum, ea per omnes Provincias Imperii Maximini, ipſo jubente, diriguntur*, inquit Euſebius l. 9. c. 5. De Maximinianis Actis hæc Clariſſimus Pearſ. Lect. 3. in Act. n. 4. *Quorum falſitatem ex conſulatu Tiberii detexit Euſebius l. 1. c. 9. Sed non vi argumenti quod ipſe protulit. His tamen Romani utebantur ſub Diocletiano, & Maximino, ad Chriſtianos a martyrio revocandos: ut teſtantur verba Maximini in paſſione SS. Tarachi, Probi, & Andronici.*

Qui-

Quibus rationibus Eruditissimo Præsuli vim Eusebiani argumenti deterere libuit, me non capere aperte ingenueque fateor. *Ipsa temporis ratio*, inquit Eusebius, *Actis prænotata, Autores mendacii coarguit. Quippe consulatu Tiberii Augusti quarto, qui incidit in septimum ejus Imperii annum, ea qua isti in salutari Domini nostri passione ausi sunt confingere gesta dicuntur; quo quidem tempore nondum in Judæam advenisse Pilatum, satis constat si testimonio Josephi fides adhibenda.* Quid, nihil-ne virium inest Eusebianæ argumentationi? Quanam graviori ratione figmentum Maximini refelli potuit? Auditum est ex Josepho Pilatum, *decem annis exactis* in Judæa, Romam rediisse, quo priusquam perveniret ad plures Tiberius abierat. Itaque tam falsum quam quod falsissimum ulla in Judæa Acta esse a Pilato condita, Tiberio quartum Consule: cum decennium Pilatianæ Præfecturæ, Anno Imperii Tiberiani septimo, quo quartum gessit consulatum, illigari non queat, nisi contra historiam finxerimus, aut ad ultimum Tiberii usque Annum Pilati præfecturam non fuisse prorogatam, aut annos amplius sexdecim perdurasse. Numquid argumentum gravissimum est, ac in eo genere firmissimum? Euseb. lib. 1. c. 9.

Acta Pilati Maximiniana ab Actis Præsidialibus Sanctorum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici laudari scimus & tenemus. Quorum sinceritatem præstavit Baronius in Martyrol. Oct. 11. *Nos habemus eorumdem Acta pura ac sincera, ut excepta sint a Notariis Actuariis. Est illorum exordium, cognoscente Maximo Præside, in Tarso Ciliciæ, Coss. Diocletiano quartum, & Maximiano tertium, octavo Kal. Aprilis.* Quo Titulo Valesius concludebat Acta illa ante Maximini persecutionem fuisse confecta. Ex *Actis*, inquit, *Præsidialibus Sanctorum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici colligi potest, Acta illa jam antea ficta ac divulgata fuisse: sic enim legitur in Actis illorum Martyrum, c. 9. Præses dixit, inique, non scis quem invocas Christum, hominem quidem fuisse, factum sub custodia Pontii Pilati, & punitum, cujus extant Acta passionis. Inducti sunt autem in judicium supra dicti Martyres Diocletiano 4um. & Maximiano 3. Coss. Ex quo sequitur Acta Pilati jam ante persecutionem Maximini concinnata fuisse. Verum Maximinus, cum paucis adhuc nota essent, ea latius publicavit.* Sed ortam sinistris avibus conjecturam Parens ejus extinxit, Annot. lib. 9. p. 165. *Verum ut libere dicam quod sentio, mendosa mihi videtur inscriptio il-* Vales. Annot. in Euseb. p. 15.

lorum Actuum. Quæ pro Actis puris & sinceris Baronius, & secundum Baronium alii habuere complures, Acta impura & subdita sunt existimanda: Indicioque est ille Titulus: *Coss. Diocletiano* 4^um^. *& Maximiano tertium*, cum fatalis illa Diocletiani persecutio, anno quo Diocletianus 8. & Maximianus 7. Consules processerunt, cœperit, nec dubium faciunt animum alicujus illa Lactantii, De mortibus Persecutorum, c. 12. *Inquiritur peragenda rei dies aptus & felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad 7. Kal. Martias, ut quasi terminus imponeretur huic Religioni.*

Ille dies primus leti, primusque malorum
Causa fuit

Quæ & ipsis & Orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus consulatum Senibus ambobus octavum & septimum, repente, adhuc dubia luce, ad Ecclesiam Præfectus cum Ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit. Quæ cum ignorarentur ab Autore Actorum Præsidialium Tarachi, Probi, & Andronici, illis præfixit Titulum: *Coss. Diocletiano quartum, & Maximiano tertium.*

EXERCITATIO SECUNDA.

ANNO XXXVI. NUM. I.

Tiberii An. 20. *De Anno Paulinæ conversionis. Obscura Quæstio: nec certis argumentis definienda. Martyrologii Rom. sententia Baronio arridens a Thoma, Mimatensi, aliisque Romanæ Scholæ Theologis rejecta. Annus defuncti Stephani & Baptizati Pauli unus & idem. Anno Ascensionis Dominicæ nec hic sacris undis expiatus, nec ille ad mortem missus. Error Baronianus de Oecumenio. Martyrologium Rom. sibi constare non videtur de tempore mortis Stephani & Paulini Baptismi. Dies Stephani emortualis 26°. Decembris non est illigandus. An Septennium a morte Christi ad Stephani Martyrium intercesserit? Clariss. Virorum Capelli, Valesii, Spanhemii sententia refellitur,*

multis

multis ex Historia, cum Sacra tum Prophana, ductis argumentis. Ingens Valesii contradictio. Opinio Lightfootiana de Anno Pauli conversi, rejicitur. Ejus contradictio. Petavianæ sententiæ de Anno Baptizati Pauli fundamentum convellitur ex Josepho, & Sulpitio Severo. Verosimilior opinio de Stephani morte Paulique conversione, An. Dom. 37. quæ Scripturæ Historiæque phænomenis satis apte cohæret.

PErdifficilis & obscura Quæstio est, de Anno Paulinæ conversionis, qua eximius ille Apostolus in Fidelium cœtum ascriptus est. Tanta hic Doctissimorum pugna committitur, ut mentis natura pene fatiscat, oppressa multitudine litium. Nec nobis Oedippus expectandus est resolvendis ambagibus, cum nos Scriptura deficiat, Patrumque sententiæ non una conspirent. Ægre materiam tractamus cui laborem ad incertam Chronologiam impendimus. Interpositæ tamen operæ aliquid erit præmii, in refellendis nonnullis præjudiciis, quibus, veluti objecta nube, lux obscuratur Historiæ.

Legitur apud Romanum Martyrologium, *Conversio Sancti Pauli Apostoli, quæ fuit secundo ab Ascensione Domini Anno. Janu.* 24. Cujus autoritati suam Baronius illigavit sententiam. *Hæc autem facta esse hoc ipso anno, nempe secundo ab Ascensione Domini, Romana Ecclesia profitetur.* Tanta vero non fuit Autoritas Martyrologii Romani, ut Viris inter Latinos Theologos insignibus, suam opinionem instillaret. Durand. Ration. l. 7. *Conversio Sancti Pauli Apostoli facta est eodem anno quo Christus passus est, & Stephanus lapidatus: Anno quidem non naturali, sed emergenti. Nam Christus passus est* 8. *Kal. Apr. Stephanus eodem Anno*, 3. *Die Augusti lapidatus est; Paulus vero Octavo Kalen. Febr. conversus est.* Cui & Chronologiæ sese addixit Princeps Scholæ Rom. Thomas Aquinas, aliique complures, ut ex illorum sententia dicere non prohiberemur autoritate Martyrologii. Sed vere ut dicamus, Thomæ, Durandique de Anno Paulinæ conversionis opinio, ad quam Centuriatores accessere, stabili firmoque fundamento constituta non videtur.

Aptissime quidem atque præclare inter se cohærent mors Stephani

phani Paulique conversio, quæ eodem anno sunt illigandæ ex Lucæ autoritate, quæ apud Christianos plurimum valere debet. *Saul autem adhuc spirans minas ac cædem adversus Discipulos Domini adiit Pontificem Maximum.* Tam acri violentia Saulus persequebatur Ecclesiam *iens domatim, & tractos viros ac mulieres tradens in custodiam,* ut in longum durare non potuerit Hierosolymis; subito, quippe, omnes dispersi sunt, præter Apostolos: quocirca, deficiente ibi felici in persecutionem materia, Saulus Damascum petiit. Sed hinc capienda est conjectura, Paulum non eo ipso anno quo Christus petiit cœlum, in numerum Fidelium ascriptum fuisse. Constricta nec latius fusa oratione, multos annos complecti Lucæ mos est. Exemplo sit caput nonum Act. quod sex versibus trium annorum spatia prosecutus est; a Baptismo Pauli scilicet, ad iter quod ipsi fuit Hierosolymam. Non igitur parte temporis tam exigua, ac sunt quatuor quinqueve menses, ea complebuntur, quæ Lucas, a die Pentecostes quo Apostolos illapsus est Spiritus Sanctus, ad Martyrium Stephani, breviter summatimque descripsit. Perdurante & ministerio Stephani, ea contigere quæ constricto sermone Lucas prosecutus est, Act. 6. *Itaque sermo Dei crescebat, & valde multiplicabatur numerus Discipulorum Hierosolymis: multaque turba Sacerdotum auscultabat fidei: Stephanus vero plenus fide ac potentia, edebat signa & prodigia magna in populo.* Quis trimestri spatio tam magnum felixque incrementum peractum fuisse fingere animo potest? An divinum Stephani ministerium, quod Ecclesiæ ædificandæ maximo usui fuit, exiguis hisce finibus circumscribi potuit? Non concessit Christi summa Sapientia tam subito extingui Stephanum ac illi imaginantur, aut de illo cani:

Act. c. 9.

Ostendent terris hunc tantum Fata, neque ultro
Esse sinent.

Iis quibus Anno ab Ascensione Christi secundo Martyrium Stephani conjungi placuit, Oecumenium Baronius inseruit. *Huic*, inquit, *sententiæ de Conversione Pauli, facta Anno 2. adstipulatur Oecumenius.* Quæ Doctissimi Cardinalis magna est incuria. Hæc Occumenius in Acta, p. 188. Μετὰ γὰρ τὴν τοῦ Κυρίου ἀνάληψιν, μεθ' ἡμέρας τινὰς ὀλίγας προχειρίζονται οἱ Ἀπόστολοι εἰς διακονίαν Στέφανον, καὶ τοὺς ἀμφὶ αὐτόν... Ἔπειτα τὸν Στέφανον διὰ θεὸν ἀναιρούμενον λιθαζόμενον, καὶ τὸν Παυ-

Παῦλον συνευδοκήσαντα τῷ φόνῳ ὃς μικρὸν ὕστερον εἰς Δαμασκὸν ὁρμᾷ, ὡς τοὺς ἐκεῖσε ὄντας ἁγίους. *Siquidem a Christi Assumptione, post paucos aliquot dies, creant Apostoli Stephanum... Deinde statim reperimus Stephanum lapidibus obrutum, & Paulum cædi consentientem, qui postmodum proficiscitur Damascum, tanquam Sanctos qui ibidem degebant interempturus.* Κατὰ μέσην δὲ τὴν ὁδὸν ἡ κλῆσις αὐτῷ γίνεται παρὰ θεοῦ ὡς μικροῦ προσαναλωθῆναι τὸ ἔτος. *Medio autem itinere vocatio ejus a Deo facta est, ut vix fuerit annus ille expletus.*

Quo anno Stephanus ad mortem missus sit, in sententiis ponitur. *Hierosolymis Natalis Sancti Stephani*, verba sunt Martyrologii Rom. *Protomartyris, qui a Judæis non longe post Ascensionem Domini lapidatus est.* Tempus apertius declaratur ab Excerptis Chronologicis Thes. Temp. p. 82. *Paulus autem Apostolus post Ascensionem Domini, & post passionem Stephani ..... in Apostolatum ordinatur 6. Idus Januarias, in Consulatu Rubellionis, post Ascensionis Salvatoris nostri menses 8. post dies 11. passionis Stephani, pridie Epiphaniæ.* Sed pace Baronii, Martyrologium Romanum sibi non constat. Si enim Protomartyr non longe post Ascensionem Domini lapidatus est, conversio Pauli in secundum ab Ascensione annum prorogari non debuit. Fumabant adhuc sanguine Stephani Paulinæ manus cum adiit Pontificem maximum de Epistolis petendis in Christianos vexandos. Quod & innuunt illa Lucæ, *Saul adhuc spirans minas, & cædem*, & testificantur cum Oecumenius, tum Excerpta Chronologica, aliique bene multi, ut tantum moræ non fuerit Stephani martyrium inter Paulique conversionem, quantum a Martyrologio interponitur.

Sinistra diligentia ab eodem Martyrologio dies emortualis Stephani sexto & vigesimo Decembris illigatur. Nec ignoramus hanc Chronologiam Antiquorum quorumdam præsidio cingi. Fulgentius Serm. de Sancto Stephano: *Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri Natalem, hodie celebramus militis passionem.* Similiter Nyssenus Serm. de Sancto Stephano. *Heri Dominus Universi nos pavit, hodie Domini imitator... ille hominem pro nobis induens, hic pro illo hominem exuens.* Sed ea sententia conspirare cum Scriptura non videtur. Mitto germanum Christi Natalem non posse in solstitium hibernale referri; at solemnitatis Judaicæ Temporibus, ultimum

diem obiisse Stephanum Lucas indicare videtur. Conjecturam hanc eo facio, quod ex persecutione orta ob Stephanum, dispersis *Cyprii & Cyrenenses* inseruntur, quos agitando festo Hierosolymam venisse veri speciem induit. Sane, Festorum tempora satis apta videntur ad animos amore Religionis commovendos: & plurimæ Victimæ festivitatibus Judaicis nefaria manu cecidere. Christus Sacro Paschatis immolatus: Petrus in vincula compingitur: Jacobo circa eandem solemnitatem cervix gladio percutitur. Celebrabantur quidem Encænia mense *Casleu*, respondente Novembri & Decembri. Hieme vero media Affrica venisse Cyrenenses ad celebranda Encænia, quibus Lege Divina non detinebantur, mihi non fit verosimile. Nec, vel concesso Cyrenenses Hierosolymam de celebrandis Encæniis se contulisse, recte conclusum videretur Stephanum ad plures abiisse illo ipso die quo Natales ejus celebrantur a Latinis, quorum Traditio non omnes opplevit Ecclesias. Epiphanius qui *sextum Januarii* diem ascribit ortui Dominico; Excerpta Chronologica quæ affigunt Pauli ordinationem Apostolicam sexto Idus Januarii, post undecim dies passionis Stephani, a disciplina Latinorum de Natalitiis Protomartyris diffident. A Januarii octavo, retro numeratis undecim diebus, ad vigesimum octavum superioris Decembris progredimur. Sed de die Natali suo loco fusius.

Eruditus Jacobus Capellus Pauli vocationem inter Martyriumque Stephani, sex mensium intervallum interpositum fuisse existimat: qua de re mihi non est litigandi animus cum percelebri Viro. De anno autem quem assignat Martyrio Stephani, mea variat dissidetque sententia. *A Passione, Resurrectione, & Ascensione Christi in Cœlos, usque ad lapidationem Stephani, anni septem intercessere: a Stephani deinde Martyrio usque dum Paulum lux circumfudit, menses sex; inquit ex Evodio Nicephorus l. 2. c. 13. quod nobis probabilius videtur, quam quod Eusebius unicum annum huic intervallo tribuit.* Cent. 1. Capello Judice annus erat Caligulæ tertius cum Saulus convertitur, postea in Arabia triennium commoratus, Damascum reversus ac inde fugere coactus, anno Claudii 2. venit Hierosolyma. Quæ cum Scripturæ Phænomenis una conspirare mihi non videntur. Relicto Petro Hierosolymis, Paulus se in regiones Ciliciæ contulit. Ibi

Ibi quæſitum & inventum Saulum, Barnabas adduxit Antiochiam, ubi annum integrum docuit. Deinde a Chriſtianis miſſus eſt Hieroſolymam, ferendo Eleemoſynarum auxilio, ad Fratres arcta fame laborantes ſublevandos. Legationem hanc Paulinam Anno Claudii tertio adjungit Capelliana Chronologia, quæ procul a vero eſt ſi Anno Chriſti 39. Paulus converſus eſt, cum anni quinque fluxerint antequam obiret Legationem Hieroſolymitanam. Deinde, citius Paulum petiiſſe Hieroſolymam perferendis Antiochenſium Eleemoſynis, eo conſtat, quod Anno Claudii ſecundo totum orbem invaſit rabida illa fames quam Agabus prædixerat. Teſtis Dio omni exceptione major. Λιμοῦ τε ἰσχυροῦ γενομένου, οὐ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα πρόνοιαν ἐποιήσατο. *Fame ingenti exorta, non modo ad præſens tempus copiæ alimentorum, verum in perpetuum proſpexit.* Hic annus Claudium iterum, & C. Largum Coſſ. habuit. Famem in multos annos duraſſe non ignoramus, ſed Anno Claudii maxime ſævüſſe argumento eſt, quod Annales Dionis ſequentes annos, licet & fame pallidos, ſilentio præteriere, quia dirus ille hoſtis præcipue vires ſuas hunc in annum effuderat. Unde non immerito colligitur, hoc ipſo anno Antiochenſes Hieroſolymitanis Eleemoſynarum auxilia præbuiſſe. Novo, nec vano argumento Capelli Chronologia premitur. *Poſt annos* 14. *aſcendit Paulus Hieroſolyma.* Gal. 2. Quatuordecimus ille annus, qui, ut probabitur, a Paulina converſione eſt numerandus, vel antecedit Hieroſolymitanam Synodum, vel comitatur. Hanc porro Synodum, quam Capellus in Annum Claudii duodecimum conferre, videtur, non hoc Anno, ſed citius fuiſſe celebratam, indicio eſt, quod diu poſt diſſolutum Concilium, Paulus agens Corinthi reperit Judæos aliquot, quos inter Priſcilla & Aquila nuper ex Italia venientes, Edicto Claudiano Roma pulſos; quod Anno decimo factum, ſi Capello fides: quæ a vinculis contradictionis liberare difficillimum.

Capelli ſententiæ propius acceſſere Viri principes, & Antiquitatis peritiſſimi Henricus Valeſius, & Fredericus Spanhemius. Ille Annot. in Euſeb. l. 2. c. 1. *Paulum vero Anno converſionis ſuæ tertio, paulo ante obitum Herodis Agrippæ, ex Lucæ Hiſtoria optime concludebant.* Hic, Diſſert. Hiſt. p. 205. *paſſum Stephanum ſub Cajo, non ſub Tiberio... certiore fortaſſe*

calculo in Anno conversionis Pauli, quem non anteriorem esse Caji ultimo, audacter pronuntiamus. Quæ Virorum Præstantissimorum sententia iisdem rationibus ac illa Capelli refellitur. Sic fames ab Agabo ante denuntiata quam Romanum orbem incesserit, Anno sexto Claudii dominata fuisset, non secundo, cui videtur illiganda; alioquin Provinciæ sua annonæ copia Urbi laboranti auxilium faciles suppeditassent. Sed, nec Clarissimorum Virorum Chronologia Epochæ Concilii Hierosolymitani consentire videtur. Concedamus Anno Pauli conversi 14. agitatum fuisse conventum Synodalem, ad quem se cum Barnaba contulerit: Galat. 2. incidit ergo Concilium Apostolicum Anno Claudii decimo tertio. Proindeque vix sesquiannus interpositus fuit cum Paulus Corinthum venit; quod mihi non est verosimile. An Syriam, Ciliciam, Pisidiam, Lycaoniam, Galatiam, Phrygiam, Mysiam, Macedoniam, Atticam, novas Ecclesias ubique fundando, fundatasque confirmando, tam brevi temporis spatio peragrasset? Porro, cum in oppidum Corinthum accessit, Claudium nondum ultimum obiisse diem indicatur a Luca, siquidem nuper venerat ex Italia Aquila cum uxore, Edicente Claudio ut omnes Judæis Roma excederent, cui ferendo decreto, Judæorum cum Samaritanis lites causam forsan præbuere. Decreto promulgato statim obedientem fuisse non est ponendum in dubio. Concesso Synodum Hierosolymitanam Anno Claudii 13. fuisse celebratam, fidem non habet quod Paulo Corinthum veniente Claudius adhuc luce frueretur.

Insuper, hac ex Chronologia *ductus est ad Felicem Paulus Neronis circiter Anno quinto labente*, nec diffitetur Magnus ille Fridericus Spanhemius in Hist. pag. 219. n. 26. Quæ cum Josepho conciliare viribus meis editius est. Primores Judæorum Cæsarem incolentium Romam profecti sunt Felicem accusaturi. Καὶ πάντως ἂν ἐδεδώκει τιμωρίαν τῶν εἰς Ἰουδαίους ἀδικημάτων, μὴ πολλὰ αὐτὸν ὁ Νέρων τῷ ἀδελφῷ Πάλλαντι παρακαλέσαντι συνεχώρησε, μάλιστα δὴ τότε διὰ τιμῆς ἔχων ἐκεῖνον. *Dedissetque omnino pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in precio erat apud Principem.* Si Neronis Imperii quinto, duo adhuc Pauli captivitatis, Præfecto Judææ Felice, addantur anni, vix ante octavum Neronianum, Dom. 61. Cæsonio Pe-

Joseph. Ant. l. 20. c. 7.

to

to & Sabino Coss. Proceres Judæorum accusationes contra Felicem instituere. Hoc autem anno Pallantem Felicis fratrem in gratia Neronis fuisse a specie veri longissime abest, cum anno sequenti, P. Mario & Lasinio Coss. ad mortem missus sit. Tacit. An. l. 14. c. 17. *Eodem anno Libertorum potissimos veneno interfecisse creditum est; Doryphorum, quasi adversatum nuptiis Poppæa; Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret.* Posteaquam Nero infensus iis quibus superbia Agrippinæ innitebatur, demovit Pallantem cura rerum queis a Claudio impositus, velut Arbitrum Regni agebat; rediisse in gratiam cum Nerone nullo vestigio legitur. Abdicatus est autem Pallas Nerone & Antistio Coss. & conjurationis in Principem postulatus, Anno Dom. 56. V. C. 809. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss.

Felicem non suffectum Cumano fuisse nisi post hujus damnationem *quæ incidit in Claudii* 12. docuit Præstantissimus Spanhemius Diss. Hist. n. 27. p. 220. Cui Chronologiæ Josephus Eusebiusque non favent. Joseph. Ant. l. 20. c. 7. Πέμπει δὲ καὶ Κλαύδιον Φήλικα Πάλλαντος ἀδελφὸν, τῶν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν προστησόμενον πραγμάτων. Τῆς δὲ ἀρχῆς δωδέκατον ἔτος ἤδη πεπληρωκὼς δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ. *Procuratorem deinde in Judæam misit Claudium Felicem, fratrem Pallantis. Anno vero Imperii sui duodecimo Agrippam donavit Philippi Tetrarchia.* Quæ non eundem annum indicant, ut Anno undecimo Claudiani Imperii Felix in Judæam missus esse videatur, quæ & sententia Eusebii est, non improbante Scaligero. *Anno undecimo Claudius Felicem Procuratorem Judææ misit.* Clarissimum Valesium quod attinet, in contradictionem delapsum fuisse luce clarius est. *Porcius Festus biennii spatio Judæam administravit, ut ex ejus gestis apparet: huic successit Albinus Anno Neronis quarto.* Annot. p. 36. Jam vero repugnant inter se quod Annus Pauli conversi Tertius, cum Claudii 3. currat, & nihilominus in carcerem Felicis, Anno Neronis primo, deductus sit, cum a Synodo Hierosol. ex hac Chronologia Anno Claudiano 13. illigata, ad captivum Paulum, biennium vix interesset; quod falsissimum esse Scriptura perhibet, nec non ipse Valesius Annot. l. 2. c. 18. p. 33. *Ex his apparet inter Concilium Hierosolymis habitum, & Edictum Claudii multum temporis intercessisse.* Quocirca Illustris Spanhemius ex sua hy-

hypothesi longe sapientius Neronis circiter Anno quinto labente; Paulum ad Felicem ductum esse memorat.

Lightf. in Acta c. 9. Dandum est aliquid loci sententiæ Lightfootianæ. *Apparet extra Controversiam Paulum proximo anno ab Assumptione Christi, in Fidelium cœtum ascriptum esse.* 18°. *Tiberii Christus assumitur*, 19°. *Paulus convertitur.* Hac porro ratione Vir Doctus innititur: *Concilium Hierosolymitanum coactum sub nono Claudii fuit. Paulus vero ipse Annos* 17. *enumerat a conversione sua, ad celebrationem Concilii.* Sed illud, *apparet extra omnem controversiam*, controversiæ est, nec ex Lightfootianis hypothesibus ulla est quæ firma sit. Anno Tiberii 18. Christum assumptum fuisse valde dubium est, ne dicam falsum. Agebat quintum & decimum annum Tiberius cum Legationem suam Joannes obiit apud Judæos: plurimos menses officio suo operam dedit, antequam Christus ad Jordanem accederet: a Baptismo assumptus a Spiritu dictus est Jesus in desertum quo quadragesimale jejunium celebravit, ut vix ante Tiberii decimum sextumj munus suum administrare incœperit. Porro, tres annos & dimidium a Baptismo Christum vixisse probat ipse Lightfootus, qui sibi ipsi non consentit. Circa tempus Paschatis ponit Ministerii Joannis initia. A Baptismo vero Dominico quatuor Paschata numeranda sunt, teste Lightfooto, Hor. Heb. in Joan. c. 5. *Nil Paschatum memorant illi, ultimo excepto, a Baptismo ejus ad mortem; Joannes omnia. Primum, c. 2. v. 13. Tertium, cap. 6. v. 4. Quartum, cap. 13. v. 1. Secundum, hoc in loco, quod tamen Paschatis nomine non nuncupat, sed generalis, Festi: quippe quod verba Christi satis elucidationis esse possent de re ista, c. 4. 35.* Paschati Anno decimo quinto Tiberii celebrato unde sumit initium Joannis Ministerium, si illa quatuor addantur quæ a Christo agitata sunt, in annum Tiberii decimum nonum incidimus, quo Christus assumi debuit, non *decimo octavo*: quibus consequitur necessario Pauli conversioni non 19um. Tiberii, sed *vigesimum* esse ascribendum ex Lightfootianis fundamentis.

Præterea, fallaci ratione inductus Anno Tiberii 19°. Paulum in Christianos relatum fuisse existimat. *Paulus*, inquit, 17. *annos enumerat a conversione sua ad celebrationem Concilii.* Sed & quæstionis est an illa peregrinatio Hierosolymitana cujus mentio agitata est Gal. 2. de frequentanda Synodo suscepta sit, cum & fine & concilio discrepet

ab

ab illa Actorum 15. Prior ex revelatione, posterior ex decreto Antiochenæ Ecclesiæ injuncta est: prior, ut obortæ de Circumcisione lites compescerentur; posterior, ut exponeretur Evangelium, ne in vanum Paulus curreret: In priori, lubens assumpsit Titum; in posteriori, additi comites ex Ecclesiæ mandato. Nutant igitur opinionis Lightfootianæ fundamenta, nec amplius usurpandum, *apparet extra omnem controversiam*, de sententia quæ magnæ seges est & materia controversiæ.

Ultimo loco addendum aliquid est de Celeberrimi Petavii opinione. *Anni illi 35. inquit, quibus Paulum Christo serviisse Veteres affirmant, ab Anno Neronis 13. Christi 67. retro numerati, in eundem desinunt qui est a passione tertius.* Argumentum Petavianum in multis vacillare, atque claudicare videtur. Dictum Chrysostomo Hom. 16. in Petr. & Paul. Ὃς τριάκοντα πέντε ἐδούλευσε τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης προθυμίας, τελέσας δὲ τὸν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας δρόμον ἀνεπαύσατο, ὡς ἐτῶν ἑξήκοντα ὀκτώ. Pessime communis Versio. *Qui 35. Viros.* Quid hoc sibi vult; aut quæ ansa de 35. Viris Christo mancipatis gloriandi Apostolo, qui Asiæ Europæque maximam partem triumpharat? Rectius ergo vertendus Chrysostomus: *Qui 35. annos summa ad serviendum alacritate Domino mancipavit, perfecto denique octo & sexaginta annorum vitæ cursu, quam pro pietate tenuerat, quievit.* Fundamentum illud Petavianum non adeo inconcussum est quin convelli queat: nititur morte Pauli Anno Neronis 13. oppetita Martyrio. Citius fata complesse Apostolum vero propius, olimque probabitur si Deus dederit. Interea Sulpitium Severum observare juvat l. 2. p. 370. *Neque ulla re Nero efficiebat quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actaque in innoxios crudelissima quæstiones... Hoc initio in Christianos sæviri cœptum, post etiam datis legibus Religio vetabatur, palamque Edictis propositis Christianum esse non licebat. Tum Paulus & Petrus capitis damnati.. Dum hæc Romæ geruntur, Judæi Præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes, rebellare cœperunt.* Quod evenisse Anno Neronis 12. ex Josepho tenemus. Καὶ δὴ ἀρχὴν ἔλαβεν ὁ πόλεμος δευτέρῳ μὲν ἔτει τῆς ἐπιτροπῆς Φλώρου, δωδεκάτῳ δὲ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς. *Itaque secundo Anno postquam Florus venit Procurator in Provinciam, 12°. vero Neronis Imperii, Bellum id cœptum est.* Antiq. l. 20. c. 9.

Petav. Ration. l. 5. c. 1.

Pugna-

Pugnarum jam satis est. Mentem nostram ut aperiamus, Martyrium Stephani Paulique conversionem eodem Anno illigandam esse existimamus. Nec fidem habet quod Viris Doctissimis persuasum, *Martyrium Stephani inter & conversionem ac Baptismum Pauli, biennii circiter intervallum concipi oportere.* Quæ Chronologia an ullo Antiquitatis testimonio fulciatur, valde dubitamus? Nec tanta furori Saulitico concessa mora temporis, cum subita vi procellæ Ecclesia Hierosolymitana continuo disjecta, Saulem sanguinem anhelantem eo impulerit, ut novam Damasci materiam segetemque cœco zelo suo quæreret. Martyrio Stephani, & Pauli Baptismo ultimum Tiberianum assignamus, sive Domini 37. V. C. 790. Proculo & Nigrino Coss. Annus Claudii secundus, dira fame pallidus, nobis sextus est Pauli in numerum Christianorum ascripti. Cum tres Annos in Arabia vixisset Apostolus, quarto deinde ascendit Hierosolyma, causa videndi Petri, a quo post quindecim dies discedens, Syriam, Cyliciam, Tarsumque petiit. Ubi partem aliquam quarti quintique commoratus, inde accersitus a Barnaba, annum integrum egit apud Antiochenses, qui sextus Annalium Paulinorum cum Claudii secundo conspirat, quo Eleemosynas Hierosolyma pertulit. Anno Claudii nono ascendit Hierosolymam ex revelatione; non quidem agitandæ de Circumcisione Gentium Quæstioni, nondum motæ, sed Evangelio exponendo. Anno Claudii 10. celebratæ Synodo interfuit. Hæc Chronologia pure & sine obice fluere videtur. Parte una, justam Stephano concedit temporis moram exercendo ministerio, quod in angustum nimis coarctant qui biennium solum assignant iis quæ ad usque Protomartyris cædem Paulique Baptismum a Luca commendata sunt memoriæ. Parte alia, illa Chronologia non est iis affecta difficultatibus quibus laborant sententiæ quæ conversionem Pauli ultimis Caligulæ Temporibus affigunt; quas inter non minima est, quod Paulus Neronis *Anno demum septimo currente Romam deductus sit, passurus Neronis Anno decimo quarto*; quod sequitur ex Chronologia cui Doctissimus Spanhemius sese addicit, ipso fatente, Differ. Hist. n. 27. p. 221. Quæ firmissimis argumentis, suo loco afferendis, refellentur.

ANNO XXXVI. NUM. V.

De Paulo adolescente Baronii Critica. Quid Lucæ νεανίας? An juvenem audacem vehementisque animi significet? Frigida Purpurati Critica a Jesuita Petavio castigata. Opinio Lightfootiana a Baroniana non multum abludens, exemplis refutata. בחור *Hebræis adolescentem significat, vel absque ad strenuitatem habitu. Cur juvenis dicatur* בחור. *De Paulina ætate vanæ Baronii conjecturæ. Maturum fuisse consilio, cùm baptizatus; senem, cum ad mortem missus est, ut certissimum; sic quot annos vixerit, incertissimum.*

Athenas Baronium non navigasse Linguæ Græcæ addiscendæ, illi sciunt tenentque qui Ecclesiasticos Annales manibus terunt. Vera sentire argumento est Illustrissimi Purpurati de Paulina ætate Critica. *Illud inprimis monendum putamus quod habet Latina Versio, secus pedes Adolescentis, loco Adolescentis legi græce νεανίȣ, cujus quidem vocis si vis exprimatur, non tam ætate adolescentem, quam audacem, vehementisque animi... virum audacem plane ea voce ibi Lucas significavit.* Frigidæ huic Criticæ non pepercit Petavius, quem Græce Baronio longe doctiorem norunt Eruditi. *Neque dubium est quin vox νέȣ virilem etiam ætatem, multo magis juventutem significet, qua ratione Saulus Act. 7. νεανίας vocatur; non quod vocabulum istud ferocem eo loco, & audacem declaret: friget enim hæc interpretatio; quippe licet νεανίας interdum ea notione sumatur, nunquam tamen sine substantivo aliquo, puta ἀνδρὸς, vel λόγȣ. Apud Lucam autem ubi absolute ponitur, id ipsum est quod Interpres noster expressit, Adolescens.* Petav. ad Hær. 51.

A Baroniana Critica non multum abludit Lightfootiana. *Computa an νεανίας meram adolescentiam denotet, annon etiam strenuitatem, atque ut ita dicam robustuitatem. 2 Sam. 6. 1.* כל בחור בישראל *ubi Græce, πάντα νεανίαν ἐξ Ἰσραήλ.* Quod Viri Doctissimi acumen legentibus admirationem movet. An auda- Light. Hor. in Act. c. 7. v. 58.

cem plane virum, minarum spirantem, vel, ut ex phrasi Lightfootiana dicamus, *robustuitatis & strenuitatis* plenum Eutychem Lucas indicat, Act. 20. 9. καθήμενος δὲ τις νεανίας ὀνόματι Εὔτυχος. *Sedens autem quidem Adolescens nomine Eutyches?* An nepos Pauli *audax & strenuus*, de quo dictum, νεανίαν τοῦτον ἀπάγαγε. *Adolescentem hunc adduc ad Tribunum*. Act. 23. 17. Sane בחור Hebræis significat & juvenem; Ezech. 9. 6. *Senem*, בחור *adolescentem, virgines, parvulos, mulieres occidite.* Psal. 149. 12. בחורים *juvenes etiam & virgines laudent Domini nomen.* Etsi vero LXX. vocem νεανίσκος frequentissime adhibeant; cur νεανίας & usurpare non potuerint, nullus video. Nec incommode juvenis dicitur בחור a verbo בחר elegit, quasi ad omnes operas selectus sit juvenis.

Transit in æstatem post ver robustior ætas:
Fitque valens juvenis, neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec qua magis ardeat ulla. Ovid. Met. l. 13.

Multus est Purpuratus in Paulina ætate investiganda. *Affirmare opus est*, inquit, *ad Christum esse conversum annum agentem* 35. *Atque post vixiße usque ad decimum tertium Neronis annum... Ex his itaque colligitur Paulum natum eße Lentulo & Pisone Coss. Anno elapso a Natali Domini.* n. 6. Cantilenam illam suam de Natali Domini Anno Augusti 42. crebro nobis insusurrat Baronius, quæ Chronologia a Natalibus Christi, cum veris, tum Dionysianis dissidet, ut inferius probabitur. Paulinis annis nil est incertius, & vana sunt argumenta quibus eorum numerus initur. Lucæ Paulus νεανίας est, Ananiæ ἀνὴρ, *audivi ex multis de viro isto.* Apud Censorinum Varro quadrifariam hominis ætatem partitur, & pueritiam ad annum 15. inde ad trigesimum adolescentiam definit. Maturum fuisse consilio virum cum vocatus est ad fidem, indicio sunt accepta, mandata persequendæ Ecclesiæ. *Multos Sanctorum*, inquit, *ego carceribus inclusi, a primariis Sacerdotibus autoritate accepta, & cum ab eis interimerentur tuli suffragium.* Ad senectutem vixisse certum est, cum in Epistola ad Philemonem, quæ aliquot ante annos scripta est quam ad mortem mitteretur, se *senibus* inserit: singulatim vero de annis dicere, quid aliud est quam frustra conterere tempus; cum de Anno aut Baptismi, aut Martyrii Paulini non constet, vel ex Scriptura, vel ex Traditione? Chrysostomus sane de ætate Paulina

lina in dubio est, ac huc & illuc impellitur. Hom. 16. de principibus Apost. Οἱ τριάκοντα πέντε ἐδούλευσε τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης προθυμίας, τελέσας δὲ τὸν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας δρόμον ἀνεπαύσατο, ὡς ἐτῶν ἑξήκοντα ὀκτώ. *Qui triginta quinque annos summa ad serviendum alacritate Domino mancipavit, perfecto denique 68. annorum vitæ cursu, quam pro pietate tenuerat, quievit.* De summa detractis 35. annis, tertium & trigesimum Saulus agebat cum ad fidem adductus est. Quin etiam incertus est Martyrii annus. Passum Neronis 12°. Epiphanii sententia est: Oecumenius ad 13um. Hieronymus ad 14um. Apostoli supplicium prorogat. Sed, etsi constaret de passionis anno, fluctuaremus adhuc animo de vitæ Paulinæ spacio, cujus initium prorsus incognitum.

ANNO XXXVI. NUM. IV.

Error Baronianus de Religione Regis Aretæ. Non fuisse hostem, sed tenacem Judaismi, ostenditur ex Josepho. Idumæi ab Hyrcano Circumcisionem admittere coacti. Confirmatur & Aretæ Religio, cum ex provincia data Paulo persequendi Damascenam Ecclesiam, tum ex nuptiis Herodis cum Aretæ filia.

POntificis autoritas Baronio apparatissimum admirandumque spectaculum. *Illud quidem vehementer admiror*, inquit, *qualis quantave etiam apud hostes fuerit Judaicæ Religionis observantia. Cum enim inimicitiæ atque bella essent inter Aretam Regem Damasci, atque Herodem... nec inter eos pax composita esset, nihilominus tantum sibi juris vendicabat apud exteros summus Pontifex... ut qui reperti essent Judæi Christo credentes, vincti Hierosolymam ducerentur.* Decrevisset quidem admiratio qua Purpuratus afficiebatur, si Josephum attendisset, atque simul ab errore se liberasset. Falleris Baroni, Aretas Rex Petræ, sub cujus imperium ditionemque Damascus erat, proselytum Religionis Judaicæ exercebat, non *hostem*, ut opinaris. Judæorum colere disciplinam Hyrcanus Idumæos olim coegerat. Ὑρκανὸς δὲ καὶ τῆς Ἰδουμαίας αἱρεῖ πόλεις Ἄδωρα, καὶ Μαρίσσαν, καὶ ἅπαντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ εἰ περιτέμνοιντο αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Οἱ δὲ πόθῳ Joseph. Ant. l. 13. c. 17.

τῆς πατρίου γῆς τὴν περιτομὴν, καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπομεῖναι τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι. Κἀκεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίοις. *Hyrcanus vero etiam Idumaeae urbes cepit Adora & Marissam; subjugatisque omnibus Idumaeis, dixit ut circumciderentur, nisi mallent e propriis pelli sedibus: at illi, amore Patriae, admiserunt & circumcisionem, & reliquam juxta Judaeos ritus vivendi formulam; atque ex eo primum tempore inter Judaeos censeri coepti sunt.* Erravit igitur, atque procul a vero lapsus Baronius, cum Aretam Judaicæ Religionis hostem nobis obtrudit. Proselytus erat a Majoribus, quod vel ipsa provincia Saulo tradita satis superque planum facit. An Rex Judaismi alienus æquo passus fuisset animo, subditos in carcerem detrudi, atque exteræ adversæque Religionis Pontificis ad libitum misere agitari? Qua fretus audacia atque impudentia, in urbe hostili Damasco, Saulus tantum facinus tamque immite, quod omnem imperiorum ordinem juraque intervortebat, fuisset aggressus? Itaque zelo amoreque Religionis professæ Aretas obsecundasset Pontifici de vastanda Damascena Ecclesia. Arguunt & Aretam Judæum ejus filiæ cum Herode nuptiæ, qui cum Ethnica eas non contraxisset. Herodiadis amore captus Herodes, pactus est mulieri matrimonium, ea lege ut Aretæ filia pelleretur: quæ generum inter & socerum causæ Belli fuere.

ANNO XXXVI. NUM. X.

De mutato Pauli nomine. Cur ante legationem Cypriam semper Saulus, post vero Paulus semper vocetur? Sententia Hieronymi, cui & nonnunquam adhæsit Augustinus, & a nonnullis, Origene Antiquioribus, proposita, rejicitur. Ambrosiastri absurda. Ingeniosæ Clar. Spanhemii rationes, quibus tamen aqua hæret. Origenis opinio verosimilior. Paulum ante Baptismum Binominem fuisse ostenditur. Ex quo missus præcipue ad Gentes, Ethnico suo nomine donatus est in æternum. Vanæ Baronii objectiones.

UT olim de stirpe Homeri septem urbes certavere, sic de nomine Pauli vario dissensu scinduntur Patres. Non temere est quod Lucas, qui perpetuo Saulis nomine ad usque Cypriam legationem Apostolum affecerat, illa obita, Sergioque Paulo Christi Religione imbuto, Sanctum Christi Legatum Saulis nunquam, sed Pauli semper nomine donat. Quæ causa est hujusce mutationis? Hic multi multa variant. Displicet Hieronymiana sententia, quæ non ferendam Paulo parit superbiam. *Ut enim Scipio, subacta Africa, Africani sibi nomen assumpsit; & Metellus, Creta Insula subjugata, insigne Cretici suæ familiæ reportavit; & Imperatores nunc usque Romani, Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur; ita & Saulus ad prædicationem Gentium missus, a primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ Trophæa retulit, erexitque vexillum ut Paulus diceretur e Saulo.* Hier. in Philem. Ep. Sed quod magis mirandum, Augustinus huic aliquando concessit sententiæ. *Idem ipse minimus Apostolorum tuorum, per cujus linguam tu ista sonuisti, cum Paulus Proconsul, per ejus militiam debellata superbia, sub leni jugo Christi tui missus esset, Regis Magni provincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo Paulus vocari amavit, ob tam magnæ insigne victoriæ.* Aug. Conf. l. 8. 4. Ea sententia, nec immerito, alienus est, libro de spiritu & litera. *Ideo Paulus Apostolus, qui cum Saulus prius vocaretur, non ob aliud quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum, tanquam minimum Apostolorum.* Altos Paulo spiritus non attulit triumphans Gratia Christi; imo quanto majores Pauli victoriæ, tanto Vir ille Magnus spirabat humilius. Ut admirabili modestia ἐκτρώματος sibi nomen adjungeret. Pridem ab Origene proposita Hieronymi de Paulo sententia, in quam Antiqui nonnulli descenderant. Orig. Præf. in Rom. *Quibusdam visum est quod Pauli Proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit, ut sicut Reges solent devictis, verbi gratia, Parthis, Parthici; & Gothis, Gothici nominari; ita & Apostolus subjugato Paulo, Paulus fuerit appellatus; quod ne nos quidem usque quaque evacuandum putamus. Tamen, quia nulla talis in Scripturis Divinis consuetudo deprehenditur, magis ex his quæ in exemplo nostris sunt, absolutionem quæramus.* Non igitur, ut vulgo creditur, & Baronius subindicat, Hieronymus principium fonsque

est

est hujusmodi sententiæ; sed ex lucubrationibus Origenianis hauserat.

Ambr. in Rom. c. 1. Vana portentosaque opinio Ambrosiastrum imbuit. *Apud Veteres nostros ratione nomina componebantur, ut Isaac propter risum, & Jacob propter calcaneum, ita & iste propter inquietudinem Saulus est nuncupatus. Postquam autem credidit, ex Saulo Paulum se dicit, hoc est, immutatum: & quia Saulus secundum supradictum sensum inquietudo, seu tentatio interpretatur, hic cum ad fidem accessit, Paulum se dicit, id est, quasi ex tentatore quietum factum.* An Saul significat inquietum?

Ingeniosas eruditasque de mutato Pauli nomine causas Clarissimus Spanhemius suppeditat, Dissert. Hist. n. 35. *Sed & Pauli nomen erat ominosum, commune Apostolo cum Rege quondam impio, desertore reprobato. Saul Rex ex bono malus, hic noster ex malo bonus, contrario plane eventu. Sub eodem etiam Sauli nomine persecutus hic fuerat Christum, ut Davidem Saul... Fieri etiam potuit ut Paulus statura corporis minime procerus esset, hinc & conveniens illi nomen.* Quæ etsi multo acumine & eruditione se commendent, est tamen unus scrupulus qui nos male habet. Si Saulis nomen erat *ominosum*, qua de causa & Paulus illud tandiu gestavit jam Apostoli munus exercens, & Spiritus ille Sanctus, editis oraculis, palam edixit Antiochiæ, *separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos advocavi.* An indidisset Legato suo nomen *ominosum*? Aut quid in nominibus quæ mera sunt signa ex instituto animi pendentia, ominosi fingi potest? Non unus Rex Israel Sauli nomen habuit. Principibus Idumæorum a Mose Saul Rehoboth inseritur: unus etiam de Simeonis Patriarchæ liberis Saul, Cananæa muliere satus, est. (Gen. 36. 37.)

Orig. Præf. in Rom. Nulla, meo judicio sententia, potior est quam Origenis, cujus verba, & sensus & eruditionis plena mihi videntur. *Prima nobis quæstio de nomine Pauli videtur exsurgere. Cur is qui Saulus dictus est in Actibus Apostolorum, nunc Paulus dicatur. Invenimus in Scripturis Divinis quibusdam Veterum commutata vocabula; ut ex Abram vocatus sit Abraham; ex Sarai Sara; & ex Jacob Israel. In Evangeliis quoque, ex Simone Petrus, & filii Zebedæi filii Tonitrui nuncupati sunt. Sed hæc ex præcepto Dei legimus facta, nusquam vero erga Paulum invenimus tale quid gestum... Invenimus igitur in Scripturis aliquantos binis*

nis, alios etiam ternis usos esse nominibus, ut Salomonem eundemque Idida dici... Oziam eundemque Azariam. Sed nec Evangelia quidem hunc eundem renuunt morem... Secundum ergo hanc consuetudinem videtur nobis Paulus duplici usus esse vocabulo. Et donec quidem Genti propriæ ministrabat, Saulus esse vocatus; quod magis appellationi patriæ vernaculum videbatur: Paulum autem appellatum esse cum Græcis & Gentibus leges ac præcepta conscribit. Hæc, meo judicio, germana causa est mutati nominis. Non novum sibi assumpsit, nec abdicato Hebraico nomine, Romanum sibi asciscere potuisset absque Judæorum scandalo, nisi a teneris unguiculis illud habuisset. Avitæ disciplinæ desertorum in numerum ab omnibus pene Judæis ascribebatur; quantum conjecturæ occasionem præbuisset, si novum nomen Ethnicum, priori Judaico repudiato, usurpasset? Si novo quidem nomine Gentium Apostolus decorari debuit, rationi consentaneum esse videtur, ut istud ipsum nomen a Deo affigeretur, quocirca Chrysostomus sibi in animum induxit, Pauli nomen ab ipso Deo Saulo esse inditum. Sed a Deo ortum non habuisse ostendit & Scripturæ silentium, quæ rem tanti momenti prætermisit; & nominis ipsius qualitas, cum indita Apostolis a Deo nomina aliquid gloriosi ac magnifici sonarent. In observatione ponenda sunt Lucæ verba, *Saulus autem, qui & Paulus*: quæ antevertunt de converso Sergio narrationem. Quæ aperte ostendunt declarantque Paulum jam fuisse binomium. Objicitur a Baronio, *non est exemplum vere Judæos jungere consuevisse Hebræorum nominibus nomina Romanorum.* Atqui Scriptura plurimos Græco donatos nomine sufficit. Sic Didymus, Alexander, Stephanus. Quidni Romano Civi Romanum, eidemque Hebræo Hebræum nomen affigeretur? Sed & exemplum Judæi Romano nomine donati suppeditamus Baronio: Rex Judæorum Herodes, una & Agrippa dictus. Profecto illud ipsum, *Saulus, qui & Paulus*; non ei tunc primum Pauli nomen impositum, sed vetus indicat. Hac de causa ab eo tempore quo Saulus legationem in Cyprum obiit, incepit nomine Pauli designari, quia tunc suo illo Apostolatu inter Gentes defungi cœpit. Prius enim non nisi inter Syros & Judæos erat versatus; At cum Apostolus Gentium perpetuo evaserit, nomine suo Ethnico in æternum donatus est.

ANNO

ANNO XXXVI. NUM. XII.

De mutato Pauli nomine Baroniana sententia. An Saulo Pauli nomen additum a Sergio Proconsule? Refellitur opinio. Exemplum a Baronio petitum ex Jospho, affectum errore gemino. Josephus a Vespasiano, non a Tito, civitate donatus; nec a Flaviæ familiæ cognomine insignitus.

SUis nunc meritis examinanda est de mutato nomine Pauli Baroniana sententia. *Ea*, inquit, *nominis causa potius putanda est, ut idem Paulus Proconsul, quod Romani liberis de se optime meritis, vel aliquibus clientibus, vel hospitibus, aliisque, sæpe impartiri familiæ cognomen consueverunt; Saulo id ipsum cognomen suum Paulus indiderit.* Quibus testibus aut argumentis audacem conjecturam astruit? Annon ascito sibi Proconsulis nomine Paulus justam inimicis præbuisset odii ac vituperationis causam? Quid magis redoluisset mores fastumque seculi? Quidni flagris jam paratis a Claudio Lysia vitandis, ostentabat honorem secum communicatum a Sergio Proconsule, perinde atque jus civitatis? Audiamus exemplum verius, erorrem sententiæ suæ comprobandæ, a Baronio accomodatum. *Sicut Josephus Judæus in Judaico Bello captus, liberatus, ac civitate donatus a Tito, Flavia quoque familiæ cognomine ab eodem insignitus est, ut Flavius Josephus sit appellatus.* Sed animum familiarius applicanti ad Josephum, exemplum laudatum purum commentum apparebit. Sic Josephus in Vita sua. *Compositis deinde Judææ rebus, Titus conjiciens rus, quod habebam circa Hierosolyma, mihi fore inutile, propter milites Rom. qui ibi relinquendi erant ad regionis custodiam, alia prædia mihi donavit in campestribus, & repetiturus Romam honoris causa navigationis me assumpsit socium. Ut vero in urbem pervenimus, multis Vespasianus me dignatus est Beneficiis.* Quæ Beneficia a Vespasiano collata sint Josepho, verbis ejus aperiamus. Καὶ γὰρ καὶ κατάλυσιν ἔδωκεν ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ πρὸ τῆς ἡγεμονίας αὐτῷ γενομένῃ, πολιτείᾳ τῇ Ῥωμαίων ἐτίμησεν, καὶ σύνταξιν χρημάτων ἔδωκεν καὶ τιμῶν διετέλει, μέχρι τῆς ἐκ τοῦ βίου μεταστάσεως οὐδὲν τῆς πρὸς ἐμὲ χρηστότητος.

χρηστότητος ὀφείλων. Nam donatum civitatis jure diversari jussit in ædibus, quas ipse, antequam Imperator fieret, habitaverat; pensioneque honoravit annua, nihil de benignitate substrahens, donec viveret. Quibus geminus Annalium Baronianorum error indicatur. Nec enim a *Tito*, sed a *Vespasiano*, Josephus civitate donatus est. Sed & somnium est, a Tito Flaviæ familiæ nomen additum fuisse Josepho; quem, dubio procul, honorem perinde Josephus memorasset, atque annuam pensionem, grato erga Vespasianum exhibendo animo.

EXERCITATIO TERTIA.

ANNO XXXVII. NUM. III.

De morte Philippi Tetrarchæ. Viri cum æquitas, tum modestia. Exemplum insigne ex Josepho. Tempus Philippææ in Tetrarchia Præfecturæ. Censura Baroniana de Josephi Chronologia circa annos Herodis Magni, Philippique ejus filii. Josephi locus de Philippæis annis corruptus, emendatur. Error Clar. Pagii ex Librariorum vitio colligentis Herodianos annos. Philippum non ante abiisse ad plures quam Vitellius, Vir Consularis, Syriæ præficeretur, quo Criticæ Paganæ nævus aperitur. Sinceram esse Josephi cum de Herode, tum de Philippo, Chronologiam, contra Baronium aliquot argumentis demonstratur. Fundamentum Baronianæ & Censuræ, & Chronologiæ, de annis & Philippi & Herodis vanissimum, in errore Librariorum collocatum. Non 15°. sed quinto & vicesimo Herodem a Parente suo Galilææ impositum, ostenditur: quo probato, argumentatio & Chronologia Baroniana evanescit, atque diffluit.

FOrtes creantur fortibus & bonis; sed nonnunquam & impiis, cum præsens Dei Numen maxime est. Quis truculentior Herode, immani scelerum ingenio? Quis justior, æquique tenacior Phi-

lippo? Ille Pater, hic Filius fuit. Baronianos in oculos, etsi vigilantes, hujusce Principis justitia non venit. Vir fuit perpetuo modestus, quietis amator atque otii, degens semper in sua Ditione. De Philippo admirandum Principibus exemplum Josephus commendavit posteris. Quoties domo progrederetur, iter faciebat cum paucis selectis comitibus. Καὶ τοῦ θρόνου εἰς ὃν κρίνειν καθεζόμενος ἐν ταῖς ὁδοῖς ἑπομένου, ὁπότε τις ὑπαντιάσας ἐν χρείᾳ γένοιτο, αὐτοῦ βοηθεῖν, οὐδὲν εἰς ἀναβολάς, ἀλλ' ἐκ τοῦ θρόνου ᾗ καὶ τύχοι γενομένης καθεζόμενος ἠκροᾶτο, καὶ τιμωρίας τε ἐπετίμα, καὶ ἠφίει τοὺς ἀδίκως ἐν ἐγκλήμασι γενομένους. *Subsequebatur sella in qua solitus erat jura reddere, & si quis ex occursu opem ejus invocaret, sine dilatione, mox ibi sella posita residens, causam cognoscebat; aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium.* A Deo Immortali optamus ut talibus Philippis æqui servantissimis abundemus!

Joseph. Ant. l. 18. c. 25.

Hic in Josephum, quasi annorum Philippi insolentem, Illustrissimus Cardinalis aperte aspereque invehitur. *Quod vero spectat ad annos triginta septem quibus ipsum Tetrarchiæ præfuisse dicit, quam aperte in errorem labatur, consule quæ superius dicta sunt, cum de obitu Herodis actum est.* Legimus & consuluimus depellendis Annalium erroribus. Legimus & Petavium, Virum sane Magnum, narisque Baronio emunctioris, Josephique famam benevolentia, præsidio, custodiaque sua tegentem. *Verum, nec quæ ad illius minuendum existimationem afferuntur, vera putamus omnia, & quod ad recentiora Judæorum tempora spectat, certiorem ac constantiorem habemus Autore isto neminem.*

Petav. Ani. in Hær. 51. Epiph.

Omnium sane Doctorum judicio, gravissimis erroribus affecta est Baroniana Chronologia. Ascribam verba Cardinalis de Herodis annis. *Est igitur in numero primus annus regni Herodis sub Augusto tertium, & Messala Coss... qua ratione dicimus Christum Dominum, Redemptorem nostrum, natum Regno Herodis 29. inchoato. Ex his itaque luce evidentius & clarius constare videtur, cum nonnisi ejusdem Autoris autoritate hæc affirmemus, ipsum Josephum numerando a Coss. Domitii & Pollionis, annos 37. Herodis regni, novem saltem annis ejus obitum anticipasse.* Ut in Herode, Patre Philippi, sic in Herodis filio Philippo, similiter errasse Josephum Cardinali incumbit affirmandum. Hoc est accurati Historici de morte

Baron. Appar. ad Annal. n. 117.

Philippi

Philippi egregium testimonium. Τότε δὲ καὶ Φίλιππος Ἡρώδου δὲ ἦν ἀδελφὸς τελευτᾷ τὸν βίον, εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς, ἡγεμονεύσας δὲ αὐτὸς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα τῆς Τραχωνίτιδος. *Tunc etiam Herodis frater Philippus diem suum obiit, Anno Tiberii Principatus vigesimo, cum ipse præfuisset triginta septem annis Trachonitidi.* Apud Josephum perperam excusum esse vitio Librariorum, Philippum Tetrarcham obiisse Anno vicesimo Tiberii, atque triginta septem annis imperasse, monuit Magnus ille Scaliger, de Emendatione Temporum l. 5. *Legendum enim sine dubio* εἰκοστῷ καὶ δευτέρῳ; *cujus rei argumento erit Vitellius, qui cum Fabio Prisco Consul fuit, Anno vicesimo Imperii Tiberiani currente.* Sed & Scaligero consentit ejus æmulus Dionysius Petavius. *Verum, quod ad annos Philippi spectat, cum eum Josephus decessisse scribit Anno Tiberii vigesimo, mendum esse videtur.* Sed ut perperam apud Josephum annus vigesimus pro vigesimo secundo irrepsit, ita in annis Philippi vitium inesse verosimile, ut Philippum 38. annis regnasse scripserit; quæ conjectura non est nihili, cum Anno Augusti 40. C. Calvisio & L. Passieno Coss. Philippi Pater Herodes excesserit.

Joseph. Ant. l. 18. c. 6.

Accuratus ille Criticus Chronologiæ peritissimus Antonius Pagy, non modo errorem Josephi non deprehendit, sed etiam, mirum dictu, eo abutitur colligendis annis Herodis. *Ex quo*, inquit, *Annus mortis Herodis, Magni Patris Philippi, magis innotescit. Si enim Philippus Anno Christi 34. quo Tiberius vicesimum Imperii inchoavit, mortuus est, Patri successerat Anno Juliano 43.* Jam vero Anno Dom. 34. V. C. 787. L. Vitellius & Fabius Priscus exercebant Coss. Impossibile igitur est, hoc ipso Anno Philippum abiisse ad plures, cum deposito Consulatu Vitellius in Orientem profectus, Syriam ante administrabat quam Philippus fata complevisset. Jam Pilatum jusserat Romam proficisci. Quid his clarius *Judæorum Primates adeunt Vitellium, Virum Consularem & Syriæ Præsidem, Pilatumque cædis accusant.* Quæ omnia Philippicam mortem antecessere.

Ant. Pag. Crit. An. 37. n. 3.

Hic ille Josephi locus adeo insignis, quique rebus Chronologicis magno est usui, fœdi erroris a Baronio postulatur. *Aperte*, inquit, *Josephus in errorem labitur.* Hic merito illud Poetæ est usurpandum:

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Nam quis credat Josephum, tam accuratæ diligentiæ hominem,

qui ex Actis publicis narrationes suas depromebat, Epocham & Regni Herodis, & Principatus Philippici ignorasse? An sciens prudensque lectores fefellit? Qua spe, qua mercede? Nonne prodigio simile est, in tam multa annorum serie, nullum ex antiquis novisque Autoribus, adeo vigilantibus lyncæisque oculis fuisse præditum, ut fœdam illam Historiæ confusionem, perturbationemque deprehenderet? Pœnas temeræ injustæque censuræ Baronium Petavio, ut Purpuræ obnoxio, dedisse, lætis oculis legimus. *At quantopere illum ratio fugerit paulo post constabit, ubi quæ de Herodis annis, & Historia, sparsim Josephus inserit, paucis perstrinxerimus.* Ex Josephi Chronologia, obiit Herodes Anno Augusti 40. Calvisio & Passieno Coss. V. C. 750. Itaque si annis novem Herodis obitum anticipavit, annus septimus & tricesimus Herodiani Regni, quo fato concessit, Augusti 49. est illigandus. Quid vero fiet de annis decem Archelai quibus Judææ præfuit, ac post decennale imperium ab Augusto Viennam relegati? Admissa, quidem, Chronologia Baroniana, consequens est, non ab Augusto, sed ab Augusti Successore Tiberio, exilium Archelao fuisse imperatum; quod nec Josepho, nec Dioni consentit, ut videbitur.

Petav. Anim. in Hær. 51.

Valde obscura est, atque intricata Baroniana Josephi de Præfectura Philippica censura: *De annis 37. quibus Philippum Tetrarchiæ præfuisse dicit, aperte in errorem labitur.* In quam partem peccavit, Baroni? An quia triginta septem annos Philippico Imperio contribuit, cum non tot præfuerit? Cui verosimile fit Josephum in eo fuisse deceptum? Natus est Caligulæ Anno primo. An in tam patenti Chronologia, lippis & tonsoribus non ignota, hunc pati potuit errorem, ut diuturnius Philippi Imperium sibi fingeret, quam revera fuit? Profecto Ambubajarum collegia, pharmacopolasque erroris sui monitores emendatoresque habuisset. Nec ullum, credo, exemplum adduci potest Historici, Principi cujus vitam tractat pene coævi, qui tam turpiter delirarit, ut Imperii annos extra modum ampliaret. Historiæ Philippicæ ignarum atque insolentem non fuisse Josephum, monumenta testantur. *Obiit Juliade, illatus in sepulchrum quod ante sibi construxerat; magnifice ac sumptuose funeratus est.* Sed forte non eo collimat Purpurati censura. Gnarum & peritum annorum Philippici Imperii Josephum fatebitur, non secus ac Herodiani Regni, sed

ſed 37. Præfecturæ Philippicæ annos a Joſepho anticipatos fuiſſe regeret, quod neceſſario conſequitur ex fundamentis a Purpurato jactis, Appar. n. 117. *Eſt igitur in numero primus annus Regni Herodis, ſub Auguſto tertium & Meſſala Coſ. Olympiade 187. Anno ſecundo.*

Quærat Baronius peregrinos qui procul a vero Joſephum erraſſe in conſignandis Herodianis annis imaginentur. Ego vera dixiſſe cenſeo, donec firmiori ariete Epocha a Joſepho tradita concuſſa ſit. Καὶ ὁ μὲν οὕτως τὴν βασιλείαν παραλαμβάνει τυχὼν αὐτῆς ἐπὶ τῆς ρπδ. καὶ Ὀλυμπιάδος, ὑπατεύοντος Γαΐου Δομετίου Καλβίνου τὸ δεύτερον, καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πωλλίωνος. *Atque hoc pacto ille Regium faſtigium adeptus eſt 184. Olympiade, Domitio Calvino iterum & Pollione Coſſ.* Annus ille V. C. 714. Julian. 6. fuit. Objicit quidem Baronius Joſepho ipſum Joſephum. *Cum idem Autor dicat Herodem eo tempore quo Julius Cæſar, confecto bello Alexandrino, tradidit Antipatro, ejus Patri, Judææ adminiſtrationem, natum annos quindecim fuiſſe: rurſumque affirmet ipſum vixiſſe uſque ad annum ſuæ ætatis ferme ſeptuageſimum. Hac ratione numerando cæteros Herodis annos a Conſulatu Caleni & Vatinii, quo a Cæſare tributa eſt Judæa Antipatro, quando Herodes agebat annum 15. ipſum vixiſſe uſque ad Annum 9um. ætatis Chriſti, negari non poteſt.* Quid iſta argumenta, quid machinæ, quid rationes proſunt ad refellendum Joſephum, abſonamque extra modum Chronologiam conſtituendam? Si æquis benignisque oculis Baronius Joſephum perlegiſſet, ob culpam Librariorum accuratum Hiſtoricum non damnaſſet. Hæc Joſephus: τῷ δὲ μετ' αὐτὸν Ἡρώδῃ τὴν Γαλιλαίαν ἐπέτρεψε νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιε γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. *Herodi juniori Galilæam curandam commiſit, etiam tum admodum adoleſcenti, nec excedenti annum decimum quintum.* Legendum κε hoc eſt *vigeſimum quintum*, quod Hiſtoriæ circumſtantiæ declarant. An puer annos quindecim natus, regendæ Provinciæ aptus eſt? An prælia committit? An morti Latrones addicit? quod ab Herode factum perhibetur. Facilis eſt unius literæ in aliam, non adeo diſſimilem, mutatio. Nec in corrupto numero, tanquam in aqua, Chronologiæ ſuæ fundamenta Baronius ponere debuit. Profecto, ſi *anticipati* ſunt a Joſepho Herodiani anni, anticipati ſimiliter & Archelai, & Philippi, & Herodis Agrippæ, & junioris Agrippæ, cui Joſephus coætaneus fuit & ingentem hiatum inter ultimos & primos intercedere;

Joſeph. Ant. l. 14. c. 26.

Bar. Appar. n. 114.

Joſeph. Ant. l. 14. c. 17.

necesse est, & error admissus a Josepho in liberorum Herodis historiam derivari debuit. Quo figmento nil absurdius cogitari potuit.

Itaque, pace Illustrissimi Purpurati, Josephi de annis Philippæi Imperii testimonio, velut incorrupto certoque, aures commodabo. Equidem, dum mecum in animis hunc locum verso, non ineptam esse regulam existimavi compluribus Chronologiæ Quæstionibus definiendis. Non in eam, quidem, spem adducor, ut hoc criterio Æram Christianam in tuto collocem; spem tam inanem nolim agitare. Nonnulla tamen tenuis hic inesse lucis scintilla videtur, qua profunda nox Annalium illustrari potest. Itaque, data tam felici occasione, capessam principium examinandarum Quæstionum bene multarum, quibus Annales Ecclesiastici perstrepunt. Sic nil pene deerit curæ quam in coarguendis Baronii erroribus consigo; sed & una meritis suis atque ponderibus non pauca examinabuntur, quæ Clar. Baronianus Criticus suis lucubrationibus inseruit. Hæ Quæstiones aut prorsus omittendæ, quod absque veritatis Historiæque injuria fieret; aut hic pertractandæ sunt, non sine utriusque emolumento.

ANNO XXXVII. NUM. III.

An Patres ab Anno Julii Cæsaris emortuali faciant annorum Augusteorum initium? Chronologia Baroniana, Pagianaque ad examen revocata. Observabilia ad tractandam materiam, quæ & coarguendis Baronii erroribus multo sunt usui. Fasti a Julio Cæs. emendati. Dionis, Macrobii, Censorinique discrimen de diebus Anno confusionis intercalatis. Annus in Chronologia Pagiana oblivione obrutus. Modi annos Augusteos numerandi diversi. Baronii lapsus circa Librum de Oratoribus. Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Orosium, Cassiodorum, Autorem Breviarii Temporum, principium Æræ Augusteæ ab Anno Julianæ Editionis 3°. Hirtio ac Pansa Coss. deducere

deducere, probatur contra Baronium, Eruditumque Anton. Pagium. Ejus exceptiones ad Eusebium & Epiphanium confutatæ. Error Baronianus circa Horatium ex Dione coarguitur. Σφάλμα cum Pagianum in Æra Antiochena; tum Baronianum, de captæ Alexandriæ mense. Vitium Baronii de intercalationis vitio.

IMperante Augusto Christum in lucem editum esse, uno ore atque animo Christiani profitentur. Verum a Chronologis mota quæstio est, a quo V. C. Anno Patres initium Imperii Augusti deduxerint; num a nece Cæsaris, V. C. 710. Julio Cæsare quintum, & Mantonio Coss. An vero a sequente anno, Pansa Hirtioque Coss? Hic Baronio consentiens Eruditus Antonius Pagius de hac Quæstione suam sic ostendit sententiam. *Antiqui qui scripsere Christum natum esse Anno 41, aut quadragesimo secundo, aut quadragesimo tertio Augusti, a currenti anno hujus Imperatoris initium repetunt; quod miror ab Viris Eruditissimis in dubium revocatum. Ideoque imperium Augusti in Chronicis & Annalibus ab hoc anno incipiendum.* Scilicet V. C. 710. *Ante Christum* 44. *Juliano* 2.

Ut obscuræ simul & nobili Quæstioni aliquid luminis perferatur, principio in gratiam Tyronum nonnulla sunt observanda, quæ & coarguendis Baronii erroribus multo sunt usui. Fastos jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstate, neque vindemiarum autumno, competerent; fuisse a Julio Cæsare correctos, omnibus certum atque exploratum est. *Quo autem magis in posterum e Kal. Januar. nobis Temporum ratio congrueret, inter Novemb. ac Decembr. mensem interjecit duos alios: fuitque is annus quo hæc constituebantur 15. mensium, cum intercalario qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Quæ accuratius adhuc a Dione memoriæ prodita sunt. Annum Cæsar, ad eum qui observatur modum, constituit, ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλών: *intercalatis septem ac sexaginta, quamvis alii falso plures perhibuerint, qui ad Summam exactam requirebantur diebus.* Plures tamen dies intercalati, si Censorino fides, *a quo* 445. *dies* ultimo

Suet. c. 40.

Dio. l. 43.

confu-

Macrob. Sahir. l. 1. c. 14. confusionis Anno tribuuntur. Sed & a Censorino diversus est Macrobius. *Ergo Cajus Cæsar exordium novæ narrationis initurus, dies omnes qui confusionem adduc poterant facere, consumpsit: eaque re factum est, ut annus confusionis ultimus, in quadringentos quadraginta tres dies protenderetur. Post hos imitatus Ægyptios, solos Divinarum rerum conscios, ad numerum Solis, qui diebus 365. & quadrante, cursum conficit, annum dirigere contendit.* De intercalatione observabilis est & ille Macrobius l. 1. c. 13. *Omni autem intercalationi mensis Februarius deputatus est. Quod etiam ipsum de Græcorum imitatione faciebant. Nam & illi ultimo anni sui mensi superfluos inserebant dies... Verum una re a Græcis differebant. Nam & illi confecto ultimo mense, Romani non confecto Febru. sed post 23. dies intercalabant.* Hæc sunt Anni Juliani fundamenta atque principia.

Emendationis annus V. C. 708. fuit. Qui, nescio quo fato, in Apparatu Chronologico Pagiano oblivione obruitur. Annus periodi Græco-Rom. 5447. Urbis Conditæ 707. emendationi Julianæ præfigitur, unde incautis ansa errandi suppeditatur. Primus igitur annus Julianus, a Natalibus Urbis 709. putatur: sequenti vero, tribus & viginti plagis confossus Cæsar in Senatu, idibus Martiis, sive decimo quinto die, fata complevit, An. V. C. 710. Hinc varii annorum Augustalium numerandorum modi; quod etiam atque etiam est observandum. Epochæ annorum Imperialium Augusti sunt numero quatuor.

Josephus Augusteum Imperium annorum 57. mensiumque sex, Joseph. Ant. l. 18. c. 13. limitibus circumscribit. Δεύτερος μὲν Ῥωμαίων Αὐτοκράτωρ γενόμενος ἑπτὰ ἢ καὶ πεντήκοντα τῆς ἀρχῆς ἔτη πρὸς οἷς μανες ἕξ, ἡμέραι δυοῖν πλείονες. *Augustus, secundus Romanorum Imperator, præfuit Reipub. annos* 57. *mensibus & diebus duobus.* Quæ, dubio procul, Epocha initium habet a morte Julii Cæsaris, Augusti Decessoris, Anno Jul. 21. quanquam a vero Josephus paululum abest. Annus, quippe, quinquagesimus Augusti illa completur die, qua Cæsar morti missus est, videlicet, Martis decimo quinto. Ab Idibus vero Martiis ad Augusti decimum nonum, quo Augustus ultimum diem obiit, in eodem cubiculo quo Pater Octavius, menses quinque cum tribus diebus solum interfuere.

Aliis vero ab Anno Juliano tertio, Imperium Augusti putari placuit;

placuit; quam numerandi rationem iniit Autor ille de Oratoribus, apud Tacitum; quodcunque illi sive Quintiliano, sive diverso nomen fuerit. Locus exscribendus quo errantis Baronii vitium emendetur. *Tacitus etiam*, inquit Annalium Parens, *sive alius Autor Dialogi de Oratoribus, nonnisi a nece Cæsaris numerat Augusti annos, dum imperasse annos 58. testatur.* Siccine Autor ille de Oratoribus Dialogi? *Nam, ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe & Pansa Coss. ut Tiro libertus ejus scripsit, septimo Idus Decemb. occisus est; quo anno divus Augustus in locum Pansæ & Hirtii se & Q. Pedium suffecit, statue sex & quinquaginta annos quibus mox divus Augustus Rempublicam rexit.* Quibus Imperium Augusteum ab Hirtio & Pansa deducitur, Anno Juliano 3. Cæsaris emortualem excipiente. Nonnulli a capta Alexandria, Anno Jul. 16. Augusti Imperium numerant, quos inter Clem. Alex. Strom. l. 1. Ἄυγουστος ἔτη τεσσαράκοντα τρία. *Augustus annis* 43. Alii, denique, ab Actiaca victoria Æram Augusti deducunt. Dio. l. 56. *Solus summum Imperium gessit ab Actiaca victoria, annos* 44. *quibus tamen desunt* 13. *dies.* Baronio succenturiatus Antonius Pagius, ab emortuali Julii Cæsaris Anno Æræ suæ Augusteæ Patres initium ut certum affirmat. *Baronius*, inquit, *recte scribit qui natum dixere Christum Anno Augusti* 42. *eos incipere ejus Imperium a nece Julii Cæsaris.* Imo & *illi qui natum esse* 41. *aut* 42. *aut* 43. *Augusti scripsere, a currenti anno Juliano* 2. *V. C.* 712. *Hujus Imperatoris initium repetunt, & ab eo in Chronicis & Annalibus incipiendum.* Qua de re mihi non convenit cum Erudito Chronologo: Imo in ea sum sententia Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Orosium, Cassiodorum ab Anno Juliano 3°. V. C. 711°. deduxisse Augusti Imperii principium; quæ si firmissimis argumentis demonstravero, cum erroris absolvuntur Eruditi illi Viri a Critico damnati, tum gravissimis Chronologia Pagiana afficitur vulneribus. Sic non ab Anno *Augusti* 14°. Actiaca victoria præclare deducitur; non cum 45°. Æræ Christianæ initium recte concordia copulatur, sed in communibus pervulgatisque sedibus Actiaca victoria, decimo tertio Æræ, 44°. Augusti considebunt; quod Viris maximis Scaligero, Capello, Petavio existimatum. Baron. Ap. par. n. 104.

Conquirenti Augusti obitum, decimum nonum mensis Augusti diem Historia suppeditat. *Obiit in cubiculo eodem quo Pater Octavius,*

vius, duobus Sextis Pompejo & Apulejo Coss. decimo quarto Kal. Septembris. Suet. c. 100. Suetonio consentit & Dio, Anno V. C. 767. Collectis a percusso Cæsare annis Augusteis, imperium duravit in 58. incompletum, ut nuper auditum a Josepho; quo quidem numerandi modo Tertullianus quam longissime abest. *Omnes anni Imperii Augusti fuerunt anni 56.* Sic ille c. 8. adversus Judæos. Recte, si ab Hirtio Pansaque Coss. ducatur initium; elisis, quippe, mensibus ad completum rotundumque numerum constituendum, remanent quinquaginta sex: falso autem, si a Julio Cæsare & Antonio Coss. Anno V. C. 710. ortus Regni Augusti deducitur. A Tertulliani calculo Eusebius in Chronico paululum abest. *Romanorum secundus regnavit Octavianus Cæsar annos 56. menses 6.* Atqui si includatur annus emortualis Cæsaris in Successoris Imperialibus annis, Augustus majus imperii spatium emensus est. Si vero excluditur annus ille emortualis Cæsaris, non ultra Hirtium Pansamque Chronologia retrograda perveniet.

Ant. Pag. Appar. Chron. P. 14. n. 67. Ictum exire conatur Clarissimus Criticus Antonius Pagius. *Josephum sequitur Eusebius in Hist. l. 1. c. 9. ubi tradit imperasse Augustum 57. annis, ubi menses & dies numerum illum excedentes negligit. Ex quo liquet correxisse Eusebium in Historia quod in Chronico scripserat, Augustum, nempe, imperasse annis 56. mensibus sex, nisi in Historia annos incompletos pro completis usurparit, quod non existimo.* Vigilata in Chronico, ab Eusebio in Historia fuisse emendata, inventum est quod fidem non habet. Numquid ad Historiam non pertinet libri primi caput quintum, in quo hæc diserte leguntur. *Annus jam agebatur secundus & quadragesimus Imperii Augusti, a subacta autem Ægypto, & ab interitu Antonii & Cleopatræ Octavus & vigesimus.* Doctissime, more suo, Henricus Valesius Annot. p. 9. *Idem numerus habetur in Chronico Euseb. anno 42. Augusti, Jesus Christus Filius Dei in Bethlehem Judæ nascitur. Annus porro primus Augusti juxta supputationem Eusebii is est, quo Hirtius & Pansa Coss. fuerunt. Proinde secundus & quadragesimus Augusti annus cadit in Consulatum ejusdem Augusti decimum tertium.* Annus 42. ab ortu Regni Augustei, & vigesimus octavus a capta Alexandria, ex Eusebiana Chronologia conspirant, & copulantur. Deductis igitur 28. a 41. vel 27. a 42. annis, tredecim supersunt, non *quatuordecim,*

decim, qui putandi essent 11. annus emortualis Cæsaris illis includeretur. Itaque sibi constat Eusebius in Chronico & Historia sua, quod ab solerti Critico non deprehensum valde miror. At eodem libro, c. 9. *Septem & quinquaginta annos Imperiales Augusti colligit.* Quidni, cum annus completus pro incompleto usurpetur? *Sed annos completos pro incompletis Josephum usurpasse non existimo*; quæ Pagiana assertio est. At solum in Chronologicis regnare æquitas non patitur, nec eo autoritatis progressus est Eruditus Criticus, ut omnia ejus effata, ex Oraculo Apollinis Pythii edita nobis putemus. Quicquid existimarit, constat Eusebium l. 1. c. 5. annorum Augusteorum principium a Consulatu Hirtii Pansæque deduxisse. Fingemus-ne sententia decessisse paucis post interjectis lineis? Capite quinto principium Epochæ Augusteæ Anno V. C. 711. illigasse, mutata vero opinione c. 9. idem principium anno 710. affixisse?

Cassiodori Chronicon iisdem Temporis terminis Regnum Augusti circumscribit. Anno, quippe, Augusti 41. Natales Dominicos conjunxit. C. *Lentulo & M. Messala Coss. Dominus noster J. Christus Filius Dei in Bethlehem nascitur; Anno Imperii Augusti* 41. Quæ quidem Epocha si annum secundum Julianum complectatur, ad Augusti secundum & quadragesimum descenditur, ut constet numerus, a Juliano 3°. Hirtio & Pansa Coss. Imperium Augusti est deducendum.

Ferula Pagiana Eruditus ille Petavius vapulat. *Petavius*, inquit, *in Animadversionibus Epiphanianis, pag.* 130. *autumat Epiphanium Christum Anno Augusti* 42. *natum esse scribentem, hujus Imperatoris initium statuere Anno Juliano* 3°.... *sed perperam. Tredecim enim priores anni ab Epiphanio expressi, anno secundo Juliano, currenti nempe, incipiunt.* Sed abutitur sua in Chronologicis peritia solers ille Temporum Arbiter. Nec satis est mittere vocem contra aliquem *seu perperam* ore tonando, ut arguatur erroris. De hac lite capiam lubenter Epiphanium Arbitrum. Quid senserit Sanctus ille Pater vincit insignis ille locus de *mens. & pond. p.* 169. Αὔγουστος ἔτη νϛ. ἐξ οὗ πρὸς ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς κατὰ σάρκα γεγένηται. *Augustus regnavit annos* 56. *cujus Anno* 42°. *Dominus noster J. Christus secundum carnem natus est.* An ejus Regnum

Pagius Ap. par. n. 69.

num quinquaginta sex annorum terminis includitur, si a percusso Cæsare Anno Juliano secundo initium fiat? Quicunque sane a secundo Juliano ortum repetunt Augustei Regni, illi cum Josepho annos *quinquaginta septem*, *menses sex*, colligere debent, non 56. Annus ille Augusti 42. apud Epiphanium Coss. habuit *Augustum* 13°. *& Silanum*, *secundum quos extitere Coss. Lentulus & Piso*. Quamobrem qui 42[us] Augusti annus dicitur Epiphanio, quadragesimus tertius putatur ab Erudito Pagio, nisi quod hic a Juliano secundo ortum Augusteæ Epochæ dixit; ille autem a tertio, Hirtio Pansaque Coss. alioquin non quadraginta duo Coss. paria, sed 43. suppeterent Epiphanio?

Dum rationes propositæ rei persequor, latius mihi prospicienti se Paulus Orosius offert, quem a Juliano tertio initium Augustei
Orof.l.7.c.1. Imperii fecisse, mihi compertum. *Istius*, *inquam*, *Cæsaris posteaquam imperare cœpit*, *emenso propemodum anno 42. natus est Christus.*
Orof.l.6.c.30. Quæ cum his conjungi debent: *Anno ab Urbe condita*, 752. *Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem*, *a Septemtrione in Meridiem*, *ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis*, *Jani portas tertius ipse clausit... Igitur*, *eo tempore*, *id est*, *eo anno quo firmissimam*, *verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit*, *natus est Christus.* Si editi Christi annus est V. C. 752. Augusti 42. igitur imperare cœpit anno V. C. 711. Juliano *tertio*, non secundo. Excluso, quippe, emortuali Cæsaris, Summa 42. annorum colligitur. Nec ab Orosio dissidet Alcuinus, cujus tamen Chronologia miris modis est perturbata. Fictum etiam par Consulum *Sulpitii & Camerini*, Anno Augusti 42. Anno quidem V. C. 762. Christi nono, Sulpitius Camerinus Consul processit cum Sabino; Sed nec in duos Consules unus ille distrahi debuit, nec anno V. C. 752. Augusti 42. affigi.

Edita ab Illustri Scaligero Temporum Epitome e finibus justæ censuræ Paginanam exterminat. Ῥωμαίων δεύτερος ἐβασίλευσεν Καῖσαρ ὁ Σέβαστος Αὔγουστος, ὁ καὶ Ὀκτάβιος, ἔτη νϛ, μῆνας ϛ δώδεκα μὲν ἕως ἀνῃρέθη Κλεόπατρα. Huic Autori Christus Anno Augusti secundo & quadragesimo nascitur. An a Juliano 2°. Chronologiam incipit suam? An a morte Cæsaris ad Cleopatræ obitum anni 12. solum interfuere? Similiter Excerpta Chronol. a

Scaligero

Scaligero edita, p. 80. *Et ſumpſit Imperium Octavianus, qui & Auguſtus, anno* 56. *& dedit* 13. *Conſulatus.* Quicunque Regnum Augusti ſex quinquaginta annorum limitibus circumſcripſere, ab eo plurimum abſunt ut a Juliano ſecundo inceperint; in his Urſpergenſis profitetur & nomen ſuum. *Anno Dom.* 15. *qui eſt imperii Auguſti* 56. *Archelaus accuſatus ob inſolentiam, nono Regni ſui Anno, in Viennam ab Auguſto relegatus eſt... Eodem anno Auguſtus Nolam ingreſſus morbo capitur, & in Atella, oppido Campaniæ moritur.* Nolim tamen præſtare favorem huic Chronologiæ quæ mendis ſcatet quam plurimis. Quis enim ferat Augusti annum 42. dici ab V. C. 750.

De orta a percuſſo Cæſare Auguſtea Epocha Horatius Teſtimonium dicturus ab Annalium Parente inducitur l. 4. Od 14.

Nam ibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque; & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Melior Chronologia de victoria a Tiberio Druſoque in Rhetos dimicantibus relata, carmen Horatianum explicat: nec immerito, ut ex ipſo Horatio comprobatur:

Ut Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu.

Aures Dioni præbeamus. *Druſus Rhætos apud Alpes obviam ſibi factos* Dio. l. 54.
διαταχέων ἐτρέψατο, *cito fudit. Deinde, cum ab Italia rejecti Rheti nihilominus Galliam urgerent, Tiberium quoque contra eos miſit. Proinde Druſus ac Tiberius ſimul multis locis in Rhetiam irrumpentibus, Legatorum opera, ac ipſe etiam Tiberius per lacum navigiis ſubvectus, exterruerunt Barbaros; diſſipatosque aggreſſi* οὐ χαλεπῶς, *haud difficulter deleverunt.*

Nonnulli præterea ſunt in Chronologia Pagiana nævi, non imperitia quidem Conditoris, ſed obrepente ſomno; Sed qui nihilominus ante tolli debent quam alio ſe convertat oratio. Anno

Christi 3°. de numismate Cneji Sentii Saturnini : *Annus*, inquit, *Antiochenus* 35. *his Characteribus exprimitur* ετ. ελ. *Quæ Epocha ab Anno urbis* 723. *seu ab Actiaca victoria deducta*; *ideoque annus ille Antiochenus*, 35. *currenti Christi anno inchoatus*. Navalis ad Actium victoria contigit die 2ª. Septembris, Julianæ editionis. 15. An igitur a secunda Septembris, anni V.C. 723. ad 756. qui Anno Æræ Christianæ tertio illigatur, triginta quatuor anni interfuere? Trigesimus ille quartus in quadragesimum nonum Julianum Christi 4. V. C. 757. die Septembris secunda completur. Itaque *non currenti Christi tertio*, *sed* 4°. inchoatus ille Antiochenæ Æræ annus 35.

Expugnatam sexto Kal. Aprilis Alexandriam Conditor Annalium memorat, Appar. n. 104. *Sexto Kal. Aprilis esse debellatam notatur in Fastis:* Quæ meritas dant censuræ pœnas. Debellatæ Alexandriæ mensem Macrobius & Orosius ab oblivione vindicarunt. Macrobius Saturnalium 61. c. 12. *Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili*, *& primum Consulatum injerit*, *& Ægyptus hoc mense in potestatem Populi Rom. redacta sit*, *finisque hoc mense bellis Civilibus impositus sit*, *atque ob has causas hic mensis huic Imperio felicissimus sit ac fuerit*, *placere Senatui ut hic mensis Augustus appelletur. Idem Plebiscitum factum ob eandem rem*, *Sexto Pacubio Tribuno plebis rogante*. Similiter Orosius qui Antonii fugam Kal. Sextilibus illigavit lib. c. 17. *Kalendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad instruendam Classem in portum descenderet*, *subito naves ad Cæsarem transierunt*, *cumque unico præsidio spoliatus esset*, *trepidus se cum paucis recepit in Regiam. Deinde*, *imminente Cæsare*, *turbataque Civitate*, *idem Antonius sese ferro verberavit*.

Quo, porro, die victor Augustus Alexandriam ingressus sit, ratione probabili ex Orosio, cum Plutarcho collato, colligitur. Kalend. Augusti violentas sibi manus Antonius attulit : mittitur ab Imperatore Proculejus vivæ in potestatem redigendæ Cleopatræ : illa cum Proculejo colloquium habuit, qui, omnibus Cæsari nuntiatis, rursus accedit ad Cleopatram, quæ servanda committitur Epaphrodito, Liberto Cæsaris. Ἀυτὸς δὲ Καῖσαρ εἰσήλαυνεν εἰς τὴν πόλιν Ἀρείῳ τῷ φιλοσόφῳ προσδιαλεγόμενος, καὶ τὴν δεξιὰν ἐνδεδωκώς. *Cæsar autem urbem invectus est cum Ario philosopho colloquens*, *dextraque*

que eum tenens. Quibus accurate perpensis vero propius abest Cæsarem Alexandriam intrasse 3. Augusti die, cum fata Cleopatram inter & Proculejum colloquia pene diem consumpserint. Unde sæpius subit animum cogitatio quamobrem Epocha Augustei Imperii Actiaca a Sextilis 29. deducatur. Τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω ἀγαθήν τε εἶναι καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι. Dio l. 51. *Diem quo capta fuit Alexandria festum esse censuerunt Patres, ab eoque reliquis annis initium sumendum Ægyptiis.* At citius vigesima nona Augusti die captam fuisse Alexandriam, nemo non videt. An factum a defuncta Cleopatra Æræ initium? Hic aquam mihi hærere necesse est.

Vitium intercalationis obscurius a Baronio commemoratum est. *Pansa & Hirtio Coss. intercalari cœpit, non sequente, qui quartus erat ab emendatione.* Appar. n. 28. Macrobium audire præstat; *Et ne quadrans deesset, Cæsar statuit ut quarto quoque anno Sacerdotes, qui curabant mensibus ac diebus, unum intercalarent diem; eodem, scilicet, mense ac loco quo etiam apud Veteres mensis intercalabatur, id est, ante quinque ultimos Februarii dies; idque bissextum censuit nominandum.* Caulas erroris aperuit ipse Macrobius quas tenebris Baroniani Annales obscuravere. *Ac Sacerdotibus novus ex ipsa emendatione error factus est. Nam cum oporteret qui ex quadrantibus confit quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus intercalati sunt dies 12. cum debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos 12. sine intercalari die transigi jussit, ut illi tres dies qui per annos 36. vitio Sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis 12. nullo die intercalari devorarentur.* Macrob. Saturn. l. 1. c. 14. Ex quibus apparet & promptum est a vero lapsum esse Baronium in scribendo *intercalari cœpisse, Hirtio Pansaque Coss.* quo concesso non 4°. Juliano, sed tertio, intercalassent, recta contra Cæsaris legem committendo.

ANNO XXXVII. NUM. III.

De imperata ab Augusto totius Orbis Descriptione. Quid apud Lucam πᾶσα ἡ οἰκουμένη? Ingeniosa Eruditi Binæi

Binæi explicatio ad examen revocatur. An solum Orbem Israeliticum Divinus Scriptor designarit. Rationes dubitandi. 1°. Quod N. Testamenti Scriptores hanc phrasim nunquam adhibuerint designandæ Judææ: imo apud Lucam, 4. Act. 11. Orbem Romanum significat. 2°. Quod phrasis magnificentior est quam ut Regnum Herodis, centum milliariorum amplitudine minus, designet. 3°. Quod Edictum Augusteum ad Breviarium Imperii Rom. conficiendum pertinere videatur. An eodem momento Temporis Descriptio mandata, & executioni mandata? Cur silentio prætermissa sit, conjectura. 4°. Quod si descriptio in solo Herodis Regno peracta, æque magnam Josephi silentium movet admirationem, ac si ubique gentium Rom. Imperio facta sit. Josephi locum a Clariss. Binæo ad Descriptionem accomodavit, nec ad illam pertinere, & ea significare quæ Descriptioni antevertere.

CONstituta Imperii Augustei ex Patrum monumentis Epocha, cogitanti primum incidit percelebre illud Octavianum Edictum de Orbe Terrarum describendo. Uno omnium consensu, voce τῆς οἰκουμένης Imperium Romanum Augusto subditum a Luca indicari existimatum fuerat. Antonius Binæus, Vir Eruditissimus, in Libro de Natali J. Christi nuper edito, opinionem pervulgatam tentavit evertere regnis: sententiæque suæ Comitem laudat Doctissimum Keuchenium, Arenaci Præconis Evangelici munere fungentem. Cum in librum Binæanum incidissem non potui non adjungere laudes industriæ simul & eruditioni qua Lucæ πολυθρύλητον locum tractat, nec ingratum spero Clarissimo Viro, si ejus explicationem meis ponderibus examinavero. *Facile*, inquit, *in animum induco meum per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην tantum intelligendum esse totam Regionem quam isto tempore sub Imperio suo habebat*

habebat Herodes. Hisce porro argumentis explicationem viriliter defendit suam. *Vocabulum* ארץ *Lxx. Interpretes passim quidem* γῆν, *aliquando tamen reddunt* οἰκουμένην, *atque inde* כל הארץ *modo* πᾶσαν τὴν γῆν *vertunt, modo* πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *vel* τὴν ὅλην τὴν οἰκουμένην. *Priorem locum apud Esaiam* 13. 5. *interpretati sunt in hunc modum :* ἔρχεσθαι ἐκ γῆς πόῤῥωθεν ἀπ' ἄκρου θεμελίου τοῦ οὐρανοῦ Κύριος, καὶ οἱ ὁπλομάχοι αὐτοῦ διαφθεῖραι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *Posteriorem vero Esai.* 14. 26. Αυτη ἡ βουλὴ ἣν βεβούλευται Κύριος ἐπὶ τὴν ὅλην οἰκουμένην. *Hanc loquendi rationem secutum esse Lucam existimo, ac* πᾶσαν τὴν οἰκουμένην *dixisse, ad designandam totam Regionem Israeliticam...* πᾶσαν τὴν οἰκουμένην *non alio sensu intelligere par est, quam quo* πᾶσαν τὴν γῆν *Lucas dixit inferius c.* 4. 25. ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Atque hinc colligit, *hæc opinio si admittatur, tollitur omne dubium qui* ἀπογραφῆς *illius Oecumenicæ, id est, universi Imperii Rom. cujus Lucam meminisse Indocti Doctique existimant, passim nulla reperiatur mentio in Historia Romana.* Ant. Byn. de Natal. Christ. l. 1. c. 3.

Una, ni fallor, causa hæc est, cur communi sententia decedens, in novam Vir Eruditus descenderit, quæ si nil solutionis afferat difficultati, quamobrem antiqua opinione repudiata, recenti adhærescamus, nullus video? Ut, porro, fundamenta hujusce explicationis quæ aliqua veri specie sese commendat, in stabiliori loci jaciantur, non occultabo subdubitationes & aculeos qui me vellicant & pungunt, quique in explicationem invadunt. Phrasim quod attinet, abhorret a consuetudine Novi Testamenti, ut sola Israelitarum Regio πάσης τῆς οἰκουμένης nomine donetur, nec ullis exemplis ejusmodi phrasis non modo firmari potest, sed & constat ex ipso Luca id verbi Orbi Romano designando semper in Novo Testamento accomodari. Agabus significavit per Spiritum famem magnam futuram ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην; *in toto terrarum Orbe.* Act. 11. 28. Similiter Lucæ 4. 5. Dæmon ostendit *Christo omnia Regna* τῆς οἰκουμένης, *terrarum Orbis.* An Israelitici? Imo *Romani* gloria circumfluentis, qua vehementer animus commoveri posset. Solemne quidem est Autoribus Sacris N. Testamenti Orbem Israeliticum voce τῆς γῆς designare, ut Matth. 27. 45. Nec mirum cum γῆ *Regionem* apte significet. Sed πᾶσα ἡ οἰκουμένη nescio quid sibi majestatis vindicat, cujus vis læditur si soli Orbi Israelitico designando adhibeatur.

beatur. Annon durum esset auribus Herodem Judææ Regem impositum, unum πασῆς τῆς οἰκυμένης Monarcham appellari? Qua, vero, de causa phrasim, qua nec Lucas nec Apostoli usi sunt, quæque peregrini nescio quid complectitur, semel usurpasset? Sed & nescio an ullum afferri exemplum possit quo πᾶσα οἰκυμένη Regionem centum milliariorum amplitudine minorem solum significet. Patriarchæ quidem audiebant Oecumenici: Synod. Constant. 6. Act. 18. κατεμαχήσατε τῷ ξιάρχῃ τῷ ἱεράρχῃ καὶ οἰκυμένικῳ Πατριάρχῃ. Et in Florentina Synodo, *Joseph miseratione divina Constantinopolis, & nova Romæ Archiepiscopus, ac Oecumenicus Patriarcha.* Similiter Babylonico imperio Lxx. imponunt nomen τῆς οἰκουμένης. Sed & Patriarchæ, & Reges Babylonis, sua sub ditione multas Regiones tenebant; Imperium vero Herodis Magni arctioribus limitibus circumscribebatur, quam ut splendido insignique πάσης τῆς οἰκουμένης Titulo donaretur. Atque in dubitationem venit an Esaiæ 14. 26. Terram Israeliticam Lxx. intellexerint. Αὕτη ἡ βουλὴ ἣν βεβούλευται ὁ Κύριος ἐπὶ τὴν οἰκουμένην, αὕτη ἡ χεὶρ ἡ ὑψηλὴ ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη. Cum veri vestigiis non absit οἰκουμένην & πάντα ἔθνη Lxx. Interpretibus fuisse prorsus ἀντίστροφα. Verum, ut ita sit, atque solum Orbem intellexerint Israeliticum, Clarissimo Bynæo probandum est, Lucam hanc loquendi rationem secutum esse, phrasi & impropria & dura in locum familiaris & pervulgatæ substituta.

Præterea, gravi quidem de causa Augustus, qui multa Herodem Benevolentia complectebatur, Edictum de Orbe Judaico describendo promulgavit. Nec cogitatione animoque ulla ratio magis idonea fingi potest, quam quod numerum hominum, quo abundabat Regnum Herodis, tenere voluerit, conficiendo Orbis Breviario, quo Augustus vires Imperii complexus est, de quo sic Historia. Illati sunt in Senatum libri quatuor quos Drusus recita-
Dio. l. 56. vit. Τὸ τρίτον τά τε τῶν στρατιωτῶν καὶ τὰ τῶν προσόδων τῶν τε ἀναλωμάτων τῶν δημοσίων τό τε πλῆθος τῶν ἐν τοῖς θησαυροῖς χρημάτων καὶ ὅσα ἄλλα τοιουτότροπα ἐς τὴν ἡγεμονίαν φέροντα ἦν εἶχε. *Tertius summam militum, redituum, impendiorum publicorum, pecuniæ in Thesauris, aliaque id genus ad Principatum pertinentia, indicabat.* Dioni consentit Suetonius de Breviario, etsi de numero librorum dissentiat, c. 101. *Tertio Breviarium totius Imperii, quantum militum sub*

sub signis ubique essent. Eo pertinere imperatam ab Augusto Judææ Descriptionem obstinate non est negandum. Quo consequens est, non soli Judææ, sed & toti Imperio datum in mandatis ut Descriptio ubique fieret, absque qua Breviarum Imperii condi non potuit. Hæc igitur Lucæ; *prodiit Edictum a Cæsare Augusto ut describeretur totus Terrarum Orbis*, aperiunt occasionem quamobrem & Judæa Descriptioni fuerit obnoxia, cum veluti Romani Imperii pars esset, cujus Reges ab Imperatoribus creabantur, atque confirmabantur. Hinc intermitti admiratio debet, cur explicata planissime ab Historicis non fuerit Descriptio totius Orbis, jubente Augusto, facta: quippe quæ eodem temporis momento nec imperata, nec executioni mandata fuit; arcanis forsan jussis præscripta Prætoribus, Proconsulibusque quos Augustus Provinciis imposuerat; qua de causa Breviarium Imperii non innotuit, nisi defuncto Augusto. Affirmat pro certo Eruditus Bynæus, *Edictum Augusti jussisse, ut uno eodemque tempore describeretur πᾶσαν quam nominat οἰκουμένην.* Sed illud de nolentibus vix extorquebit. Vix sane fidem inuenit, quod Temporis momento Edictum Augusteum de toto Orbe describendo fuerit emissum: & phrasis Lucæ, *factum autem est diebus illis*, latissime patet, nec unum idemque tempus indicat. Judic. 21. 23. *Diebus vero illis nullus Rex erat in Israel.* Matth. 3. ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις: *Temporibus illis*, quod pluribus exemplis firmare posset; sed piget oleum operamque perdere in ea re quæ in confessum venit. Quid; si concessero Edictum Octavianum uno eodemque tempore fuisse promulgatum? Satisne conclusum videretur, *totum terrarum Orbem* unum Herodis Regnum designare?

Explicationem Bynæanam de imperata ab Augusto Descriptione Josephi silentium æque magnis, si non majoribus, difficultatibus afficit, ac communem pervulgatamque sententiam. Omnium movet admirationem, quod accuratus Historicus de celeberrima ἀπογραφῇ ne verbum quidem dixerit. Crescit admiratio si Orbi Judaico peculiaris fuerit, cum tanto magis casus ille extraordinarius & solis Judæis communis, memoriæ mandari debuerit. Latentes silentii causas tentat aperire Vir Eruditus. p. 309. *Ipsum Josephum quoque non meminisse hujus ἀπογραφῆς dici potest inde factum, quod Augusti quidem jussu, sed ab Herode, ut Socio Romanorum, non ὑπηκόῳ*

 peracta,

peracta, nil habuit memorabile. At, ut variant ingenia! Descriptioni inesse plurima memoratu digna, mihi persuasissimum: sive quod solemni Edicto Imperatoris agitata; sive quod omnes cum viri, tum mulieres, in suam quisque urbem describi debuerint, quod non sine insolitis totius Herodiani Regni motibus peractum est. Quid erit memorabile si hoc non est? Quam multa in Annales a Josepho relata sunt, quæ præ simili Descriptione vilescunt? Pergit Doct. Bynæus: *Verisimile admodum est mentionem hujus ἀπογραφῆς apud Josephum fieri, ubi narrat circa ultima Herodis tempora, in qua Natalis Christi incidit, novo Sacramento Judæos omnes, non Herodi Regi suo tantum, sed & Cæsari Augusto suam firmasse fidem ac benevolentiam fuisse coactos, quod in ἀπογραφῇ & exigi potuit, & præstari,*

Joseph. Ant. l. 17. c. 3. Quod Viro Clar. *verisimile admodum est*, ut sic Chronologis videatur, valde dubito. De Pharisæis hæc Josephus: *Παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαικοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων ἦ μὴν εὐνοῆσαι Καίσαρι καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασι, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχιλίοι. Nam, cum tota gens Judæorum fidem obligasset Regi & Cæsari, hi soli non juraverunt, excedentes sex millium numerum.* Regibus quidem imperium adeuntibus obsequium jurare solemne est subditis. Moris etiam est renovare Sacramentum in nomen Principum, postquam discordia motus attulit Reipublicæ. Cessante harum causarum officio, subditos adigi Sacramento inauditum in omni memoria. Quocirca, de juramento a Judæis Cæsari Herodique præstito cum Regno ab Augusto confirmatus est, Josephus sit intelligendus, quod tunc ab eo proditum ut germana occasio benevolentiæ Pharisæorum erga uxorem Pheroræ aperiretur. Certe Descriptio peragitur absque Sacramento, & juramentum dicitur absque Descriptione, ut nulla causa sit quamobrem ex juramento Descriptionem cum Erudito Bynæo colligamus. Sed etiam atque etiam observandum, ea quæ a Josepho narrantur de Pheroræ cum Herode rixis, missioneque Antipatri ad Augustum, antevertere & Descriptioni, & Natalibus Dominicis. Agebat Romæ Antipater,

Joseph. Ant. l. 17. c. 4. Saturnino Syriam administrante, teste Josepho. *Καὶ Σατουρνίνου δηλώσεως αὐτοῖς πάντων ὑπὸ Ἡρώδου γενομένου εἰς Ῥώμην ἐξέπεμπεν αὐτούς. Quos omnes apud se delatos, Romam judicandos & puniendos misit,*

sceleratos

ſceleratos qui conjuraverant in Regem: Saturninus autem Romam rediit, Anno V. C. 748. Juliano 40. cum Varus, cui Saturninus deceſſit, Hieroſolymam ante ſe contulerit, quam judicium in Antipatrum conſtitueretur. Proindeque ſequeretur ex Bynæana conjectura, peractam fuiſſe ἀπογραφὴν ante Julianum trigeſimum nonum; quæ nemini Chronologorum probabuntur. Idcirco, nullo modo veriſimile eſt, quod Vir Doctus exiſtimat mentionem hujus ἀπογραφῆς apud Joſephum fieri, Ant. l. 17. c. 13. Quibus concludam atque perorabo, ſilentium Joſephi non ad minorem nos traducere admirationem, ſi Deſcriptio ab Auguſto præſcripta exiguis Judææ Herodiani Regni terminis circumſcribatur, quam ſi Orbem Romanum complexa ſit.

Hoc addit Vir Clariſſimus, quod ejus explicatione admiſſa, *tollatur omne dubium* cur nulla mentio ἀπογραφῆς reperiatur in Hiſt. Romana. Difficultatem non nihil decreſcere, ſi dixiſſet, non invitus paterer. Sed, vel conceſſo πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, nil niſi Regnum Herodis Magni ſignificare, ideo dubium non eſt habendum in levi, Edicto Auguſteo amplam ſatis materiam præbente Hiſtoricis Rom. Deſcriptioni Orbis Iſraelitici ſuos in Annales referendæ. Quam multa tradidere Hiſtorici Rom. præ Auguſteo Edicto levia? Tacitus rixas Cumani cum Felice memoravit. *Atque interim Felix intempeſtivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars Provinciæ habebatur.* Memoravit & Dio cum Herodem Tetrarchiæ Zenodori ab Auguſto fuiſſe donatum; Τῶτε Ἡρώδῃ Ζηνοδώρε τινὸς Τετραρχίαν ἐχαρίσατο: tum Archelaum trans Alpes fuiſſe relegatum. Æque ampla ad dicendum materia fuit Cæſaris Edictum quo non ignobile Regnum Regis & magnifici, & Imperatori chariſſimi deſcribi juſſum eſt. Quæ ſi memoratu non ſunt digna, neſcio quæ felix ſit in Annales materia. Itaque efficiet & nobis admirationem Romanæ Hiſtoriæ ſilentium, eoque magis ſi Reſcriptum Auguſteum publicas in Tabulas relatum fuit. His de cauſis ſubit animum cogitatio δόγμα Ἀυγούςε præſcriptionem fuiſſe Imperatoris Proconſulibus, Prætoribusque per Epiſtolas denuntiatam, ut numerus incolarum Romani Orbis iniretur; conficiendo Breviario de quo Auguſtus cogitabat. Herodemque, cognita Imperatoris voluntate, Regni Judaici, cui præerat, imperaſſe

Tacit. Annal. l. 12. c. 11.

Dio l. 55.

Descriptionem, ut pergratum Cæsari faceret. Hæ sunt illæ subdubitationes, hi scrupuli quibus mens se ab assensu sustinet circa Bynæanam explicationem, quam tamen; ut ingeniosam, multisque eruditionis ornamentis affectam, dubita laude non fraudabo.

ANNO XXXVII. NUM. III,

De ἀπογραφῇ jubente Augusto peracta. Sententia Scaligeri. An bis Quirinius in Judæam missus peragendæ Descriptioni? Viri Illustrissimi sententia validissime a Valesio, nec immerito impugnata. Eruditissimi Hueti Suessonum Præsulis opinio, ad examen revocata. Nec aliis opinionibus simpliciorem esse, nec sese angustiis facilius expedire ostenditur 1°. Quod nullis argumentis nititur illa diuturnitas quam Censui peragendo contribuit. 2°. Quod Suetonius Census nomine Judæam non complexus est. 3°. Quod maximas a Chronologia patiatur difficultates. 4°. Quod unam Judææ Descriptionem Saturninum inter & Varum dividat. In verbis Lucæ Cyrenium esse retinendum, nec pro illo restituendum sive Saturninum, sive Quintilium, contra Viros Clar. Huetum, Valesiumque, probatur. An Saturninus Quirino subordinatus Censui peragendo? Affirmantis Doct. Antonii Pagii sententia compluribus argumentis refellitur. Quam rejecit Lucæ explicationem Casaubonus, verosimillima. Geminæ Descriptiones: prior a nullo Præside Rom. posterior a Quirinio executioni data. Errores Valesii, Petavii, Scaligeri, refelluntur ex Josepho. Demonstratur contra Petavium Quirinium in agendo Censu Præfectum fuisse ordinarium: contra Scaligerum, non solam Archelai Tetrarchiam, sed & Syriam Descriptioni Quirinianæ fuisse subditam.

An

An Saturninus Syriæ Præfectus, cum Descriptio, nascente Christo, facta est? Affirmantium Petavii, Pagiique Chronologia rejicitur. Verosimilius Varum administrasse Syriam. Ex silentio Josephi, rationibus probatur Lucæ de Descriptione narrationem in dubium non esse adducendam.

DE Descriptione ab Augusto imperata incidimus in difficilem nodum, cui expediendo multum laboris impenderunt Eruditi. Magnam affert difficultatem, cum Josephi de hac Descriptione silentium; tum Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 19. *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus Christi inquirere possent.* Hinc non una crux figitur ingenio. Solvendæ difficultati Magnus ille Scaliger. *Bis*, Scalig. Anim. in Euseb. 175.
inquit, *Quirinius a Cesare in Palæstinam missus est, idque ad eandem rem, sed non ex eadem causa. Nam tam antea, Christo nascente, quam post, Archelao Tetrarchia abdicato, ad ἀπογραφὴν faciendam missus est; sed, ut dixi, varia ex causa: prioris ἀπογραφῆς causa, ut non tam in Judæa, quam in toto Orbe Romano, omnes describerentur; ut quot & quantos delectus ad bellum Populus Rom. facere posset, tam ex Provinciis Populi Rom. quam ex Sociis, Regibus, & Civitatibus, sciri posset. Posterioris ἀπογραφῆς causa intra unius Archelai Patrimonium & Tetrarchiam stetit, neque ad alias Provincias pertinuit. Ideo Sanctus Lucas non contentus est dicere αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, sed cum duas ἀπογραφὰς sciret fuisse addidit, πρώτη. Certe, si est πρώτη, ergo quædam fuit δευτέρα: & sane τῆς δευτέρας meminit idem, Act. 5.32.*

Hæc sunt Illustrissimi Viri, aliorumque bene multorum, quibus se ductorem præbuit, fundamenta. Verum, pace sua, male jacta sunt. Nec enim πρῶτος necessario ad secundum refertur, nisi simili de causa Christo ex Beata Virgine fratres natu minores fuisse velimus. Quia diserte πρωτότοκος dicitur a Matthæo. Locus vero quem Lucas Scaligero fœneravit, ejus sententiam evertit: *Exortus est Judas ille Galilæus, temporibus Descriptionis.* Unius, non geminæ ἀπογραφῆς mentionem Gamaliel agitat. Quam si duplicem

novisset

novisset, administrante Quirinio, simplex ἀπογραφῆς nomen non usurpasset, sed faciendo discrimini suum epithetum addidisset, exortus est Judas ille Galilæus, temporibus *ultimæ Descriptionis.* Strenue Scaligerana sententia impugnata est ab Erudito Valesio. *Primo enim Quirinium bis missum fuisse oportet Legatum in Syriam, bis ad eandem rem, videlicet, ad census agendos: primum quidem circa ortum Christi: deinde vero, decem circiter post annis, cum relegatus fuisset Archelaus; atqui non est probabile eundem hominem bis missum fuisse ad regendam Provinciam. Certe Josephus, diligentissimus Scriptor, cum Quirinii adventum in Syriam ac Judæam narrat, eum jam antea in Syriam venisse non dicit, nec Descriptionem aut ab illo, aut ab alio quopiam Romano judice jam antea factam fuisse. Quod si jam facta fuerat Descriptio, cur iterum fit per eundem Virum? Nam, si recte & sine fraude facta fuerat, novam facere nihil necesse erat: Si male & inique facta, alium mitti oportebat, qui æquiorem faceret Descriptionem. Præterea, prior illa Descriptio quomodo fieri potuit a Magistratu Romano, Regnante Herode; cum Herodes optimo jure Rex esset Judææ a Senatu appellatus; nec jus esset Magistratui Romano quicquam in Judæa pro Imperio agere, quandiu Rex Herodes vixit.*

Fama Clarissimi Hueti, Suessonum Episcopi, eruditione quam infula longe nobilioris, postulat ut ejus opinionem nominatim perstringamus, atque attingamus. *Si quis nostrum hanc opinionem* (verba sunt Demonstrationis) *cum aliis omnibus hactenus propositis contendat longe simpliciorem esse, angustiisque longe sese expedire facilius, & minus sibi permittere reperiet.* Videamus quibus argumentis Vir Doctissimus dictis suis fidem quæsiverit? *Censum Romani Imperii ter actum fuisse testificatur Suetonius... secundum, Marcio Censorino, & Asinio Gallo Coss. Anno nimirum Juliano 38... Ajo secundum hunc Censum eum esse qui cum ageretur, natum Christum Lucas refert. Sciendum enim est rem fuisse Censum diuturnioris operæ, quaque in plurium annorum spacium excurreret. Cum Davidis jussu Ebræos percensuit Joab, decem prope menses in eam insumpsit, quamvis in Censum non venerint Levitæ, & Benjamitæ. Facile ergo crediderim ab Anno Juliano 38. cœptum hunc Censum, ad Christi usque ortum perseverasse... Si meditullio Imperii percensendo tribuamus quadriennium, Censum agi cœptum in Syria dicemus eo anno qui postremus fuit Saturnini. Cum*

Huet. Dem. Pro. 9. c. 11. n. 3.

autem

autem res abiret in diem, videtur excessisse Magistratu ante absolutum Censum, ejusque curam Successori suo P. Quintilio Varo reliquisse — Omnes igitur omnino extricaverimus difficultates, si apud Lucam pro Κυρηνίȣ, *legamus* Κυιντιλίȣ: *quod facile patitur similitudo nominum, & characterum affinitas.* Hæc est illa opinio omnibus longe *simplicior*, quæque angustiis *longe sese expedit facilius.*

At, meo quidem judicio, illa opinio aliis *longe simplicior* non est, quæ multa collocat fundamenta quorum una ratio *αυτος ἔφα:* nec sese angustiis expedit facilius, quæ se maximis difficultatibus involvit. 1. Confesso Censum rem diuturnioris operæ fuisse, quæque in plurium annorum spacium excurreret, satis-ne conclusum videtur Censui eam esse affigendam diuturnitatem quam Demonstrationis Parens ei contribuit? Atqui ex acto Regni Davidici Censu qui menses 10. consumpsit, servata proportione Census Romani Orbis amplius annos quinque perdurare debuit. 2. Suetonius verbis suis, *Censum populi ter egit Augustus*, Judæos nomine populi complexus est, nec-ne? Si complexus est, ter igitur Census Judæorum ab Augusto institutus est, quod vix invenit fidem: si non complexus est, quas Demonstratio Huetiana adhibebit machinas applicando Suetonio ad Judææ *ἀπογραφὴν*? Equidem, si verum volumus, hæc, *Censum populi ter egit* Augustus, unum eundemque populum, easdemque Orbis Regiones indicant. Tum in *ἀπογραφῇ* quæ Anno ortus Dominici peracta est, nulla Census vola, neque vestigium. Sed his præcipue non immoror. Oro atque postulo Clarissimi Præsulis industriam, quam scio longe maximam esse, ut ab angustiis Chronologiæ sese expediat; nam Labyrinthum exire viribus meis editius est. Annus Julianus 38. quo labente Census secundus institutus est, incidit in annum V.C. 746 Solis 2. E. L. 13. Atqui scribente Viro Clar. Q. Sentius Saturninus, Vir Consularis, Præses in Syriam missus est circa hunc ipsum Julianum 38. Syriamque per quinquennium circiter rexit. Ultimus, igitur, Præfecturæ Saturninianæ annus est V. C. 750. Julianus 42. Calvisii Sabini & Lucii Passieni Rufi Consulatu insignis. Quo consequens est, Christum ante Augusti quadragesimum, Julian. 43. in lucem non fuisse editum; quod veri vestigiis abesse multis probabimus.

Præterea, apparet ex numis Varum impositum esse Syriæ Præsi-

 dem

dem, An. V. C. 748. Juliano 40. quod ab Erudito Pagio in Apparatu Chronologico ad Annales Baronianos fuit observatum; an period. Græco-Rom. 5488. n. 137. p. 33. *Scripsit ad me Norisius extare in scrinio Illustrissimi Marchionis Riccardi, nummum minimæ magnitudinis, caput Jovis in antica repræsentantem, in cujus postica habetur, επι ϰαρꞵ Αντιοχεων. Mulier sedens pede super figuram Orontis fluminis, tenens dextra palmam, & in medio, εκ, id est, Anno* 25. Jam vero, Si Varus Anno Juliano quadragesimo Syriæ præfuit, ex ea re quid fiat viderit Eruditissimus Præsul qui ultimum Saturnini quadragesimo secundo Juliano illigavit. Omissis numis, an verosimile Descriptionem Judææ Saturninum inter atque Varum esse dividendam, quippe quæ exiguam temporis moram exhauserit. Tanta, quidem, celeritas festinatioque est adhibita, ut Virgo, cujus partus erat in procinctu, sese cum Josepho Bethlehem contulerit; quod dubio procul & prægnantibus bene multis contigit. Nec longinquitate temporis opus fuit, ut audito Cæsaris Edicto, in suam quisque urbem iret describendus, cum finibus exiguis Regnum Herodis contineretur. Nec dandum est aliquid loci mutationi Sacri Textus, quæ nullam habet necessitatem, ut *sic recudatur totus ille versiculus Lucæ*: αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυινλίου. Sed insuper unum obest conjecturæ, quod ut mea memoria est, nusquam ab Historicis Præsidis hujusce nomen sic editum, ut *Quintilius* simpliciter vocetur; Dio l. 56. p. 582. ἐπεὶ δὲ ὁ Οὔαρος ὁ Κυιντίλιος μετὰ τὴν τῆς Σύρων ἀρχὴν τὴν τε ἡγεμονίαν Γερμανίας λαβών. *Ubi vero Quintilius Varus Germaniæ, post administratam Syriam, Præfectus.* Passim, quidem, nomine Varus dicitur ab illo ipso Dione, p. 583. Josepho de Bello. l. 1. c. 20. ab Augusto, *Vare redde Legiones*: a numis Οὐαρου: nunquam, ni fallatur memoria, *Quintilius*, absque additamento dicitur. Unde lubens quærerem qua de causa Lucas phrasim insolentem, ab omnique usu abhorrentem adhibuisset in scribendo Κυινλίου, non Οὐάρου, aut Κυιντιλίου Οὐάρου? Hæc sunt quæ in Viri Magni opinionem nominatim dicenda habuimus, ne spretam aut neglectui habitam forsan quereretur.

Vales. Annot. in Euseb. p. 19. Textus Lucæ faciendam esse mutationem statuit quoque Clarissimus Valesius: *Ac mihi, quidem, videtur error in textum Lucæ irrep-*

irrepsisse in Quirinii nomine, & pro Quirinio restituendum esse nomen Sentii Saturnini. Hic enim Præses fuit sub finem Regni Herodis, teste Josepho. Certe Tertullianus in lib. 4. adversus Marcionem, Census in Judæa actos scribit per Sentium Saturninum. Ex quo apparet Tertulliani tempore quosdam in Evangelio Lucæ, pro Quirinio Saturninum legisse. En, quo præjudia vel peritissimos perducant? Viderint tamen quibus formis Sacros Codices illi induant, qui licentiam mutandi sibi permitti volunt. Si Valesium sua non decepit conjectura, pro *Quirinio* restituendum est nomen *Sentii Saturnini*; si Huetus non fallatur animi, legendum est Κυινλλίȣ nomen. Itaque Valesiani Codices & Huetiani, inter se plurimum different. Sed, nec sic exorbent difficultatem, sive *Quintilii*, sive *Saturnini* nomen restituerint. Hem! Descriptionem Censumve factum Judææ a Magistratu Romano, regnante Herode, amico Cæsaris, socio fœderatoque Populi Romani, ac plenum jus habente in subditos. Numquid ejusmodi Descriptio, abdicata Herodi Regia dignitate, Regnum ejus in Provinciam Imperii Romani mutasset? An ullus Legatus Rom. quoad Herodes vixit, munus aliquod in Judæa exercuisse legitur?

Doctissimus Antonius Pagius, Appar. n. 120. nodum sic expedit. *Cum vero Quirinius, Vir Consularis, id temporis in Oriente degeret, ac Bellum contra Homonodenses feliciter confecisset, eundem in Syriam cum extraordinario imperio misit Augustus, ut tum ibidem, tum in Judæa; quæ gens erat socia & amica Pop. Rom. Censum perageret. Quamvis vero eo anno Sentius Saturninus Syriam administraret, Quirinius ob recentem victoriam tota Asia celebratus, Descriptioni faciendæ præpositus fuit --- Sentiusque ea in re exequenda Quirinio erat subordinatus.* Quæ solutio & ab Eruditissimo Spanhemio comprobata est, Dub. Evang. p. 2. Dub. 6. At semper aqua hæret. Phrasis Lucæ ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίȣ: *Præsidente Syria Cyrenio*, Præfecturam ordinariam significat. Sic capite sequenti; ἡγεμονεύοντος; *Pontio Pilato procurante Judæam*. Matt. 2. 6. Tu Bethlehem nequaquam minima es ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, inter Duces Judæ. Præterea, nulla sunt de Præfectura Cyrenii extraordinaria ex Annalium monumentis testimonia. Pulso Archelao, Quirinius a Cæsare Augusto missus est in Syriam, ut jura populis redderet; venit quoque in Judæam, jam attributam Syriæ, ut percenseret facultates Judaicas, & Archelai pecunias in potestatem re-

 dige-

digeret. Hic de extraordinaria Legatione Sulpitii Quirinii mentio agitanda fuit, cujus Josephus prorsus insolens. Deinde, quid causæ fuit quamobrem Sentio Saturnino, Viro & Consulari, & moribus animi quam muneribus longe clariori, in agenda Descriptione socius adderetur. An huic oneri ferendo impar Saturninus? An æquum fuit Saturninus, qui antiquitate Consulari Quirinium vincebat, illi in condenda Descriptione subjiceretur? Laudibus Saturninus non modo cum Quirinio certabat, sed & illustrioribus celebrandus fuit, teste Paterculo. *Tum Sentius forte & solus, & absente Cæsare Cos. cum alia prisca severitate summaque constantia, veteri Consulum more & severitate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam: juravit etiamsi Egnatius factus esset Consul suffragiis Populi, tamen se eum non renunciaturum. Quod ego factum cuilibet Consulum gloria comparandum reor.* Debuit-ne Vir ille insignis ob expugnatam a Quirinio per Ciliciam Homonadensium Castella, ei in Descriptione agenda primas partes concedere? Denique, non habet fidem quod regnante Herode a Præfecto Rom. Judæa descripta sit: itaque, nulla Descriptionis ab Augusto mandatæ commota est a Judæis seditio. Censum vero Quirinii moleste ferentes dolori suo indulsissent, nisi Joazaris Pontificis autoritate sapientiaque mitigaretur. Imo, *Judas Gaulonites, adjuncto sibi Sadduco, sollicitavit populos ad defectionem, Censum nil aliud quam manifestam servitutis professionem esse, dictitans.* Sic est, non potuit mitti Quirinius in Judæam, vivente Herode, quin ex Regia ejus dignitate decerperetur; quod nec Augusti æquitati, nec benevolentiæ qua Herodem complectebatur, consentaneum fuit. Nec Quirinio aut Saturnino hanc provinciam dari opus fuit, cum ipse Herodes, qui Augustum impensissime colebat, peragendæ Descriptioni valde idoneus esset.

Patercul. l. 2.

Joseph. Ant. l. 18. c. 1.

His motus argumentis in eam libenter descendo sententiam quam indicatam respuit Casaubonus. *Verba Lucæ hæc, πρώτη ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, exponit ille Autor Bavaricus, priusquam Præses esset Cyrenius.* Nec mihi ratio nota satis est, quamobrem illa interpretatio quæ Viro Magno nova non fuerat, quippe qui eam ante multos annos a Josepho Scaligero acceptam, in suis Adversariis notaverat, repudiata sit, cum a se, tum a Scaligero. Sed, *merito*, inquit, *mutavit*

Casau. Exer. 1. ad Appa. Annal. n. 32.

post

postea sententiam Scaliger. Quo jure, viderint Eruditi? Nulla certe potest inveniri aut aptior, aut commodior explicatio quam illa est, cum nec vim Sacræ Paginæ faciat, & incredibili modo cum Historia exotica consentiat. Exempla, sane, phrasim Lucæ non deficiunt. Unum sufficit ipse Casaubonus ex Aristotele apud Athenæum. Μὴ φῶμεν εἶναι λόγους τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηΐου πρώτους γράψαντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων, Athæneus exponit τοὺς πρότερον γράψαντας. Sed & Joannis Evang. c. 1. v. 15. πρῶτός μου ἦν, *prior me erat.* Cui gemina est Lucæ phrasis ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: *Hæc descriptio prior fuit Præside Syria Cyrenio*, ut verbum de verbo reddamus, id est, fuit ante peracta quam regendæ Syriæ præficeretur ille Quirinius. Itaque duplicem Descriptionem Lucas indicat Augusto imperante factam: prior, regnante Herode; posterior, misso in exilium Archelao jussa est. Illa ope nec Quirinii nec Saturnini facta, cum Judæa, regnante Herode, in Provinciam non esset redacta. Hæc Quirinianis ministeriis executioni data, quia pulso Archelao, Judæa a Romanis regebatur. In priori, nulla seditio commota est; in posteriori, fax perturbationis Judas Galilæus fuit: in priori, *ibant omnes ut describerentur in suam quisque urbem*; quæ Descriptio facta videtur sine Censu, qui facultatis est æstimatio pro cujus ratione Provinciales tributum pendebant. Quam & in sententiam pedibus ivit Petavius, Rat. l. 4. c. 2. *In qua tributi*, inquit, *nihil aut capitationis exactum puto. Non enim id in Herodis Regno, Rege adhuc superstite, Augustus usurpavit. Neque vero* ἀπογράφεσθαι, *aliud est quam censeri, ac, nomen profiteri, quod citra pensitationem fieri potest.* In posteriori, facultates Judaicæ percensitæ, & exacta pensitatio: hinc illa mali labes, cum obtentu libertatis Judæ Galilæi Secta totam gentem conturbaverit. Tributum fuisse solutum Christi hæc aperte declarant: *ostendite mihi numisma Census.* Matt. 22: 17.

Quibus accurate perpensis detrahuntur Viris Doctissimis errores. *Posset etiam dici*, Verba sunt Valesii, *Descriptionem illam absolutam quidem ac terminatam fuisse sub Quirinio Præside, post exilium Archelai, diu tamen antea coeptam esse sub finem Herodis, quo tempore natus est Christus.* Atqui apparet & promptum est hoc dici non posse, cum non unam, sed geminas Descriptiones toto cælo diversas, causis, fini-

finibus, temporibus, instrumentisque discrepantes Lucas indicet. Nec verosimile est unam Judææ Descriptionem amplius decennium perdurasse. Sed & immerito ex mentione Saturnini a Tertulliano agitata conclusum est a Valesio, *Tertulliani tempore quosdam in Evangelio Lucæ pro Quirinio Saturninum legisse*: hoc solum sequitur, Tertullianum existimasse Descriptionem regnante Herode peractam, ad Quirinium non pertinuisse; quod & retenta lectione pervulgata longe verissimum. Idcirco Septimius imaginatus est Saturninum id curasse muneris. Petavii quoque error depellitur: *Nos ab Quirinio*

Pet. Rat. p. 2. l.4. c. 20. *bis in Judæa Censum actum esse coniicimus, & extraordinarium utrumque, hoc est, præter ordinarios Præsides Syriæ missum esse cum extraordinaria potestate Quirinium.* Ut enim certo certius est duas a Luca Descriptiones indicari, unam, sub ortum Domini; alteram, pulso Archelao; sic longe falsissimum est, aut *bis* a Quirinio Censum actum, aut cum *extraordinaria* facultate: quod inventum evertitur a Josepho, Ant. c. 18. παρῆν δὲ καὶ Κυρήνιος εἰς τὴν Ἰουδαίων προσθήκην τῆς Συρίας γενομένην. *Quin & ipse Quirinius in Judæam venit jam attributam Syriæ Provinciæ.* Syriæ autem jure ordinario præerat Quirinius; δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος: *a Cæsare in Syriam missus ut jura genti redderet*; quod nonnisi de ordinario Rectore dici potest. Denique, error Scaligeri confutatur. *Posterioris ἀπογραφῆς causa intra unius Archelai patrimonium stetit, neque ad alias Provincias pertinuit*, quæ diserte contra Josephum scripta Quirinius a Cæsare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet: καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος: *facultatesque censeret omnium.*

Sic, opinor, demonstratum est, nullam sive a Quirinio, sive a Saturnino Descriptionem, regnante Herode, fuisse peractam. Sed una adhuc superest tractanda quæstio, an Saturninus, licet Judaicæ Descriptioni se non immiscuerit, eodem tempore Syriæ præfuerit? Nec hæc quæstio levis est; sive ad Historiam illustrandam, sive ad Natalium Dominicorum verisimilitudinem in disputatione limandam. Sub ortum Domini Sentium Saturninum Syriæ præfuisse Petavii sententia est, in quam concessit Antonius Pagius

Ant. Pag. Appar. Chron. n. 131. p. 35. *Coss. Augusto 12. et Lucio Cornelio Sulla; Christum natum esse autumarunt joannes Bekerius, Petaviusque sententia & nobis probabilior existimata antequam duo Quintil. Vari numismat[illegible]disemus. Si enim Sen-*

Sentius Saturninus Censum in Judæa egit, ut tradit Tertullianus; & Saturnino anno præcedenti Varus successit, Christi nativitas in hunc annum non videtur differenda. Annus ille Julianus quadragesimus primus fuit, V. C. 749. Augusti 39. Tota Viri Docti argumentatio & sententia Tertulliano innititur, quæ hac in quæstione languidior esse videtur quam ut ei tuto recumbamus. Anno Juliano 40. Augusti 38. V. C. 748. *Secus ac hactenus creditum Quint. Varus currenti anno quo Antiochenus adhuc in cursu erat, in Syriam Sentio Saturnino missus est; ratio autem cur anno præterito quo annus ille* 25. *Antioch. cœpit, missus non videatur, desumitur ex Tertulliano, qui tradit nascente Christo Censum a Saturnino in Judæa factum fuisse*; inquit Eruditus ille Chronologus, Appar. n. 127. Atqui solidis, ni fallor, argumentationibus demonstratum, nullam Judææ Descriptionem ab ullo Præfecto Rom. Sive Saturnino, Sive Quirinio, Christo nascente fuisse paractam. Itaque vana ratione permotus Antonius Pagius Nativitatem Dominicam in Julianum 41. V. C. 749. Augusto 12. & Sulla Coss. *negat esse differendam.*

Rem quod attinet, præfecto jam Syriæ Varo actam esse Descriptionem vero propius est. Varus quidem Saturnino successerat cum Herodis filius Antipater a Patre in carcerem compactus est, si Josepho fides. ἐτύγχανεν δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν Οὔαρος ὁ Κυιντίλλιος διάδοχος μὲν Σατυρνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀπεσταλμένος ἥκων δὲ αὐτὸς τε σύμβολος Ἡρώδῃ. *Forte per idem tempus Hierosolymis erat Quint. Varus successor in Syriam missus, tunc vero ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitus.* Si Christus ortus est Saturnino Syriæ Præside, Anno Herodis Magni 34. ortus est; cum trigesimo quinto Varo Saturninus decesserit. Itaque Anno V. C. 747. Juliano 39. affigenda est Domini nativitas. Habemus autem regulam qua hæc Chronologia judicatur vera sit, nec-ne. Obiit Philippus Tetrarcha Anno Tiberiano *secundo & vigesimo*, Præfecturæ 37. his apparet annos non minus quindecim Philippum regnasse, imperante Augusto. Quibus si quatuor ultimi Herodis addantur, a trigesimo quarto, videlicet, qui ultimus Saturninianæ in Syria administrationis fuit; octavum & decimum jam Christus evaserat, Augusto ad plures abeunte, quæ ad Scripturam quadrare non videntur. Doctissimo Valesio falsi dicam grandem eo scripsit Clarissimus

Joseph. Ant. l. 18. c. 7.

Pa-

Ant. pag. Crit. An. Dom. 3. n. 3.

Pagius, quod dixerit Josephum Patriæ suæ historiam tanta diligentia fuisse prosecutum, ut & Præsides Syriæ omnes recensuerit. At illud, inquit, *a veritate alienum, cum hujus Saturnini mentionem non fecerit.* Cnejus ille Saturninus primum e tenebris emergit ope Pagiana, Augusti. 47. *Praerat Syria Cnejus Sentius Saturninus, ut disco ex hujus Præsidis numismate, mecum a Clariss. Toinardo communicato.* An Valesio Critici flagra sint inurenda peculiari disquisitione mox examinabimus? Interea movet admirationem quod Cneius ille Saturninus, & numis donatus, & Syriæ cui Viri principes & Consulares imponebantur, Præfectus, jam profunda oblivione jacuerit.

Multis injectus est scrupulus de silentio Josephi circa Descriptionem quæ Herode regnante peracta est. Attamen, nulla vel levi quidem causa impellitur animus, ut Lucæ Annales fide laborent. Descriptionis testis pene oculatus fuit, ut in tam recenti actæ Descriptionis memoria, cui maxima pars Evangelii, Oraculorumque complementum accurate fundatur & extruitur, fallere nec voluerit, nec potuerit. Quis in tanto vitæ fortunarumque discrimine suscepisset Christi Religionem, si patentis mendacii historia Natalium Dominicorum a lippis & tonsoribus postulabatur & coarguebatur, de Descriptione, jubente Augusto per Orbem terrarum, & in Judæa facta? Cui bono, qua spe, qua mercede, falsissima atque refutatu facillima Lucas suis lectoribus obtrusisset? Quot triumphos duxissent, quot ampla spolia retulissent Judæi, pertinacissimi fidei nostræ inimici & contemptores?

Vos magis Historicis Lectores credite veris,
Quam qui furta Deum, concubitusque canant.

ANNO XXXVII. NUM. III.

An unus Syriæ Præses Varum inter & Quirinium incognitus? Aientis Pagii secundum Norisium opinio rejicitur ex Dione. Hac ex Sententia non unus, sed plures Anonimi admittendi. Sentius Saturninus, qui Anno V. C. 735. Collega Lucretii Vispalionis fuit, Cajus, non Cnejus a Dione scribitur, ut a Pagio existimatum.

Quæ-

Quæstioni pertractatæ apta est atque cohærens alia de novi Saturnini Præfectura, quæ hic agitari debet, ut munus promissi conficiamus. Toto animo & studio in Clarissimum Norisium incumbens Eruditus Criticus Antonius Pagius pro certis habet & concessis quæ dubia sunt. *Recte scripsit Norisius; Unus saltem medius inter utrumque, scilicet, Q. Varum & Q. Quirinium ignotus adhuc nobis Præses Syriam tenuit— Juxta illud eidem a Mæcenate suggestum apud Dionem, neque minus triennio in Provinciis, neque plus quinquennio magistratum obirent.* Ant. Pag. Appar. n 24. Huic argumento nil esse roboris planum facit atque probat ipse Dio. Cæsar Mœcenatis consilium prætulit: οὐ μέντοι καὶ πάντα εὐθὺς ὥσπερ ὑπετέθειτο ἔπραξε. Dio. l. 52. p. 493. *Non tamen omnia statim quæ is suasisset agere instituit*: ideoque alia confestim mutavit, alia postea temporis, *nonnulla etiam sequentibus Imperatoribus perficienda reliquit.* Quocirca Erudito Pagio probandum incumbit, atque rationibus & exemplis confirmandum, datum Augusto de mutandis singulo quinquennio Provinciarum Magistratibus consilium, mandatum fuisse executioni, Anno V. C. 748. alioquin oleum operamque perdidit. Omissam executionem vincit Historicorum omnium præcipueque Josephi silentium. Varus decessit Quirinio: alius ille *qui post Varum Syriam rexit, sed cujus nomen ignoratur*, procul est amandandus. Quasi vero rerum Judaicarum cum Syriæ Præfectis commercium Josephum pateretur insolentem hujusce Anonymi qui quinquennium Syriæ præfectus est. An-non gratia in qua cum Augusto Magistratus erant, suam ipsis dignitatem ultra quinquennium prorogare valuit? Neglectum Moecenatis consilium ab Augusti successoribus testificatur Historia. Socer Taciti Agricola, abdicato Consulatu, continuo Britanniæ præfectus est. *c. 2. Consul egregiæ tam spei filiam juveni mihi despondit, ac post Consulatum collocavit, & statim Britanniæ præpositus est.* Sed & Pilatus decennium præfuit Judææ, Suetonio teste. Multorum autor Augustus fuit: *Ne Acta Senatus publicarentur: Ne Magistratus deposito honore statim in Provincias mitterentur.* c. 16. Ne vero plus *quinquennio magistratum obirent* a Suetonio prætermissum; qua de causa, nisi quia consilium illud non valuerat?

At Doctissimi *Norisii conjecturam certam reddit nummus Cn. Sentii Saturnini Syriæ Præsidis, Anno Antiocheno Augustano* 35. *qui autum-*

Cc *no*

no Christi 4°. *exorditur*, *notatus*, *quem eo anno refero*, inquit Eruditus Pagius. Atqui ex Norisiana conjectura sequitur non unum sed plures Anonymos Varum inter Quiriniumque sufficiendos. Censui Syriæ conficiendo Quirinius a Cæsare missus est, Anno post victum Antonium in Actiaca pugna 37. V. C. 760. Ab anno Saturnini revocati V. C. 748. Juliano 40. ad V. C. 760. Julian. 52. anni duodecim intersunt. Vertat se in omnes partes Eruditus Criticus; aut Præfecto Syria biennium caruit; aut Varo, vel Successori ejus Anonymo amplius quinque anni Præfecturæ sunt asserendi; aut duo Anonymi sunt sufficiendi, ut Mœcenatis consilio Augustus usus esse videatur; aut conjectura est nihili. Deinde, quidni numus ille nomine Cneji Sentii Saturnini insignitus, vel in gratiam Consularis Sentii Saturnini post ejus discessum cusus fuit, tanti Viri honorandæ memoriæ; aut cusi saltem imitatio. De numismate mihi ignoto nil judicii feram, ne incurram in temeritatis vitium. At donec obscura hæc patefiant & illustrentur, vix inducam in animum Cnejum illum Saturninum a Consulari esse diversum. An alter ille Saturninus Vari successor e Cœlo continuo delapsus, qui omnium Annalium memoriæ exemptus est? Quam illustris esse debuit ut Syriæ a Viris Consularibus administratæ præficeretur? Nesciunt hunc Romani Judæique accuratissimi Historici, etsi rerum Judaicarum status amplam fusamque materiam Præfectis Syriæ in judicando præbuerit.

Nominis pertenue discrimen quod, vel invito Dione, a Critico ponitur Saturninum inter Consularem, & Vari Successorem nil moror. Ille *Cajus*, hic *Cnejus* dicitur; cætera sunt paria. A. Pagii verba ingeram sua de Gallo & Volusiano, An. 253. n. 11. Certum indubitatumque esse debet eos non completo biennio interfectos fuisse. Verumtamen numismata adducuntur a Baronio ut Gallo & Volusiano quartum imperii annum asserant. *Similis erroris* (Verba sunt Pagjana) *tot infra exempla in medium adducemus*, *ut certum indubitatumque esse debeat numismata Galli & Volusiani*, *Tribunitiam Potestatem tertium vel quartum imperii annum exorsos esse*, *sed tantum monetarios in iis numis cudendis errasse.* Cnejum in vicem locumque Caii substituere, longe proclivius quam excogitatum biennium imperii Galli & Volusiani numismatibus affigere.

Cri-

Critica Pagiana secundum Norisium Coss. Ælium Catum & Cn. Sentium affixit Anno Christi quarto, a Cajo Saturnino Vespillonis Collega diversum. *Prior enim*, inquit, *Cnejus Sentius Saturninus vocatur; qui vero hoc anno Consul fuit Cajus Sentius Saturninus appellatus est.* Quæ errante manu scripta, si Dioni fides. Uterque Cajus dicitur: Græce Γν. Cajus vero Γ. simplex scribitur. Anno V. C. 735. Γ. Σέντιος Γ. Υ. Σατουρνῖνος. *Cajus Sentius Saturninus & Lucretius Vispalio.* ὑπάτευε μὲν δὴ ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ Γάϊος Σέντιος. *Eo anno consul fuit Cajus Sentius, cui cum Collega esset dandus, iterum seditiones ac cædes Romæ evenerunt.* Augustus unum ex Legatis, Q. Lucretium nomine, qui unus ex proscriptis fuerat, Consulem designavit. Dio. l. 53. p. 527.

Quibus & Consulibus, & Anno, Christus ortus est? Geminum Domini Natale, verum, & Dionysianum. Dionysiani vitium, cum Antiquorum opinione pugnat. A M. Paris aliisque dudum improbatum, cum Scriptura Historiaque non consentit. Baronii in Josephum instantiæ refelluntur. Ejus & lapsus a Cassiodoro indicatur. Anno Juliano 41. editum Christum esse vero proximum, quod ex obitu Herodis astruitur. Criterium ex annis Dominicis e Luca desumptum non designare verum Christi Natale, ostenditur. Insigne argumentum in hanc Scaligeri, & bene multorum sententiam ex Philippei imperii Epocha. Lightfooti de annis Christi Chronologia a vero longissime abhorrens. Petavii temeraria assertio rejicitnr. Explicatur percelebris ille Lucæ versus 23. c. 3. Vanæ Scaligeri conjecturæ. Verosimillima Jansenii explicatio confirmatur. Contra Baronium, qui Lentul. & Messalin. Coss. habuit annum non fuisse bissextilem, ostenditur. Error ejus circa Dionem. An Augustus Æmilii Pauli Collega in Consulatu?

 Na-

NAtale Dominicum Chronologis geminum est : *verum*, scilicet, & *Dionysianum* : de utroque dicendum. Dudum est quod mundi Servatorem Anno Juliano 45. Augusti 43. Urbis cond. 753. ortum fuisse creditum. Æra vero qua utimur ab anno sequente incipit, quæ etsi latius diuque regnaverit, magnis tamen erroribus affecta est. Pugnat cum Antiquitate : Tertullianus in Judæos c. 8. *Videmus autem quoniam* 14. *Anno Imperii Augusti nascitur Christus.* Irenæus illum ipsum annum Christi Natalibus asseruit. Eusebius Hist. l. 1. c. 5. ἦν δὴ ὂν τοῦτο δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος τῆς Αὐγούστου βασιλείας. *Annus jam agebatur secundus & quadragesimus Imperii Augusti.* Epiphanius in eandem sententiam descendit. Clement. Alex. Sulpiciumque inferius adducendos hic prætereo. Nec ante Dionysium qui Justiniani Temporibus floruit, ullus reperitur qui Christum citius Juliano 46. lucem hausisse non existimaverit. A compluribus, vel iis temporibus quibus eruditioni nox atra incubabat, deprehensus error Natalis Dionysiani. M. Paris in VVillelmo Conquestore, p. 9. *Manifestum est quod Dionysius non recte annos Dom. Cyclo suo annexuit. Quia enim ab Anno Dom. quingentesimo trigesimo secundo Cyclum suum ordinavit ; intendit, nimirum, Christum fuisse natum Anno* 20. *prioris Magni Cycli anni ; & per hoc, hic annus anno Dominicæ passionis concordans, debuit esse Magni Cycli annus non decimus tertius, sed* 33. *quia is fuit annus passionis Dom. & per hanc consequentiam Dionysius ponit Nativitatem Christi viginti & uno anno tardius quam debebat :* Quæ Censoris Dionysiani sententia longe absurdissima, cum Scriptura fronte adversa pugnat. Sequitur enim Christum ante decimum quintum Tiberii fuisse Baptizatum. Passa est & alios Adversarios Dionysiana Epocha, ut legere est apud Eruditum Petavium, Animadver ad hær. 81. alogor. p. 114.

Sed quod hujusce Dionysiani Natalis Epocham e Chronologia exterminat, neque Scripturæ neque rationi consentit. Argumentationes Chronologicæ petantur a Viris Eruditissimis Scaligero, de Emend. Temp. l. 6. Calvisio, Epiphanio, Animad. in alogor. hær. aliisque bene multis. Observare juvat Æram communem Sacram Evangelii Chronologiam de culmine autoritatis veritatisque detrudere. Annum imperii decimum quintum Tiberius inierat, cum Christus Baptizandus accessit ad Joannem. Ut hoc anno Baptiza-

tus ſit, debuit annos natum eſſe totidem, quot a Decembris 25. anni Juliani 45. ad ſeptuageſimum quartum lapſi ſunt. Numerantur autem anni pleni 28. quæ ad illa Lucæ, *Jeſus incipiebat eſſe quaſi triginta annorum*, non quadrant. Deinde, certo certius regnante Herode Magno in lucem editum eſſe Chriſtum, quod falſum deprehenditur admiſſa autoritate Dionyſiani Natalis. De Herode Joſephus, Ant. l. 14. c. 26. *καὶ ὁ μὲν οὕτως τὴν βασιλείαν παραλάμβανει, τυχὼν αὐτῆς ὑπατεύοντος Γαΐου Δομετίου Καλβίνου τὸ δεύτερον καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πολλίωνος.* *Atque hoc pacto Herodes Regium faſtigium adeptus eſt C. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione Coſſ.* Anno Juliano 6. V. C. 714. mortuus eſt autem ex quo Rex a Romanis declaratus eſt, Anno 37. qui Julianus ſecundus & quadrageſimus fuit, Auguſti 40. Quibus apparet & promptum eſt J. Chriſtum, regnante Herode, non aſpexiſſe lucem, ſi natus eſt Auguſti quadrageſimo vel tertio, vel quarto.

Bacchatur hic in Joſephum Annalium Conditor, An. Chriſti 16. n. 1. *Quam manifeſte erret ſatis ſuperius demonſtravimus. Adverſus autem iſta hæc nobis objectio facta eſt ex Joſepho. Si poſt tot Chriſti annos vixiſſe ponatur Herodes; non potuit, ut a Joſepho aſſeritur, ejici ab Auguſto in exilium Archelaus.* Qui nodum ſolvet Erudiſſimus Purpuratus? Falſi dicam ſcribit accurato Hiſtorico. Bona verba, quæſo, Baroni? Si Joſephum ex cæco præjudicio accuſaſti, & nos innocentem ab incurſionibus tuis viriliter defendimus. Defenſavit & Dio nobilis Hiſtoricus, ſuppeditatis argumentis quæ certam reddunt fluitantem Baronio narrationem. *ὅτι Ἡρώδης ὁ Παλαιστῖνος αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν ὑπὸ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη.* *Herodes Palæſtinus a fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars ejus Ditionis in publicum redacta.* Dio l. 55. p. 567. Qui Dioni Herodes, Joſepho dicitur Archelaus. Actus autem eſt in exilium M. Æmilio Lepido & L. Aruntio Coſſ. Anno V. C. 759. Juliano 51. Auguſti 49; quæ Chronologia etiam atque etiam eſt obſervanda ad Baronianas in Joſephum calumnias depellendas ac diſſipandas. At Pelides ille cedere neſcius vim argumenti Dionyſiani ut effugiat, Dio, inquit, *Joſephum ſecutus, cum enim poſt multos annos, nempe, Severi Imperatoris temporibus ſcripſerit, res Judæorum a Judæo Hiſtori-*

ſtorico mutuatus creditur. Sed vaniloquentia inanique ſonitu verborum maria terraſque complet Illuſtriſſimus Purpuratus. Si Dio Joſephum ſecutus eſt, cur Archelao Herodis nomen imponit, quo a Judæo Hiſtorico nunquam donatus eſt Archelaus? Quid-ni Senator Rom. ex Tabulis publicis hauſerit Herodem Palæſtinum trans Alpes fuiſſe relegatum, parte Ditionis ejus in publicum redacta; id, quippe, in monumenta Tabulaſque Senatus relatum fuerat? Admirandus, igitur, ille conſenſus Chronologiæ Hiſtoriæque Dionis & Joſephi, de Anno exilii Archelai potentiſſimum eſt ac certiſſimum veritatis argumentum, quod nulla arte eludi poteſt. Non eſt ita Baroni, non eſt profecto veroſimile in re tam aperta, tam recenti ac erat cenſus Archelaicarum facultatum a Quirinio, Viro Conſulari, actus, Joſephum Virum nobilem, Sacerdotemque Hieroſolymis, ubi cenſitæ Exulis opes, habitantem, tam miſere deceptum fuiſſe, ac tu in animum tuum induxiſti. Urges quidem; *quomodo non magis ſequendus nobis fuit Euſebius, quem ſcimus ea quæ hujus ſunt temporis mutuatum a Phlegonte, Chronographo omnium antiquiſſimo, qui quidem Euſebius ponit ultimo Auguſti Anno exilium Archelai.* Sed Phlegontem de rebus Judaicis Euſebio fuiſſe ſectarium, ſomnium eſt ex porta Eburnea: nec ullus eſt candidi pectoris qui de annis Herodis & Archelai Joſephum, & antiquiorem, & Ebræum Euſebio non antetulerit.

Cæterum, ne cum Æra Dionſiyana navem ad ſcopulos Viri Clariſſimi appellant, Chriſtum editum eſſe Auguſti 41. Juliano 43. Lentulo & Meſſala Coſſ. ſcriptum reliquere; quos inter Baronius, Caſſiodori, ut opinatur, veſtigia premens, nomen profitetur ſuum. Sed & hic in multis hominem egit: Æra, quippe, communis, cui ſuam Illuſtriſſimus Purpuratus accommodare conatur, incipit ab illo Auguſti anno quo C. Cæſar & Æmilius Paulus annum aperuere, Juliano 46. qui Lentulum & Meſſalam Coſſ. non habuit. Obſervandum præterea eſt, Baronium de Auguſtea Epocha cum Caſſiodoro non conſentire, etſi palam profiteatur ſibi ſectarium eſſe, Appar, n. 101. *Illud, inſuper, ut Caſſiodorum ſequamur maxime perſuadet, quod homo Romanarum literarum omni genere excultiſſimus, & in his apprime verſatus.* Atqui in Baroniano Coſſ. indiculo Anno Auguſti 42. Conſulatus Lentuli & Meſſalini affigitur, qui Caſſiodoro pri-

primus & quadragesimus est. *His Coss. Dominus noster J. Christus, Filius Dei in Bethlehem nascitur, Anno Imper. Augusti* 41. Hæc aliaque ulcera ut mittam, illam sententiam quæ & Calvisii, innumerorumque est, Christum Lentulo & Messalino Coss. ortum fuisse, veris aberrare mihi persuasissimum; ut ut Antiquorum complurium suffragiis præsidioque cingatur.

Argumento est Dio l. 55. *Herodes Palæstinus a fratribus accusatus, trans Alpes est relegatus, ac pars ejus Ditionis in publicum redacta*; Quibus Parentis sui indutum nomine Archelaum in proscenium venire, certo certius est. Cui Dionis testimonio illud Josephi adjungendum. Δεκάτῳ δ' ἔτει τῆς ἀρχῆς Ἀρχελάου: *Decimo autem Principatus Archelai Anno, Primates tam Judaeorum quam Samaritanorum non ferentes ejus tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem... qui auditis ejus Accusatoribus & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, multatum prius omni pecunia.* Quod incidit in annum Julian. 51. Lepido & Aruntio Coss. a quo annis decem retro numeratis, exhibetur Julianus 42. Augusti quadragesimus; qui annus Herodis emortualis fuit, quo & dimidia Decessoris Regni parte Archelaus ab Augusto donatus est. Si hoc anno Herodes mortalitatem exuit, quod in dubitationem adduci nobiles Historici Josephus Dioque non sinunt, impossibile est ortum Dominicum anno Juliano 43. Augusti 41. Lentulo & Messalino affigi: cum anno superiori ultimum diem jam obiisset Herodes, quo vitam protrahente Dominus lucem aspexerat.

Germanum ergo Christi Natale Juliano 41. Augusti 39. Augusto 12. & Sylla Coss. videtur affigendum. Cum circa Paschalem solemnitatem anni Juliani secundi & quadragesimi miserum vita deseruerit; unde non immerito conjicitur superiori anno Christum in Ægyptum agitasse fugam, ne hyemis inclementia tenello infanti facesseret periculum. Ad nostram opinionem propius accesserat Sulpit. Hist. l. 2. p. 364. *Christus natus est Sabino & Rufino Coss.* quos Calvisium & Passienum alii nuncupant. Juli. an. 42. Sed Sulpitium erroris damnamus qui post Christi Natales Herodem quatuor adhuc annos vixisse memoriæ prodidit.

Quicunque certa ratione Christi Natales investigare conati sunt, licet non eadem inter se senserint, uno tamen eodem Lucæ testimonio

nio freti diversas in partes abierunt. Anno Tiberii 15. Baptizatum esse Dominum cum esset *annorum quasi triginta*, *ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος*, a Luca scripto proditum. Hinc Anno trigesimo Baptismum Joannis suscepisse visum est multis. Hieronymus in Ezechielis c. 1. *Illud quoque intelligendum quod in 30. ætatis suæ anno Dominus ad Baptisma venit, in quarto mense qui apud nos vocatur Januarius.* Epiphanius, *ἐβαπτίσθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ τῷ τριακοστῷ ἔτει τῆς ἐν σαρκὶ γενέσεως.* *In Jordane Baptizatus est Anno a Natali suo* 30. Ignatius ad Trallianos: *Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. Cum trigesimum annum ageret a Joanne Baptizatus est.* Cui testi Baronius incumbens hæc magnifice jactat; *adversus quem nemo vel mutire, nedum refragari jure debeat.* Eadem sententia fuit Viris Summis Scaligero & Capello. Ille; *proinde hic vere triginta Christo tribuuntur anni vertentes.* Hic; *nos censemus Christum 30. solidos annos & dies aliquot natum, Baptizatum, Athyr. 12.* Atque hoc ætatis Dominicæ indicio germanum Christi Natale deprehendi videtur. Hinc Magnus ille Scaliger de Emend. Temp. l. 6. *Unus tantum locus in Evangelio est relictus cujus auxilio ætatem Christi & ejus Natalis annum colligere datum est.* Consequenterque declarat Christum natum esse *Anno 3°. Olympiadis* 194. *Cyclo Lunæ* 19. *Solis* 8°. qui V. C. 752. Julianus 44. Augusti 42. Cæsare Augusto 3um & Plautio Coss.

Epiph. hær. 51. n. 24.

Christum annum excessisse trigesimum primum cum ad Joannem accessit, ex indicata superius regula nobis persuasissimum. Si Philippus 22. secundo imperii Tiberiani Anno abiit ad plures, utique annos sub Augusto sexdecim Dominum Jesum complevisse necesse est, cum Philippea Præfectura septem & triginta annos perdurarit, ex quo ab Augusto Tetrarchiæ impositus est. Quo & criterio illi refelluntur, qui anno 30. pubescente Christum ad Baptismum accessisse imaginantur, quæ Clarissimi Lightfooti sententia est. *Cum igitur tres annos & dimidium vixerit Christus, & Paschatis tempore mortuus fuerit, constat Baptizatum mense Tisri, circa festum Tabernaculorum, quo anni tempore & natus fuerat, & cum Baptizaretur viginti novem annos transegerat, jam incipiens agere annum tricesimum.* Hujusce opinionis fundamentum præclare jactum non esse docet Epocha Philippea, sed & insuper absurditatis vinculis con-

Lightf. Chron. Tem. p. 9.

constringitur. *Duos annos esse natum* Christum cum ad eum Magi accessere, censet Lightfootiana Chronologia. Admisso, itaque, ineunte Anno 30. Christum Joannis petiisse Baptisma, ab Herode defuncto ad Tiberiani imperii annum quindecimum labentem, non amplius quam 27. anni interfuere; Qui profecto ingens est προχρονισμὸς; vel ipso teste Lightfooto, Hor. Hebr. in Matth. c. 2. *Natus est Christus Anno Regni Herodis* 35. Qui Julianus est 42. V. C. 748. Annus vero Tiberiani imperii 15. V. C. est 782. Julianus 74. Quibus apparet quinque annos a Lightfootiana Chronologia devorari, & Josephi historiam de Herodis & Philippi Regni Epocha falsi insimulari.

Mihi non minimum admirationis Petaviana hæc effecere. *Imo vero licet aliquis Christum Anno* 28. *vel trigesimo tertio Baptizatum esse dicat, non tamen Evangelicæ autoritati, meo judicio, repugnet.* Quid? Non everteret ille fidem Evangelicam qui antequam & Joannes munus exerceret suum, & Tiberius quintum & decimum imperii annum ageret, Jordane immersum fuisse Dominum Jesum affirmaret! Non everteret Evangelium qui post Herodis fata Christum hausisse diem existimaret! At, si Anno ætatis 28. Christus Baptisma consecutus esse fingitur, omnia illa absurda manant necessario. Annus, quippe, Tiberii quintus & decimus Julianus est 74. a quo si viginti septem deducantur, in Julianum 47. incidimus, quo Herodes vitam ducere non potuit, quam Juliano 42°. deseruerat. Aut si regnante Herode Dominici Natales contigere, amplius viginti octo annos natus erat cum ab Baptismum accessit; sive Anno Tiberiano 15. exeunte, sive decimo sexto jam affecto.

Petav. Animad. in hær. 51.

Verum, ne parva declinatione effugisse videamur percelebrem Lucæ locum, cui plurimum fidunt adinveniendo Natali Dominico, ad illum admoveamus animum, ut luce nonnulla hanc disputationem perfundamus. Male quidem intelligi vulgo Lucam, Scaligeri sententia est. *Primum*, inquit, *Hebraismus* ὡσεὶ *advertendus, quo utuntur nunc affirmanter, nunc dubitanter, exprimentes per literam suam servilem* כ *Duplicis enim notionis est; aut enim* כ ἀποῤῥήτικον, *sive* στοχάςικον, *illorum idiomate ita nominatum; aut* כ *quod* ἀληθινὸν *vocant, cujusmodi est in hoc Luca... Proinde, hic vere* 30. *Christo tribuuntur anni vertentes.* Mitto quod aliquid discriminis est inter ὡς &

Scalig. de Emend. Temp. l. 6.

ὡσεὶ: δόξαν ὡς μονογενοῦς, dixit Joannes, non ὡσεὶ; Sane, ut plurimum ὡσεὶ sole esse ἀπόῤῥητικον, quod de perfecto rei statu nonnihil detrahit, tum maxime cum de alicujus annis agitur: nec enim recte ὡσεὶ inseritur definiendæ certis terminis ætati. Atque eo magis hic illa propositio ἀποῤῥητικῶς sumenda est, quod eam Sacri Autores adhibent circumstantiæ temporis sine certa affirmatione designandæ, tunc enim Latino *circiter* respondet. Sic apud Joannem ὥρα ἦ ἦν ὡς δεκάτη: *hora enim erat quasi decima* c. 1, 40. Ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, Act. 13. Mansit Maria cum Elizabet, ὡσεὶ μῆνας τρεῖς: *circiter tres menses.* Lucæ vero ὡσεὶ ἀποῤῥητικον non ἀληθινὸν astruit, & particulæ usus frequentior, & Autorum Sacrorum consuetudo, qui fragmenta temporis non attendunt, & ipsa rei qualitas; cum annum trigesimum primum evasisse Jesum ad Baptismum accedentem, multis probatum sit. Nec omnes abjiciunt ὡσεὶ indefinitum; non Justinus Dialogo cum Triphone; Καὶ τριάκοντα ἔτη ἢ πλείονα ἢ καὶ ἐλάσσονα μείνας μέχρις ὃ προελήλυθεν Κῆρυξ αὐτοῦ.

Vocem ἀρχόμενος quod attinet, ad annos Christi illa referri nec debet nec potest. Phrasi quid insolentius, cum particula ὡσεὶ dubitandi notionem habeat. Num Lucas ad infinitam particulam infinitum verbum adiecisset? Quis unquam scripsit; *hic incipiebat esse plus minus annorum triginta*: cum tam ὡσεὶ quam ἀρχόμενος infinitam significationem exhibeat? Sententia Doctissimi Jansenii mihi maxime placet. *Notandum & illud Origenem videri sic distinxisse hunc locum, ut post participium incipiens, sit punctum, & deinde separatim legatur, quasi annorum triginta. Et sane, omnibus tandem perpensis, videri omnino potest Lucam quod dixit*, incipiens, *non ad annos retulisse, sed ad prædicationis & ostensionis suæ exordium... Itaque sensus erit; Et ipse Jesus erat fere triginta annorum, cum jam, suscepto Baptismo, auspicaretur deinceps munus suum. Si enim participium incipiens ad annos pertinuisset, satis erat dicere; & ipse erat incipiens esse annorum* 30. *& omnino superesse videtur dictio quasi, imo absurda videtur esse locutio.* Nec verbi hujusce significatio abhorret a Luca: Actorum enim c. 1. 22. Jesus ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, rectissime vertitur; *munus obiens a Baptismo Joannis*: quod firmatur verbis superioribus, εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ᾽ ἡμᾶς ὁ Κύριος: *quo Dominus versatus est inter nos*, inquit Clarif. Beza; melius

Jansen. Conc. c. 14.

melius ad ſenſum, *officio functus eſt*, quod phraſibus geminis declaratur: 2. Par. 1. 10. Νῦν σοφίαν καὶ σύνεσιν δὸς μοὶ, καὶ ἐξελεύσομαι ἐνώπιον τοῦ λαοῦ τούτου καὶ εἰσελεύσομαι. Sic precabatur Salomo ut ſapientiam ad munus ſuum rite peragendum Divinitus aſſequeretur. Illud in Janſenio diſplicet, *fere* 30. *annorum*, quo Chriſtum non exceſſiſſe numerum, ſed ſolum ad hunc acceſſiſſe ſignificatur.

Graviſſima difficultate Baroniana de Natali Dominico ſententia afficitur. *Nuper*, inquit, *hac objectio facta eſt. Si Lentulo & Meſſalino Coſſ. natus eſt Chriſtus, ergo annus Julianus milleſimus ſexcenteſimus non erit Biſſextilis.* Apparat. n. 124. Probandæ affirmationi Marcellinus teſtis adducitur. *Et cum introiviſſet Ancyram Imperator Jovianus, paratis ad pompam pro tempore neceſſariis, Conſulatum iniit, adhibito in ſocietatem Trabea Varroniano, filio ſuo admodum parvulo.* Annus autem his Coſſ. inſignitus Biſſextus fuit, Marcellino teſte, l. 26. p. 333. *Nec prodire in medium voluit Valentinianus Biſſextum vitans Februari; menſis tunc illuceſcens, quod aliquoties rei Rom. fuiſſe cognoverat infauſtum.* Annus autem quo Jovianus Auguſtus & filius ejus Varronianus proceſſere Coſſ. in 364. Dom. annum incidit, qui Biſſextilis eſt; ideoque annus quem primus hujus Æræ excipit, neceſſario Biſſextilis eſſe debuit. Sed Baronius longe fallitur judicii; falſiſſimum quippe eſt, ſi Æra Chriſtiana a Lentulo & Meſſalino Coſſ. deducitur, annum qui Jovianum & Varronianum Conſules habuit, eſſe 364. cum in 366. incidat. Sciendum enim eſt, duo in Annalibus Baronianis paria Conſulum eſſe exempta, quibus ex ordine ſublatis, Chriſtiana Æra Baroniana, quæ biennio hactenus anticipata fuerat, cum vulgari demum in concordiam redit. Itaque, nec annus conſulatu Meſſalini & Lentuli inſignis, nec qui proximus eſt, Julianus, ſcilicet, quartus & quadrageſimus, Auguſti 42. ſed ſequens Julianus 45. Auguſti 43. Biſſextilibus inſerendus.

Baronio hic ingeram verba Eruditiſſimi Petavii, Animadv. ad hæres. Alog. p. 105. *Poſteaquam quidem ab Auguſto correctus eſt annus, ſi ab eorum aliquo quos poſteritas omnis habuit retro numeres, negamus conſtanter Biſſextilem eum eſſe quo Chriſtum in lucem editum Annales Eccleſiaſtici confirmant... Mortuus eſt Auguſtus Sextis duobus Coſſ. ut omnium conſenſu eſt exploratiſſimum, Anno V.C.763. ante Conſulatum Sextorum. Si retro numeres, paria ſunt omnino Coſſ. ſexdecim: proindeque 16. an-*

num anteriorem occupant Lentulus & Messalinus. Insignis porro annus ille mortis Augusti fuit Lunæ deliquio, quod 40. die ab ejus obitu contigisse, inter Chronologos constat: idque Dionys. Æra Anno 14. Cyclo Solis 23. Lunæ 15. Septemb. 27. feria 5. lit. D. G. Julianæ periodi 4727. Quod si annos inde substraxeris 16. reliquus erit 4711. quo Coss. fuere Lentulus & Messalinus. Qui si Bissextus fuisset annus, ab eo 16. perinde Bissext. habuisset: est autem Æra nostra 13. ac post Bissext. secundus. De Bissextis observanda hæc Marcellini, l. 26. p. 334. *Errorum profunda caligine fluctuabant Romani, cum in Sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant... Octavianus Augustus Græcos secutus, hanc inconstantiam correcta turbatione composuit; quam rationem Bissexti probatam etiam victura cum seculis Roma adjumento Numinis divini fundavit.*

Perorata de germano ortu Dominico Quæstione, nonnulla de Natali Dionysiano, Epochaque quæ latissime regnat, subjicienda sunt, removendo Annalium errori. Hac, ut notissima, utuntur Chronologi: non quo in animum inducant Christum communem auram hausisse anni superioris Decembri; quo admisso in errorem longe gravissimum delaberentur: hanc igitur Æram usurpant, ut ea significent quæ post vel ante hujus Epochæ initium gesta fuere, quia Temporis criterium perhibet notissimum juxta ac vulgatissimum. Incipit, ut hodie omnes fatentur atque profitentur, Anno Juliano 46. V. C. 754. De Consulibus qui hunc annum aperuere Quæstio movetur a Baronio. *Anno*, inquit, *Christi tertio C. Cæsar & L. Æmilius Paulus Consulatum gesserunt. Ita Fasti Consulares Onuphrii, quos nos sequentes, sero licet errasse cum ipso sensimus ex Dione, qui hoc anno non Cajum Consulem, sed Augustum decimum quartum ponit una cum eodem Æmilio Collega. Idemque Dio testatur petitum fuisse a Cajo Consulatum, sed ab Augusto negatum, quod ei non liceret per ætatem, nec mores suffragarentur.*

Dionis Indiculum regulam Baronio fuisse suæ constituendæ Chronologiæ de Augusto decimum quartum Consule verissimum. Legitur quippe hoc in indiculo Γ. Καῖσαρ Ἄυγυςος τὸ ιδ. Λ. Ἀιμύλιος Λ. υ. Παῦλος. *C. Cæsar Augustus* 14. *L. Æmilius L. F. Paulus.* Quocirca, si a Baronio hic erratum est, qua de re mox videbitur, peccatum est

eſt illi condonandum, quod ex Dionis Annalibus in ſuos derivavit. Sed pœna cenſuræ error ejus liberari non poteſt, de ratione quam attulit, ne Cajus, nepos Auguſti, Æmilii Pauli Collegam exerceret in Conſulatu. Veriſſimum quidem eſt Lucium, Caji fratrem, auſum eſſe petere ut Cajo fratri, nondum ex ephebis egreſſo, Conſulatus daretur, quam poſtulationem indigne tulit Auguſtus. Optavit enim ne in eam temporis calamitatem incideret, ut Conſulatus ei mandandus eſſet qui nondum viceſſimum annum attigiſſet. Sed illa ad annum Julianum 46. Auguſti 44. non recte accomodantur. Imo ex Auguſti ad Lucium reſponſione colligitur, ſpem Conſulatus factam eſſe Cajo cum vigeſimum annum iniret. Anno 20. V. C. 734. Jul. 26. Auguſtus Agrippam, repudiata uxore, Juliam ducere juſſerat, motus dicto Mœcenatis: *Tantum Agrippam jam feciſti, ut vel gener tuus fiat, vel occidatur neceſſe ſit*: quo Anno Cajus in lucem editus eſt: Καὶ ἡ Ἰουλία τὸν Γαίον ὀνομασθέντα ἔτεκε: *Julia autem* Dio l. 54. *eo tempore Cajum peperit, ſacrificiumque perenne Natalibus ejus cum quibusdam aliis decretum eſt.* Itaque Anno Juliano 46. Auguſti 44. Cajo qui annum vigeſimum inierat, Conſulatus & mandari potuit, & mandatum fuiſſe, ut Auguſtus promiſſi munus conficeret, cum melioris notæ Chronologis exiſtimamus.

Conſulatuum Auguſteorum Suetonium inſolentem eſſe procul a vero eſt, eoque hic Dioni anteponendus videtur quo antiquior illo fuit. De Auguſti Conſulatibus hæc memoriæ prodidit. *Conſulatum vigeſimo Anno ætatis invaſit... ſecundum Conſulatum poſt novem an-* Suet. l. 53. *nos; tertium, anno interjecto geſſit; ſequentes, uſque ad undecimum continuavit; multisque cum deferrentur recuſatis: duodecimum, magno, id eſt, ſeptemdecim annorum intervallo; & rurſus tertium decimum biennio poſt ultro petiit. Ut Cajum & Lucium filios, ampliſſimo præditos magiſtratu, ſuo quemque tyrocinio deduceret in forum.* Decimum quartum Auguſti Conſulatum ſincera neſcit hiſtoria. Sed res nondum confecta: ignotus, quippe, & Caſſiodoro decimus quartus Conſulatus Auguſti, qui tamen Æræ communis Anno primo Julia. 46. Conſules affixit *C. Auguſtum Cæſarem* XIII. & *L. Paulum.* Sed in Caſſiodori Chronico Conſulatus, quem Auguſtus Anno vigeſimo ætatis invaſerat, deſideratur; & primus ille numeratur quem cum Vulcatio Collega geſſit Auguſtus, An. V. C. 721. Jul. 13. Qua ratione

in Consulum Dioniano Indiculo Augustus decimo quarto Consulatu donetur, assequi conjectura non possum; cum nullum auxilium præbeat nobilis ille Historicus, ob vastum ab Anno V. C. 748. ad 757. interpositum hiatum, magna cum Historiæ injuria.

Maximam quam potuit diligentiam adhibuit Eruditus Chronologus Antonius Pagius, fonti Dionianæ corruptionis inveniendo. *In Manuscripto Regio*, inquit, *legitur* Γ. Καῖσαρ Ἄυγουστος τοῦ υἱ... *loco* Αὔγουστος *legendum* Αὐγούστου. Quæ emendatio non est nihili, & multa se specie veri commendat; sed nihilominus adhuc aqua hæret, cum Manuscriptum quo Cassiodorus utebatur, hanc respuere emendationem videatur. *Coss. Caius Augustus Cæsar* XIII. *& L. Paulus*, quæ de Cajo, Augusti nepote, intelligi non possunt. Quo apparet opinionem de Augusto L. Pauli Collega esse perantiquam, nec unum Dionem affecisse, a quo Cassiodorus Consulatum illum Augusti in Chronicum suum derivare non potuit, quippe qui Cassiodoro decimus tertius Augusti, Dioni decimus quartus fuit.

ANNO XXXVII. NUM. III.

An Christus 25. Decembris die in lucem editus. De consensu Orientis & Occidentis præceps Baronii judicium. Ante 4um. seculum dies Natalis Dominicus 25. Decembris non illigabatur. Ante Chrysostomum Orientalis Ecclesia cum Occidentali discrepabat. Probatur diserte ex Chrysostomo & Joanne Nicæno. Clementis Alex. temporibus dies Natalis non affigebatur Decembri. Quid Pachon mensis? An December? Ajentis Pamelii figmentum convellitur. Mensium Ægyptiorum nomina Latine reddita. Rectam esse explicationem ex Athanasio, Theophilo, Epiphanio, demonstratur. Responsiones Baronianæ refelluntur. Ant. Pagii de die Epiphaniæ apud Clem. Alex. notatus. Epiphanius Latinorum Traditioni adversarius. Epiphania aliud Græcis, aliud Latinis sonant. Illis Natalem Domini, his Baptis-

Baptismum significant, Marcellino & Hieronymo teste. Christum Hyeme natum non esse ostenditur. Præstantissimi Spanhemii instantiæ ad examen revocatæ. Lapsus Viri Docti a Josepho, cujus testimonio declaratur & Augustum Judæis favisse, & e Classibus Sacerdotalibus nullam extinctam fuisse. Fundamentum Scaligeri ex familiis Sacerdotum petitum, expenditur. Qua de causa Natales Dominici Decembri affixi?

ANnum Christi Natalem & verum, & Dionysianum emenso, quasi debitum superest opus mensem diemque investigandi, ut illustri huic Quæstioni tandem colophon imponantur. Abundans audacia Doctissimus Purpuratus edicit, *tam Latinorum quam Græcorum Ecclesia pari consensione in eam conveniunt sententiam, ut Redemptor noster sit natus vigesima quinta mensis Decembris.* Qua in temeraria affirmatione antiquum ille obtinet. Vitandæ confusioni distinguenda sunt intervalla temporum. Nemo quidem, ut mea memoria est, ante quartum seculum in eam sententiam descendit, Christum 25. Decembris esse editum. At seculo quinto late jam ea opinio regnabat. August. de Trin. l. 4. c. 5. *Octavo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus—natus autem traditur* 8°. *Kal. Januarias.* Quæ & Fulgentii opinio est. Ut vero Augustinus multum habebat ingenii ad invenienda mysteria, hic & usus est acumine suo. *Joannes natus est, sicut tradit Ecclesia*, 8°. *Kal. Julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus* 8°. *Kal. Januarias, quando jam incipiunt dies crescere.* Quasi hæc una vox esset Joannis & Naturæ, Christum *oportere crescere*; Joannem *vero minui.*

Bar. Appar. n. 121.

Aug. in Psal. 132.

De Christi Natalibus discrepabat olim Græca Ecclesia cum Latina: testis mihi est Magnus ille Chrysostomus Hom. in Natalem Servatoris diem: Serm. 31. T. 5. καὶ τοιγε οὔπω δέκατον ἐστὶν ἔτος ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται: *Nondum decimus annus est ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit; attamen, perinde ac si jam olim nobis traditus esset, ita opera vestra celebratus*

tus inclaruit. Apud Eruditum Combefix T. 2. p. 298. Joannes, Archiep. Nicænus, quærit hæc a Zacharia. καὶ περὶ ποίας αἰτίας ἡ ἀποστολικὴ διάταξις Ἰακώβου τὸ σύγγραμμα Ἰανουαρίου 5. προέχειν τοῦ τελεῖν τὴν γέννησιν καὶ τὸ βάπτισμα. *Qua de causa quanquam Constitutio Apostolica habeat, Jacobica conscriptio est, ut Nativitas & Baptisma celebrentur 6º. Januarii: nos tamen, mundus ipse totus, invicem conspiraverimus, ut & populi omnes Nativitatem celebremus 25. Decembris.* Quibus insignibus testimoniis Apparet & promptum est, Græcam & Latinam Ecclesias de Natali Dominico die Decemb. 25. non semper una consensisse. Sed cominus cum Adversario nostro pugnandum est.

Ac primum in Latinorum Traditionem, Clementem Alex. excitabo testem, Strom. l. 1. p. 249. εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες ἥν φασὶ ἔτους κη Αὐγούστου ἐν πέμπτῃ Πάχων καὶ εἰκάδι: *Sunt autem qui curiosius Natali Domini non solum annum, sed etiam diem addunt, quem dicunt* 28. *Anni Augusti, in* 25. Πάχων. Porro, testis facillime repelletur nisi ante constituerimus quid mensis sit ille *Pachon*, quove nomine sit apud Latinos donandus. Ecclesiæ suæ disciplina imbutus Pamelius, Ægyptium *Pachon* Decembri vindicat, Notis in Tertullianum: Decembrem *Pachon quem nos dicimus*. n.78. c.8. adver. Judæos. Quo concesso admirabili consensu Latinorum sententia cum Ægyptiorum opinione conspiraret. Sed Pamelius maxime fallitur: constat enim ab edito Christo sic menses esse dirigendos.

Ægyp.		*Lat.*		*Syro-Græc. ex Epiph.*
	Tybi		Januarius	Αὐδυναῖος
	Mechir		Februarius	Περίτιος
	Phamenot		Martius	Δύστρος
	Pharmuti		Aprilis	Ξανθικός
	Pachon.		Majus	Ἀρτεμίσιος
	Paini		Junius	Δαίσιος
	Epiphi		Julius	Πάνεμος
	Mesori		Augustus	Λῷος
	Thoth		September	Γορπιαῖος
	Paophi		October	Ὑπερβερεταῖος
	Athir		November	Δῖος
	Choiac		December	Ἀπελλαῖος

Ne vero huic mensium ordini cæca fides adjungatur, ille argumentis est confirmandus. S^tus. Athanasius, qui mensium Ægyptiorum hospes esse non potuit, ἐπιφωσκούσης γὰρ τῇ πεμπτῇ τῶν εἰδῶν Φεβρουαρίων τουτέστι τῇ ιδ. τοῦ Μεχὶρ μηνὸς: *Illucescente enim quinto idus Februarii die, hoc est, decimo quarto mensis ejus qui mecher dicitur.* Similiter Theophilus Alexandrinus: *Incipientes quadragesimam a 30. die mechir, & hebdomadam salutaris Pascha quinta die mensis Pharmuthi, finientesque jejunia, secundum Evangelicas Traditiones, vespere Sabbathi, decima die pharmuthi.* Epiphanius hæret. 51. n. 24. κατὰ Ῥωμαίους πέμπτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, κατὰ Αἰγυπτίους Τύβι ἑνδεκάτῃ, κατὰ Σύρους εἴτουν Ἕλληνας, αὐδοναίου. *Apud Romanos Januarii dies sextus, Ægyptiis Tybi undecimus, Syris, sive Græcis, Audinai sextus.* Pachon igitur non in Novembrem Decembremve incidit, sed in Majum.

Ath. ad Serap. lit. c. 3.

Bibl. Pat. t. 3.

Mensibus Ægyptiis sic latine redditis, constat nunc falsissimum esse, *quod Ecclesia pari consensione in eam convenerit sententiam ut Redemptor noster sit natus 25. mensis Decembris.* Quis enim tam projectæ fuisset audaciæ, ut contra certam Ecclesiæ opinionem errore immani Natales Dominicos a Decembri in Majum relegaret? Ictum facillime exire Baronius sibi videtur, qui hic Pamelio sapientior, Majo, ut par est, Pachon asserit. *Hac*, inquit, *heretici phanatice, vel nulla saltem verisimili ratione vel autoritate nixi.* Hem! *hac heretici*? Siccine Clemens Alexandrinus? *Sunt autem qui curiosius*; quæ dubio procul pertinent ad Orthodoxos quorum sententiam de Cæsarum annis & catalogo nuper recensuerat. Oscitanter a Purpurato lectum esse Clementem ille fatebitur qui hæc attenderit. *Basilidis sectatores ejus quoque Baptismi diem celebrant*—καὶ μὴν τινὲς αὐτῶν φασὶ Φαρμουθὶ γεγενῆσθαι κδ. ἢ κε: *Quin etiam dicunt ex Basilidianis aliqui Christum natum esse 23. vel 25. Pharmuthi, id est, Aprilis:* Cæterum, non invehitur Clemens in illos homines qui vel Aprili, vel Majo, Christum lucem aspexisse dicebant; indicio atque argumento Ecclesiam de die Natalis Christi non esse certam, nec adhuc ejus ortum 25. die Decembris illigasse. Pœnam merito dedissent contumaces illi Ecclesiasticæ disciplinæ violatores, non secus ac Tessarescaidecatitæ, qui a consuetudine pene totius Orbis Christiani abhorrebant de die Paschatis celebrando.

Baronio falsi dicam scribit Eruditus Anton. Pagius: *Clemens Alex. & Eusebius* (verba sunt Critici) *citati a Baronio, quando scribunt Christum natum 28. Augusti, hos annos non a pugna Actiaca, ut Baronius* Ant. Pag. Appar. n. 95. *perperam interpretatur; Sed a capta Alexandria & a morte Antonii, seu ab anno sequenti desumunt.* Ratio vero qua movetur Criticus, hæc est: *uterque enim Christum die sexta Januarii, Epiphania sacra, natum existimavit.* Ut vellem Vir Doctus locum illum Clementis Alexandrini indicasset quo Christum ortum esse significet *& sub Consulatu Augusti 13. & Plautii Silvani, & die sexta Januarii, Epiphania sacra.* Nam, verum ut fatear, reficienda mihi memoria est horum locorum repetitione. Scio Clementem annorum Augusteorum ter agitasse mentionem: Strom. l. 1. p. 248. & 249. *Natus est*, inquit, *Dominus noster 28. Anno cum primum jusserunt Censum Descriptionemve fieri, tempore Augusti.* Annus ille decimus sextus Julianus est, incipiens ex decreto Senatus, die 29. Augusti, docente Dione l. 51. p. 457. *τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι. Diem quo capta fuit Alexandria festum esse censuerunt Patres, ab eoque reliquis annis initium sumendum Ægyptiis.* Quam numerandi rationem Clemens secutus esse videtur, non secus ac Eusebius, Hist. l. 1. c. 5. qui Dominicum ortum affixit *Anno 28. Augusti a subacta Ægygto, & ab interitu Antonii & Cleopatræ.* Qua ex Chronologia hæc una apud Clementem consistere possunt, Christum natum esse & vigesimo octavo Anno, & Lentulo & Messalino Coss. cum vigesimus octavus inceperit die nono & vigesimo Augusti hujusce anni quem illi aperuerant: nempe, si lucem Christus hauserit in illo spatio quod a 29. Augusti, Anni Jul. 43. ad usque Januarium anni sequentis protenditur. Negandum quidem non esset Clementem Alex. existimasse Christum natum esse *Augusto 13. & Plautiano Coss.* si quod pro certo affirmatur ab Erudito Pagio, Clemens ortum Dominicum die sexta Januarii, Epiphaniæ sacra illigasset. Sed Criticum fides appellet: me quod attinet, hoc dixisse aut scripsisse Clementem vix credam, donec locus indicetur. Si accurate ac emendate loqui sententia est, nullum diem Christi Natalibus a Clemente certus constitutus est, nedum Januarii sextus. Nonnullorum quidem qui curiosius Natali Dominico non solum annum, sed etiam

diem

diem addebant, nimirum, vel 25. Pachon, vel Pharmuti, mentionem agitat, sed de die suam non peragit sententiam; imo, vocem περιεργότερον quam usurpavit, in malam potius quam in bonam partem sumit. Fons caputque affirmationis Paganæ patet, ni fallor, Sectatores Basilidis, monente Clemente, Baptismi Dominici diem celebrabant, totam præcendendum noctem in lectionibus transigentes. φασὶ δὲ εἶναι τὸ πέντε καὶ δέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, τὴν πέντε καὶ δεκάτην τοῦ Τύβι μηνός; τινὲς δὲ αὐτὴν ἑνδεκάτην τοῦ αὐτοῦ μηνός: *Dicunt autem eum esse quintum decimum annum Tiberii, quintum decimum mensis Tybi, aliqui autem esse undecimum ejusdem mensis.* Quem Baptismo Christi Tybi mensem, sive Januarium ascripsere Basilidiani hæretici, Vir doctus ad Natale forsan transtulit. Ut ut sit, suppeditetur ex Clemente locus quo Christum *die sexta Januarii* natum esse declaraverit, tunc non modo erroris memoriam damnabo meam, sed etiam grates persolvam Viro Docto quod ea mihi indicarit quæ in Clemente, licet vigilantibus satis oculis eum perlegerim, nondum invenire potui.

Ad Baronium redeo, cujus sententiam configit & Epiphanius: γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰανουάριον μῆνα τουτέστι πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίου ἥτις ἐστὶ Ῥωμαίοις πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνός. *Cum enim Januario mense natus esset Christus, 8. Iduum Januarii, qui est apud Romanos dies quintus.* De verbo ad verbum sic vertendus est Epiphanius, quod ab Eruditissimo Petavio prætermissum miror. Legendum itaque ἕκτη pro πέμπτη, cum diem Januarii sextum octavus Iduum sibi vendicet, quo die celebrabantur Epiphania apud Orientales. hær, Alog. p. 439. τῆς ἡμέρας τῶν Ἐπιφανίων ἥ ἐστιν ἡμέρα τῆς αὐτοῦ γενέσεως κατὰ σάρκα: *Epiphaniorum die qua is secundum carnem natus est.*

Quarto seculo jam affecto de die Natali adeo Orientales cum Occidentalibus discrepabant, ut Epiphania non unum idemque his & illis significarent. Nazianzeno Epiphania dies Natalis, quia tunc Deus in carne manifestatus est. Τὰ δὲ νῦν Θεοφάνια ἡ πανήγυρις εἴτ' οὖν γενέθλια. *Nunc autem Theophania, sive Natalitia præsens Clebritas.* Jam auditus est Epiphanius. Sed & Alexandrina Ecclesia Natali Epiphaniorum nomen imposuerat. Cassianus, Collat. 10. c. 2. *Intra Ægypti Regionem mos iste antiqua Traditione servatur, ut peracto Epiphaniorum die, quem Provinciæ illius Sacerdotes vel*

Dominici Baptismi, vel secundum carnem Nativitatis esse definiunt, & idcirco utriusque Sacramenti solemnitatem non bifarie, ut in Occiduis Provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant. Occidentalibus vero Epiphania diem Baptismi Dominici designabant, qui mense Januario celebratur. De Juliano Imperatore Ammianus Marcell. l. 21. *Utque omnes, nullo impediente, ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem desciverat, arcanorum participibus paucis, Aruspicinæ, Auguriisque intentus, & cæteris quæ Deorum semper fecere cultores: & ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter Numine orato discessit.* Quæ de Natali feria capi non debere argumento est urbs ubi tunc Julianus commorabatur Vienna, sita ad Rhodanum. Et patet insuper ex Hieronymo, cui Epiphania diem Baptismi Dominici sonant. c. 1. in Ezech. *Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet Baptismum in quo aperti sunt Christo cœli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est. Non ut quidam Natalis dies in carne, tunc enim absconditus est, & non apparuit; quod huic tempori congruit quando dictum est, hic est filius.*

Cæterum, vera ut exequar, frustra sive diei sive mensis Natalium Dominicorum scrutamur arcana, cum faustum illud tempus Scriptura silentio dissimularit, Traditio vero Ecclesiæ in gratiam redigi non possit. Plus operæ & sudoris non inutiliter consumeretur in anni tempestate qua Christus auram communem hausit investiganda, exiguam hic facem nobis præferente Luca. Bethlehemitici quippe pastores, quibus apparuit Angelus, *erant in agris pernoctantes, & vigilias noctis servantes in gregem suum:* Quibus, meo judicio, recte colligitur Christum Hyeme editum non esse. Doctissimus, quidem, Spanhemius vim argumenti contundere conatus est, Dub. Evang. l. 2. n. 9. *Tractus Judææ Europæis calidior est, & magis temperatus, & major plerumque serenitas Decembri mense quam Januario, vel Februario sequente; unde non sine causa Eruditissimus Casaubonus argumentum illud parum firmum esse notat.* De Doctis bene meritus esset Illustris Spanhemius, si ex locuplete suæ eruditionis penu nobis prompsisset & pastores, & oves hybernis noctibus Decembris sub dio in Judæa degentes? Jacobum curantem Labanis greges de noc-

tur-

turno gelu querentem audimus; & axi cœli torrentiſſimo Africam ſubditam, Hyemis frigore multum laboraſſe, teſtis eſt Cyprianus, inſignis ad Martyres in metallo conſtitutos Epiſtola 77. *Veſtis algentibus deeſt, ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus eſt abundanter, & cultus eſt.* Quibus non levi conjectura ducimur hyberno tempore Epiſtolam eſſe ſcriptam. Solſtitio Brumali in caulis clauſæ latent pecudes, etiam in Africa ſi Calphurnius, ut putatur, ibi ſcripſit eas Eclogas quas Nemeſiano Carthaginenſi dicavit.

Sed non ante greges in paſcua mittite clauſos,
Quam fuerit pacata pales. Eclog. 45.

Virgilius quoque l. 3. Georg.

---- ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur æſtas.

Columella l. 8. c. 3. *Hyeme & Vere matutinis temporibus intra ſepta contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahit.* Enimvero, id pecus quamvis ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen eſt impatientiſſimum. Ut vero Æſtate aer longe calidior apparet in Judæa quam in Europa, ſic Hyeme dum ſubit poros ſenſum ſui acriorem facit objectu contrarii, adeo ut viatores qui diu ſole torrebantur, ſæpius noctis inclementia torpeant, experientia teſte. Hyeme noctes debent eſſe frigidiores quam æquinoxio verno, quo tamen Miniſtros Pontificis una cum Petro, propter frigus nocturnum, ad prunas congeſtas ſe calefacientes legimus apud Joannem 18. 18.

In Brumale ſolſtitium Chriſti Natales non incidiſſe colligitur ex acto apud Judæam Cenſu, qui Hyeme commode agi non potuit. Ut ut vero Cœli ſolique Judaici amœnitas felix ac beata prædicetur, ſicuti fugæ agitando, ita & Cenſui peragendo apta commodaque hyems eſſe non potuit. Inſtat Eruditus Spanhemius. *Nec adeo Romanis in pretio erant Judæi ut illorum attenderentur commoda, vel incommoda.* Quæ viro Clar. miror excidiſſe. Auguſto imperante Judæos Romanis in pretio fuiſſe longe certiſſimum eſt. Conceſſum, quippe, Judæis ab Auguſto fuerat χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις νόμοις καὶ ἔθεσιν: *Uti Patriis legibus & moribus, primitiasque ſuo quemque arbitratu pietatis ergo conferre, deportandas abſque impedimento ad Templum Dei Maximi.* Nec æquiſſimi Imperatoris tam cruda fuerunt Joſeph. Ant. l. 16. c. 10.

imperia, ut Subditis Herodis Magni quem Augustus amabat ex animo, tam grave onus imponeret quod mulieres uterum gerentes, senes ætate confecti, omnes denique in suam quisque urbem irent describendi. Ex Historia sciri potest Herodem eo felicitatis esse provectum, ut cum in toto quam late patet Romano Imperio duo essent omnium potentissimi, Cæsar & Agrippa. Καίσαρ μὲν οὐδένα μετ' Ἀγρίππαν Ἡρώδου προτιμῶσιν: Ἀγρίππας δὲ μετὰ Καίσαρα. *Cæsar post Agrippam nemini majorem quam Herodi honorem exhiberet, Agrippa autem post Cæsarem nemini.* Et quisquam præterea inducet in animum Augustum Judæorum commoda non attendisse in Censu peragendo, cui trimestris allata mora nil periculi habuit?

Joseph. Ant. l. 15. c. 13.

In Latinorum de Natali Dominico sententiam Magnus Scaliger ex Abiæ Ephemeria duxerat argumentum. Tenent omnes & sciunt ut David nepotes Aaronis 24. in Classes Tabernaculo ministraturas diviserit. Ephemeria Joarib agmen ducebat; octavum vero locum sibi vendicabat Abiæ familia. Quæ viginti quatuor Sacerdotum Classes Sacris operabantur, singula hebdomadam suam. Porro, Judas Maccabæus primæ Classis Joarib Sacerdos, Templum a Græcis pollutum expiaturus, 24. familiis Sacerdotum convocatis, quæ per triennium & amplius cessaverant, pristinum earum ordinem instauravit, ut in Encæniis Templi primæ, ex prisco ordine, primus locus daretur, cujus functio accidit 22. Novemb. ante Encænia. Unde enim prius stationum ordinem iniret quam a prima familia, in *qua Sacerdos erat.* Hinc colligit Vir ille, cujus acumen ingenii cum laude certabat; *Itaque die 27. Julii* ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας *Zachariæ, quo die reversus est in montana Patriæ suæ. Conceptio igitur Joannis incidit in hebdomadam, qua secuta est proxime post 8um. diem Julii—Natalis vero circiter initium Aprilis, Anni* 4711. Qua data Joannis nativitate, October Christi Natalibus est asserendus.

Scal. Can. Isag. n. 101.

Scaligerianum argumentum Præstantissimus Spanhemius infirmare voluit. *Supponitur* ἐφημερίαν *Joarib primam a restituto Dei cultu Sacris operatam. At quid, si illa legali pollutione contaminata? Quid, si denuo sorte in Dei voluntatem inquisitum a Juda? Quid, si aliqua ex 24. familiis interciderat?* Viri docti probarem acumen nisi Josephum aperti mendacii immerito postularet. *Separatis a reliqua Tribu Sacerdotibus, viginti quatuor eorum cognationes invenit: ex Elea-*

Joseph Ant. l. 7. c. 11.

zari familia ſexdecim: ex Ithamari octo; inſtituitque ut una Claſſis miniſtraret Deo per dies 8. a Sabbato usque ad Sabbatum—καὶ διέμενεν οὗτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας: *quæ quidem diviſio durat usque in hodiernum diem.* Itaque, ſi Joſepho fides adjungenda, non uſurpari debuit, *quid, ſi aliqua ex* 24. *familiis interciderat?* Hoc negat teſtis occulatus, negat ullam periiſſe, ut de gradu dejectam - ἐμοὶ δ' οὐ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων. *Ego autem non ſolum ex Sacerdotum* Joſeph. vit.
genere ortus ſum, verum etiam ex prima vice inter illas viginti quatuor. Quibus cadunt illæ argutiæ in Scaligeranam hypotheſim.

Mea quidem ſententia, fundamentum Scaligeri immotum maneret, poſſetque ad Æram Chriſtianam feliciter applicari, ſi ſtabilem ſedem figeret alicubi: ſed adhuc ſub judice lis eſt a quo Auguſti anno verum Chriſti Natale incoeperit. Singulis autem annis cyclus Ephemeriæ Sacerdotalis quatuor hebdomadis proximum annum prævertit: ut ſi functionem ſuam obierit Judas Maccab. 25. menſis Caſleu, ſive Novembris, quo Sacrificium oblatum, Feſtumque poſteris agitandum inſtitutum, Claſſis Abiæ decimum tertium ad 19. ſibi aſſeruerit; Anno vero ſequente bis acto in orbem Ephemeriarum cyclo, Decembris vigeſimo 2°. Sacris operata ſit, quod ſingulis annis cunctæ Sacerdotales Ephemeriæ ſolum octo & quadraginta hebdomadas compleant. Itaque, Summus Vir Samuel Bochartus ex Scaligerana hypotheſi Jeſum Martio natum eſſe colligit. *In his palmarium illud quod Zachariæ Joannis Baptiſtæ Patri hebdomadario ſacerdoti* ἐξ ἐφημερίας Ἀβιὰ, *& in ordine Æbia* Sam. Bochart. Hieros. l. 2. c. 44.
ἱερατεύοντι *apparuit Angelus, Luc.* 1°. *Abia porro* ἐφημερία *eo anno in Decembrem incidit-& Chriſtus ſexto poſt menſe, id eſt, Junio, conceptus eſt; unde ſequitur natum eſſe circa Martium.* Duo ſunt præcipue quæ argumento ex Claſſe Abiæ ducto vires detrahunt: Unum, quod nomen Conſulum, quibus Chriſtus ortus eſt, ignoretur: alterum, * quod bis ſingulis annis Claſſes Sacris operabantur, imo ter etiam nonnullæ ſuo munere quandoque functæ ſunt. At, conceſſo quod Anno Auguſti 39. Juliano 41. Chriſtus in lucem editus ſit, veroſimile eſt circa Martium hauſiſſe diem: cum hoc Anno, ineunte Novembri, poſt peractum munus Zacharias domum redierit. Ab Encæniis ad Auguſti 39um. anni centum & quinquaginta novem

novem numerantur. Huic sententiæ aliquid autoritatis contribuit quod Veteres illi qui a germano Christi Natali minus aberant, non in ulla alia anni tempestate quam Vere quærebant.

Vanis, pace sua dictum sit, ac frigidis moti rationibus Antiqui complures Servatoris Natalem diem in hyeme collocaverunt. Autor Quæstionum ad Antiochum Q. 54. apud Athanasium: *τίνος χάριν τῇ εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ λεγομένου παρὰ Ῥωμαίων Μαρτίου μηνὸς ὁ Χριστὸς ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς παρθένου ἐπὶ γῆς ἐσκήνωσεν* *Quare vicesimo quinto die mensis Martii, in utero Virginis clausus habitare cœpit Christus & Deus noster veniens in terram?* Respondet, *quia eodem die in mundi principio Deus creavit Adam.* Hic quoque sectatur allegorias Chrysostomus in Lucam, Hom I. *Fuit igitur, ut diximus, quando hæc Angelus ad Mariam annunciavit* 8. *Kal. Aprilis, qui est ipse dies Æquinoctialis ad inchoationem lucis: jam enim detersa caligine a mundo, lux in mundum adveniebat.* A Zacharia tanquam Pontifice argumenta duxere plurimi. Videtur hic Zacharias Summus designari Sacerdos, cui Chrysostomus, Beda, Euthymius succenturiati, quæ, & illorum similia, stabili fumdamento non manent.

ANNO XXXVII. NUM. III.

Clarissimorum Virorum Isaaci Vossii, Anton. Capelli, Ant. Pagii nova Proconsularis imperii Tiberiani Epocha, ad examen revocata. An eam Lucas usurparit in Evangelio suo. Ajentis Baroniani Critici Contradictio. Refellitur Epochæ Proconsularis inventum. 1°. *Ex Æra Tiberiana quam adhibuere Autores Historiæ Rom. à qua, veluti communi & publica, Lucam recessisse improbabile est.* 2°. *Epocha Augustea Tiberii in usu fuit apud Judæos, teste Josepho.* 3°. *Patres insolentes fuisse Epochæ Proconsularis, nec ab illa Tiberii annos numerasse, demonstratur ex Clemente Alex. Tertulliano, Lactantio, Eusebio*

ſebio, Epiphanio, Caſſiodoro. 4°. Geminæ Regum Imperatorumque Epochæ ab Hiſtoricis aperte indicatæ, cum nullus geminam illam Tiberii Æram perſpicue indicarit. 5°. Inventum Epochæ Proconſularis vanum conciliandæ Chronologiæ Patrum & Scripturæ. Contradictio Pagiana de Cleti creatione in Pontificem. Aperiuntur cauſæ cur Patrum Chronologia a Scriptura diſſentiat? An Tertullianus de annis Chriſti ſententia deceſſerit? Affirmantis Critici Baroniani opinio pluribus impugnata argumentis. De Chronologia Irenæi quinquaginta annos Chriſto contribuentis. Huic errori inventum Proconſularis Epochæ nil afferre remedii. An corruptus Irenæus? Ajentium Baronii Antoniique Pagii opinio impugnatur. Paganæ objectiones pro Epocha Proconſulari Tiberii ex Clem. Alex. Pugna Criticæ & diſſert. Hypathicæ. Vera Clementis ſententia de annis Tiberii. Teſtem ab Erudito Pagio ſuppeditatum teſtimonium dicere pro Auguſtea Epocha. Reſpondetur Sulpitio, corruptum fuiſſe oſtenditur. Lapſus Pagianus circa Origenem.

Conciliandæ de annis Chriſti cum Scriptura ſententiæ geminam Tiberiani imperii Epocham Viri Summi commenti ſunt, Iſaacus Voſſius & Antonius Capellus. Prior triennio vel quadriennio ante Auguſti obitum incipit a Proconſulari Tiberii imperio: poſterior ab Auguſteo, poſteaquam illi Auguſtus deceſſerat; quod inventum commodum eſſet expediendæ Antiquitati ab anguſtiis quæ ſuæ Chronologiæ ſæpius impediunt exitum, de Anno cum Baptiſmi, tum obitus Dominici, ſi veris conſentiret. Adoptatam de Proconſulari Tiberii imperio Epocham, nomine Inventorum ſuppreſſo, viriliter ac ſtrenue defendit Baronianus Criticus Antonius Pagius: cujus Epochæ pondus eſt diligenter examinandum, ut dubia Chronologiæ Chriſtianæ magis illuſtrentur. *Duplex*, inquit, *Tiberii* Ant. Pag. Appar. n. 142

 Epocha,

Epocha altera ab ejus imperio Proconsulari Christi 11. *altera ab anno Christi* 14. *quo Augusto demortuo successit. Non constat autem an Divus Lucas cum de anno Baptismi loquitur, de anno decimo quinto imperii Proconsularis, an vero de anno* 15. *imperii Augustei intelligendus sit.* Quænam vero fuerit de hoc Proconsulari Tiberi imperio sententia Patrum, sic censet An. Dom. 29. n. 4. p. 20. *Existimarunt illi Anno Christi* 26. *ministerium Joannis inchoatum esse, currente, nempe, anno* 15. *imperii Proconsularis Tiberii, Annoque Æra Christianæ* 28. *Christum Baptizatum esse, ita ut ministerium Joannis uno vel altero anno duraverit. Ex his manifestum redditur Antiquos non solum imperium Proconsulare Tiberii agnovisse, sed etiam ab eo Tiberii annos numerasse: alioquin, quomodo scribere potuissent, Christum Anno* 15. *Tiberii, duobus Geminis Coss. crucifixum fuisse, & uno cum aliquot mensibus ante passionem prædicasse, cum eo Tiberii Anno Lucas Christum Baptizatum dicat?*

Oro atque obsecro accuratum Criticum, ut se ab angustiis expediat antequam in ejus sententiam loquamur. *Nec enim sibi consententire videtur. Ad annum, quippe, Domini 19. n. 5. *Incertum*, ait, *an Lucas annum* 15. *Tiberii ab ejus Monarchia, vel ab ejus imperio Proconsulari desumpserit.* Recte, *incertum*: at Appar. n. 142. *Lucam intelligendum de Anno* 15. *imperii Proconsularis mihi valde persuasum.* Ergone *persuasio* valida incertis nititur? An incertum persuasione mentem alicujus induit? Aut certum est Lucam de imperio Proconsulari egisse, aut inanis est Pagiana persuasio. Optionem Critico permitto, quidquid elegerit, non effugiet contradictionis laqueos.

Rem ipsam quod attinet, Lucam Patresque Epochæ imperii Proconsularis Tiberianæ ignaros esse atque insolentes mihi persuasissimum apparet atque extat. Utrum Historici Romani a Proconsulari, an ab Augusteo imperio annos Tiberianos deduxerint? Suetonius c. 73. *Obiit in villa Lucilliana octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperii.* Tacit. An. l. 10. *Dein, Rhodo regressus, vacuos Principis penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme & viginti annis obtinuit.* Victor uterque: *Imperavit annos viginti tres.* Dio l. 58. Imperavit *annos* 22. *menses* 7. *ac dies totidem*; Nec ulli rerum Romanarum Scriptori suboluit Epocha imperii Proconsularis Tiberiana. An ergo verosimile Lucam, repudiata

diata vulgata publicaque Epocha imperiali, quæ & notior & celebrior omnem Imperii Orbem oppleverat; obscuram ignotamque usurpasse in Annalibus Ecclesiæ condendis, quibus ubique gentium fama Christi deportari debuit? Imperii Rom. Provinciæ a Proconsulibus, Prætoribus, Præfectis administrabantur, qui Urbis tenebant Epocham Tiberianam, quæ Augustea fuit; nec fidem habet quod Provinciales a Præpositorum suorum consuetudine in numerandis Tiberii annis discederent. Quanam Epocha Tiberiana Judæi uterentur, declarat eximius ille Antiquitatum rerumque Judaicarum Conditor Josephus, de Bello l. 2. c. 8. μέχρις αὐτὸς ἐτελεύτησεν ἡγεμονεύσας ἔτη δύο πρὸς τοῖς εἴκοσι καὶ τρεῖς ἡμέρας ἐπὶ μησὶν ἕξ: *Sed defuncto Tiberio post Regnum annorum duorum & viginti sex mensium & trium dierum.* Illam & Epocham Tiberianam quæ Judæis in usu fuit, a Luca fuisse adhibitam, quis jure negabit? Annon insolita novaque numerandi ratione, & popularium suorum, & Romanorum perturbasset animos; Historiæ suæ labefactasset fidem? Sapientis est Historici in Annalibus condendis illam retinere Æram quæ & constans est, & publica, qualis Augustea Tiberiana fuit.

Patres quod attinet, adduci nequeo quin existimem non modo & imperium Proconsulare Tiberii ignorasse, *sed etiam ab eo Tiberii annos non numerasse.* Novam, opinor, Epocham non excogitarunt, sed quam in Historiis Annalibusque usurpatam legerant, suas in lucubrationes derivarunt. Annalium autem Historicorumque de Tiberio Epocha, Augustea quidem, non Proconsularis fuit. Verum, ut graviori argumento urgeam Adversarios, cum Epocha Proconsularis imperii Tiberiana Augusteam tribus annis superet, fatendum necessario est Patres imperio Tiberiano sex & viginti adjunxisse annos, si a *Proconsulari Præfectura illos numeraverunt.* An sic numerum iniit Clemens Alexandrinus? *Natus est autem Dominus noster 28. Anno cum primum jusserunt Censum Descriptionemque fieri, tempore Augusti; quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in Evangelio secundum Lucam: Anno autem quintodecimo Tiberii Cæsaris factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium. Et rursus in eodem: Erat Jesus veniens ad Baptisma quasi triginta annorum: & quod anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoque sic* Clem. Strom. l. 1. p. 249.

 scriptum

ſcriptum eſt : annum acceptabilem Domini prædicatum me miſit : hoc & propheta dixit & Evangelium. Πέντε καὶ δεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πέντε δεκάτῳ Αὐγούστου, οὕτω πληροῦνται τὰ τριακόντα ἔτη ἕως οὗ ἔπαθεν. *Quintodecimo ergo Anno Tiberii, & quintodecimo Auguſti, ſic implentur triginta anni usque ad tempus quo paſſus eſt.* Si Proconſulare Tiberii imperium attendebat ille Clemens, *Annorum triginta* numerum, ex quindecim Tiberii & totidem Auguſti conſtantem, compleri impoſſibile eſt : tres enim Proconſularis imperii Tiberiani anni, cum tribus Auguſti ultimis currunt, collaterales, non ſuccedanei; ex quibus ſolis Clementina illa triginta annorum ſumma colligitur, cum ſuccedanei annorum duodecim termino circumſcribantur. Quocirca, quindecim illi anni Tiberio aſcripti ad Proconſulares nequaquam pertinent, quippe qui ab Auguſti annis reipſa diſtinguantur. Atque hinc patet & promptum eſt, de imperio Auguſteo Tiberii Lucam a Clemente captum eſſe, quem ſuæ Chronologiæ probandæ teſtem adhibet. Abſurdum ſane & abſonum extra modum eſſet, hanc phraſim *quintodecimo Anno Tiberii*, uno loco Epocham diverſam, Proconſularem, ſcilicet, & Auguſteam ſignificare.

Tertul. adv. Iud. c. 8. A Proconſulari imperio Tiberii annos ejus Tertullianum non numeraſſe certe & certo ſcio. *Poſt enim Auguſtum qui ſupervixit poſt nativitatem Chriſti, anni quindecim efficiuntur, cui ſucceſſit Tiberius Caſar, & imperium habuit annis viginti duobus, menſibus ſeptem, diebus viginti. Hujus quintodecimo Anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta cum pateretur.* In mari venatur apros qui in his Tertulliani imperium Tiberii Proconſulare quærit. Nec in Proconſulari imperio Auguſti Tiberius ſucceſſerat, nec Proconſulare imperium annorum viginti duorum, menſium ſeptem, dierum viginti ſpatio limitatum, nec *imperium* ſimpliciter *Proconſulare* indicat, ſed *Auguſteum.* Pergamus, Lactantius Proconſulare imperium

Lact. l. 4. c. 10. Tiberii non attendebat. *Tiberii Caſaris Anno decimo quinto, id eſt, duobus Geminis Coſſ. ante diem decimum* Kal. *Aprilis, Judæi Chriſtum crucifixerunt.* Quid diſertius? Aut quæ Auguſtei imperii certior nota opponi potuit? An decimus quintus Proconſularis Præfecturæ Tiberianæ Conſules *duos Geminos* habuit? De annis Tiberianis eadem eſt Euſebio ſententia, & in Chronico & in Hiſtoria :

ria: ibi, *Tiberius annos viginti tres, cujus Anno* 18. *Christus crucifixus est*: Hic *l.* 2. *c.* 4. Τιβέριον οὖν ἀμφὶ τὰ δύο καὶ εἴκοσι βασιλεύσας ἔτη, τελευτᾷ: *Interea, Tiberius cum duobus circiter ac viginti annis imperasset, extremum diem obiit.* Quid infinita Patrum monumenta volvere opus est? Audiatur Epiphanius, De mens. & pond. p. 169. *Tiberius annos* 23. *cujus Anno* 18. *Christus crucifixus est.* Audiatur Cassiodorus, *Augusto successit in imperium Tiberius Cæsar, qui imperavit annos viginti tres.*

Hoccine est numerare annos Tiberii ab imperio Proconsulari? atqui dixissent Tiberius annos viginti sex imperavit. Equidem, si gemina imperii Tiberiani Epocha Patribus nota fuit, movet admirationem quod Josephus, Eusebius, Epiphanius, illique omnes quibus nonnulla erat Chronologiæ peritia, geminam illam Epocham aperte non indicarint. Augusti multiplex est Epocha, itaque ab Eusebio non omissa est. *Annus jam agebatur secundus & quadragesimus imperii* Euseb. l. 1. *Augusti, a subacta Egypto octavus ac vicesimus cum Servator natus est.* c. 5. Herodis Epocha gemina extitit, altera ab Anno Juliano 6. altera a nono: priore, Rex a Senatu renunciatus est; Posteriore, solus ac sublato Competitore regnavit. Hoc non prætermisit Josephus. Quidni similiter accurate distincta est gemina Tiberii Epocha, si Patribus Historicisve probe nota; cum, regnante Vespasiano, Titus majori potentia fuerit præditus, quam illa Tiberii, vivente Augusto: quippe Titus dicebatur αὐτοκράτωρ, & participem autoremque exercebat imperii? Si ab imperio Proconsulari Tiberiano Patres ejus annos numerarunt, utique Titi Præfecturam non ab obitu Vespasiani, sed a superioribus annis multo magis repetere debuerunt; quod inauditum in omni memoria.

Sed & vanum est, & male jactum geminæ Tiberiani imperii Epochæ fundamentum, quod eo fine & consilio excogitatum est, ut Patrum Chronologia cum Scriptura conspiraret amore atque concordia. *Alioquin, quomodo scribere potuissent*, verba sunt Pagiana, *Christum Anno* 15. *Tiberii, duobus Geminis Coss. crucifixum fuisse, & uno cum aliquot mensibus ante passionem prædicasse, cum eo Tiberii anno Lucas Christum passum esse dicat.* Hæc, inquam, via Patrum cum Scripturæ Chronologia conciliandorum inutilis est. Si verum volumus, fatendum est Patres non locutos fuisse ad regulam & diligen-

tiam Chronologiæ ſive ſacræ, ſive prophanæ. Quid tam abſurdum quam Juſtini Martyris Apol. 2. de Lxx. Interpretibus ſententia? *Ptolomæus Rex Ægypti petiit ab Herode Rege Judæorum ut copiam librorum faceret?* Quid tam abſonum quam Clementis Alex. Traditio de Chriſto unum ſolum annum apud Judæos concionante? Annon & a vero procul eſt Origenes, de Principiis l. 4. c. 1. *Indicium autem effuſæ gratiæ in labiis ejus, hoc eſt, quod brevi tempore, tranſacto anno enim & aliquot menſibus docuit, univerſus tamen Orbis doctrina & fide pietatis ejus impleta eſt?* Annon pugnat Evangelio Gaudentius Brixianus, Serm. 3. de Paſchate. *Anniculus eſt, quia poſt illud Baptiſmum quod pro nobis in Jordane ſuſceperat, uſque ad paſſionem unius anni tempus impletur.* Quicunque ſane aut unum Paſcha præter θανάσιμον, aut unum annum Chriſto aſſeruere (illi autem longe plures) Joanni concurrunt, apud quem tria Paſchata perſpicue leguntur.

Accurate igitur penſitandum eſt, quid Patres de Chriſti ætate dixerint. Si quid peccarunt, condonandum; non fingendæ ſunt Epochæ honori ſuo contra experientiam defendendo. Quæſtio facti eſt, an Patres exiſtimarint Chriſtum Anno 15. imperii Tiberiani fuiſſe crucifixum? Abſurditati ſanandæ Clariſſimis Viris Voſſio, Antonio Capello, Pagio, imperium Proconſulare Tiberii fuit adhibitum. Faſtidiunt reſpuuntque remedium vulnera. Non decimus quintus Proconſularis imperii Tiberiani Geminis Conſulibus inſignis fuit. Non imperium Tiberii Auguſto collaterale aut concurrens exhibet Tertullianus, ſed ſuccedaneum. Quid his diſertius? *Paſſio hujus exterminii intra tempora 70. hebdomadarum perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Coſſ. Rubellio Gemino & Rufo Gemino, menſe Martio,*
Tert. ad Jud. c. 8. *temporibus Paſchæ, die 8. Kal. Aprilis.* Nullis certe fidiculis Geminorum Conſulatus ad decimum quintum Proconſularis imperii annum adduci poteſt, quo Aſinius Agrippa & Cornelius Lentulus proceſſere Coſſ. nulla panacæa hæc Tertulliani curare poteſt; *Tiberii quintodecimo Anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta cum pateretur.* Fingamus, ſi placet, de Proconſulari imperio Lucam cogitaſſe, an ideo verum eſt Chriſtum Anno quaſi trigeſimo mortem manibus Judæorum inveniſſe? An hoc poſſibile eſt, cum jam quaſi tricenos annos natum Lucas Chriſtum ad Joannem accedentem exhibeat?

Pro-

Profecto, nimis multis experimentis ducimur ad consentiendum Viros, alioquin graves, pugnantia sentire, loqui, scribere. Exemplo est Eruditus ille Chronologus Antonius Pagius de Cleti Pontificatu. *Pontificatum susceperat Anno Christi septuagesimo septimo, octavo Vespasiani consulatu & sexto Domitiani suffecto, insignito.* Ille tamen ipse Cletus anno 75. Vespasiano Augusto VI. & Tito Cæs. 4. Pontifex creatur. *Sanctus Cletus hoc anno Sancto Clementi in Pontificatu Rom. succedit.* An hæc consentiunt? Si Cletus Anno Christi 75. Clementi succedit, falsum est quod Anno Christi 77. Pontificatum susceperit, & vice versa. Ut vero de Chronologiæ Patrum pugna cum Sacris Codicibus, Eruditus Criticus incredulitatem deponat suam, causas memorare juvat cur contrarias Scripturæ opiniones animo complexi sunt.

Primam exhibet Augustinus l. 2. c. 28. de Doctrina Christiana. *Ignorantia Consulatus quo natus est Dominus & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent 46. annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum esse Templum dictum est a Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat.* Nisi mentitum Augustinum dixerit Doctus Criticus, fatendum est illos qui Christum Anno sexto & quadragesimo cruci affixum fuisse existimabant, eam hausisse opinionem ex qua necessario sequebatur, *passum esse Dominum post mortem Tiberii & discessum Pilati:* quod tamen Antonio Pagio incredibile videtur. Secunda causa pugnæ Patrum cum Scriptura petitur ex ignorantia veræ germanæque Chronologiæ; quam disciplinam prisci Christiani ad solam pietatem attendentes ac tempestate persecutionum acti, non excolebant. Hypathicarum regularum, Cyclorumque boni illi Viri insolentes erant: hinc tot tantæque lites de agitando Paschatis festo. Unum Christum illumque crucifixum scire cupiebant. Hac sanctissima imbuti notitia persecabant vitium, ne serperet, minas Tyrannorum contemnebant, intentatam mortem spernebant. Non multum curatam ab Irenæo sacram Chronologiam indicio est enormis illa de Christi ætate sententia, *Christus a quadragesimo ad quinquagesimum annum Evangelium prædicavit.* Hoc quidem negant Baronius ejusque Criticus, atque in Scriptis Irenæi corruptionem imaginantur. Sed hac de re mox videbimus. Tertia, denique, causa pugnæ Chronologicæ Patrum

Ant. Pag. Ah. Dom. 91. n. 2.

&

& Scripturæ fuit incogitantia, qua sæpius accidit oppositas opiniones atque contrarias in una mentis sede morari. In comparatione vis pugnaque rerum cernitur, quam si Patres adhibuissent, opiniones oppositas non retinuissent, sed altera repudiata, alteri adhæsissent. Vir acuti excellentisque ingenii Augustinus in Lactantii sententiam concessit de morte Christi, *Geminibus Coss. mortuus est*, inquit, *ergo Christus, duobus Geminis Coss.* Id a Tertulliano scriptum nullo examine prævio creditum est. Christum quoque Anno Tiberii quintodecimo ad Baptismum accessisse creditum est. Atqui hæc pugnant. Sed ad judicandum de pugna, comparatio adhibenda erat, quam tamen non instituere: quod si fecissent, contrarietatem mentibus comprehensam facillime convulsissent: Simili de causa in dissimiles crebro incidimus opiniones. Maxime inter se pugnant, fateor, sed omissa opinionum comparatione contrarietas non deprehenditur; idcirco retinentur ut amicæ, & summa concordia copulatæ; sed forsan Tertullianus sententia decessit.

Ant. Pag. An. 32. n. 10. p. 27. Hoc affirmat Eruditus Criticus. *Tertullianus videns eam quam libro adversus Judæos scripserat opinionem, Christum, scilicet, passum esse annos circiter 30. maximas pati difficultates, tres vitæ ejus annos in lib. 1°. contra Marcionem addidit.* Hoc quidem satis argumenti esset vel concesso Tertullianum mutasse sententiam, ad probandum pugnam Patrum & Scripturæ Chronologicam, cui impediendæ auxilia imperii Proconsularis Tiberii sunt adhibita. Potuit vitam relinquere antequam errorem abjiceret, potuit illum cum vita retinere; & retentum esse a Lactantio eo constat, quod nullum in ejus Scriptis apparet mutationis vestigium. Sed ex penu suo hanc, ni fallor, trium annorum vitæ Christi additorum medicinam Tertullianico errori suppeditat Eruditus Pagius. Verba sunt Tertulliani adversus Marcionem l. 1. c. 10. *At nunc quale est ut Dominus à 12. Tiberii Cæsaris revelatus sit, substantia vero ad decimum quintum jam Severi Imperatoris nulla omnino comperta sit?* Quibus apparet] optime sibi Tertullianum consentire. Baptizatus est Christus, 12. anno Tiberii, passus *quintodecimo, annos habens quasi triginta cum pateretur.* Ut locum Christo daret complures annos prædicandi, ex præjudicio de morte Christi Anno ætatis quasi 30. manu Judæorum inventa, illigavit, ut par erat, Baptismum Dominicum Anno Tiberii 12. Illa ergo trium

trium annorum ad vitam Christi additione quam Tertullianum fecisse imaginatus est Criticus, nil incredibilius fingi poterat; & planum fit Chronico Eusebiano. *Tertullianus in eo libro quem contra Judæos scripsit, affirmat Christum 41. Anno Augusti natum, & quintodecimo Tiberii passum.* His septis spatium vitæ Dominicæ inclusum triginta annis completur. Quibus & luce clarius est, Tertullianum de imperio Proconsulari Tiberii nil cogitasse, cum ab Anno Augusti 41. ad quintodecimum Tiberii Proconsularem annum, qui anno Dom. 25. illigatur, viginti septem, non triginta, colligantur. Si triginta Christi annis tres additi sunt præterea, sequitur necessario non decimo quinto Tiberii, sed 18. orbatum fuisse luce. Impositis rite calculis a quadragesimo primo Augusti ad decimum quintum Tiberii Augusteum, exurgit numerus annorum tricenarius, quem Christo Tertullianus assignavit.

Aliud itaque Criticus agebat inter scribendum; *Unde non Baptismum in annum vitæ ejus 28. sed Natale in annum Julianum quadragesimum retraxit.* Quo teste tam audax assertio? An Eusebius Hieronymusve opinionis Tertullianicæ hospites, qui rotunde & aperto ore scripserunt, Tertullianum *affirmasse Christum 41. Anno Augusti natum, & quintodecimo Tiberii passum?* An unquam tringinta tres anni Christo assignati sunt a Tertulliano? Audiamus Criticum consequentiarum machina id deducentem ex Tertulliano. *Tertullianus Christum dicit Baptizatum Anno 12. Tiberii, ac paulo post Anno 15. ut secundum utramque Tiberii Epocham annum Baptismi Christi magis manifestaret.* Sed frustra imperio Proconsulari Tiberii Lucæ & Tertulliano accomodato cornicum oculos configere tentat. Quid sibi volunt hæc: *Paulo post Anno decimo quinto?* Sic Tertullianus c. 19. l. 1. advers. Marc. *Anno 15. Tiberii Christus Jesus de cœlo manare dignatus est, Spiritus salutaris.* Sed illud ex Tertulliani sententia nec dicitur, nec dici potuit. An Christianus eo unquam delabetur insaniæ, ut Anno 15. Tiberii Christum de cœlo manasse affirmet, aut scribat? Apage diram opinionem! Itaque ex Marcionis sententia loquitur Tertullianus, quod & vincit locus geminus l. 4. in Marcion. c. 7. *Anno quintodecimo Principatus Tiberiani; proponit Deum descendisse in civitatem Galilææ Capharnaum, utique de cœlo Creatoris.* Sed & phrasis illa, *Christus Spiritus salutaris*, Marcionis est, qui Christum suo corpore exuebat.

Ant. Pag. An. 32. n. 11. p. 27.

exuebat. Hoccine est secundum Epocham *& Proconsularis*, *& Augustei* imperii Tiberiani annum Baptismi Christi manifestare?

Ecce iterum imperii Proconsularis panacæa sanandis Irenæi Chronologiæ erroribus. Dictum ab Irenæo l. 2. c. 40. Christus *non ergo multum aberat à 50. annis, & ideo dicebant ei: quinquaginta annorum nondum es, & Abraham vidisti.* Baronius rotunde & aperte sciscit corruptos fuisse Irenæi codices: cui una consentit ejus Criticus, atque Sancti Patris explicatam sic exhibet sententiam: *Existimavit itaque Sanctissimus Doctor Irenæus, Anno Æra Christiana 25. factum esse verbum Domini ad Joannem Baptistam, Anno 15. imperii Proconsularis Tiberii in finem vergente... triaque Paschata celebrata fuisse annis Æra Christi 28. & 29. quo ultimo anno dieque Martii Christum crucifixum credidit.* Hæc diligenter & caute excogitata: sed quibus argumentis planum fit Irenæum de imperio Proconsulari Tiberii animum instituisse ad cogitandum, & a more solemni Romanorum, annos non a Proconsulari, sed ab Augusteo Tiberii imperio putantium, discessisse? Hæc probanda, non fingenda. Unum Antonio Pagio est argumentum probandæ explicationi suæ: *Irenæus tam sibi quam Evangelio contradiceret:* Ne igitur sibi & Evangelio contradicat, quidlibet est audendum, fingendum, excogitandum. Felicem solertiam! Atqui nil novi homines & sibi, & Evangelio contradicere; licet ut Evangelio, sic sibi Irenæum contradicere nullus concesserim. Iterum atque iterum dicam: secum pugnare Irenæum nisi Æræ Christianæ Anno 29. in cruce Christum fata complevisse existimarit, vigilantis est somnium; nec unquam in hanc sententiam descendisset Clarissimus Pagius, si animum serio attendisset ad scopum & argumenta Irenæi.

Ant. Pag. An. 32. n. 5.

Suos Æones numerumque tricenum omnes excedentem urgebant Valentiniani, ut non obscure innuit Lugdunensis ille Episcopus l. 2. adver. hæreses c. 38. & 39. *Non ergo triginta Æones sunt, nec ob hoc Salvator 30. annorum existens, venit ad Baptismum, ut ostenderet tacitos Æones eorum 30.--Duodecimo autem mense dicunt eum passum, ut sit anno post Baptismum prædicans; & ex Propheta tentant hoc ipsum confirmare: Scriptum est enim, vocate annum Domini acceptum.* Valentinianis hisce figmentis refellendis instat Irenæus: *Non scrutati sunt in Evangeliis quoties secundum tempus Paschale Dominus*

nus post Baptisma ascenderit in Hierusalem. Multa vero Paschata a Christo celebrata solidissime astruit ex Scripturis, quibus effertur mortuum Valentinianorum de uno prædicationis Dominicæ anno figmentum. Plura vero quam quæ a Joanne commemorantur, agitata Christo Paschata non negat, imo astruit necessario: argumentis etenim agens commenta Æonum tricenis Christi annis incumbentium; *omnem*, inquit, *ætatem sanctificavit per illam quæ ad ipsam erat similitudinem -- ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul & exemplum illius pietatis effectus, & justitiæ & subjectionis. Juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens, & sanctificans Domino. Sic & senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed secundum ætatem. Sanctificans simul & seniores, exemplum ipsis quoque fiens-- Quia autem 30. annorum ætas prima indolis est juvenis, & extenditur usque ad Quadragesimum annum, omnis quilibet confitebitur; quadragesimo aut quinquagesimo anno declinat jam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster, docebat; sicut Evangelium & omnes Seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt.* Ut ad pauca redeam, observatione digna sunt capitis 40. verba. *Non ergo multum aberat a 50. annis, & ideo dicebant ei, 50. annorum nondum es; & Abraham vidisti? Non ergo anno uno prædicavit, nec duodecimo mense anni passus est; tempus enim a trigesimo usque ad quinquagesimum, nunquam erit unus annus, nisi apud Æones eorum tam magni anni sunt deputati his qui apud Bythum in pleromate ex ordine resident.*

Jactabunt-ne adhuc Irenæum esse corruptum? Quid in ejus hypothesibus ἀσύνδετον? Quid non aptum congruens-ve refellendis & Æonibus, & sententiæ Valentinianorum de solo anno quo Christus munus obiit suum? Siccine ait ô Valentiniani! Nonne & Presbyterorum qui Joanne Apostolo familiariter usi sunt Traditio, & quinquaginta annorum spatium quod emensus est mundi Servator omni hominum generi sanctificando, refellunt vestra commenta & de Christo patiente mense muneris sui duodecimo, & de triginta Æonibus? Hoc est Argumentum Irenæi, recta cum Valentinianorum errore pugnans. A quibus vero corruptus Irenæus? Ab hæreticis?

 At

At vellicantur & compunguntur hisce aculeis. A Christianis? Quæ causa eos impulisset, ut fraudulentas manus in antiquum Patrem injicerent, inserendis a communi Ecclesiæ sententia abhorentibus opinionibus. Quis ex Antiquis questus depravationem? Qua ratione & modo tanta erroris labes atque eluvies invecta in Irenæum, non vocum quarumdam, non loci unius, sed & paginarum, & capitum, vel quibus lolium Valentini metitur, & consumitur? Cum igitur Irenæus Christi Natales Anno Juliano 43. Augusti 41. affixerit, viderit Criticus quomodo ex Irenæo extundat Anno Dom 29. Tiberii 15. Christum manu Judæorum mortem invenisse, ætatis suæ Anno 31. quo *omnem ætatem*, senilem, scilicet, *sanctificare non potuit per illam qua ad ipsam erat similitudinem.* Fatendum, igitur, & Irenæi Chronologiam ad Scripturam non quadrare, sed sibi non consentire negandum. Nec Clarissimo Pagio concessero S.tum illum Patrem existimasse Christum actum in crucem fuisse post discessum Pilati. Hoc unum fatebor, id absurdi ex Ireniana Chronologia sequi necessario, cum tamen consequens illud non admiserit.

Sua sunt argumenta patronis Epochæ Tiberianæ ab imperio Proconsulari deductæ. Præcipuum hujus opinionis fundamentum in Clemente Alex. collocatur. *Anno Æra Christi decimo Augustus jam ætate gravis, eidem Tiberio Proconsulare imperium concessit, eumque imperii Collegam declaravit. Dies, mensis, & annus, quibus ea dignitas Tiberio attributa, frustra hucusque a Viris doctis investigati, licet Clemens Alex. lib. 1°. Strom. nobis eosdem tres exhibeat. Postquam enim Julii & Augusti imperii annos numeravit, scribit deinde; Tiberius annis 26. mensibus sex, diebus novemdecim.* Hoc est ingens illud mysterium, *frustra hucusque a Viris doctis investigatum*, quod a Clarissimo Critico ex tenebris erutum, magno Chronologiæ commodo, in lucem tandem prolatum est. Arcani inventor summa lætitia perfusus, ac multum sibi blandiens, maximum clamabat, opinor, εὕρηκα εὕρηκα. Fallor an nunc dolore corrupta lætitia.

A. Pag. Dissert. Hypat. c. 3.

—usque adeo nulla est sincera voluptas.
Solicitumque aliquid lætis intervenit.

Illustris ille Clementis locus quo mysterium & anni, & mensis, & diei Proconsularis imperii Tiberiani innitebatur, in mendo cubat, evan-

evanescit atque diffluit superbum Inventum. Anni, quippe, illi *viginti sex*, *menses sex*, *dies novemdecim* ad annos *viginti quinque*, menses sex, dies novemdecim, reducuntur; ut apparet ex Clarissimo Pagio ad pugnam sibimet ipsi opposito. Leguntur hæc in Critica; *Si Tiberii anni ab eo tempore quo imperii Collega dictus, numerentur regnavit annos viginti quinque, menses sex, dies novemdecim, ut ex Clemente Alex. lib. 1. Strom colligitur, ubi tamen per errorem annos 26. habet.* At in Dissertatio Hypathica c. 3. n. 2. Errore Clementino usus est veluti criterio diei, mensi, anno dignitatis Proconsularis Tiberianæ inveniendis. *Dies*, inquit, *mensis, & annus quibus ea dignitas Tiberio attributa frustra hucusque a Viris doctis investigati, licet Clemens Alex. l. 1. Strom. eosdem tres exhibeat. Postquam enim Julii & Augusti annos numeravit, scribit Deinde; Tiberius annis 26. mensibus sex, diebus novemdecim. Obiit Tiberius 17. Kal April.—Annus Tiberii emortualis, ex omnium sententia, fuit annus Christi 37. Quare ex laudatis verbis colligitur Tiberium Anno Christi decimo quinto, Kal. Sept. in consortium imperii vocatum fuisse: ab eo enim die ad Kal. Septemb. anni Christi 36. viginti sex imperii Tiberiani, qua Cæsarei qua Augustei, absoluntur.* Se, igitur, & nos inani persuasione captos fefellerat de inventa imperii Proconsularis Tiberiani Epocha quæ in Critica anno uno brevior est quam in Dissertatione Hypathica.

Ant. Pap. Crit. An. 37. n. 2.

Rem ipsam quod attinet, vacillat Epocha Proconsularis imperii Tiberiani; imo jacet, ni firmiori fundamento collocetur quam Clementi Alexandrino. Ac primum observare jubeo Clementem in laudato loco non ex sua, sed ex aliorum sententia loqui. Τινὲς μέντοι τοὺς χρόνους τῶν Ρωμαικῶν βασιλέων οὕτως ἀναγράφουσι. *Quidam Romanorum Imperatorum tempora sic describunt.* Ergo paucorum illa Chronologia Clementis non fuit, qui diserte annos duos & viginti Tiberio ascribit. *Nihil autem, ut existimo, post hac officerit, Romanorum quoque Imperatorum tempora adducere, ad ortum Servatoris ostendendum. Augustus 43. annis; Tiberius annis 22.* Quo concludam Clementem in Tiberianis annis a Luca numeratis, non quæsivisse imperii Proconsularis Epocham, a qua, prælucente Scriptura, ne ad latum quidem digitum discessisset. Itaque, si communem annorum Tiberianorum Epocham Augusteam usurpavit, luce clarius est, non solum Clementem, in quo triumphat Criti-

Clem. Alex Strom. l. 1.

 cus,

cus, ſed & alios Patres de excogitata illa Proconſulari Epocha nil ſomniaſſe. Inſuper, locum a Critico laudatum de Auguſteis Tiberii annis eſſe capiendum nullus dubito. *Poſt Julium regnavit Auguſtus annis 46. menſibuc 4. die uno.* Ἔπειτα Τιβέριος ἔτη κϛ. μῆνας ϛ. ἡμέρας ιθ ὃν διαδέχεται Γαΐος: *Deinde, Tiberius annis 26. menſibus ſex, diebus 19. cui ſucceſſit C. Caſar.* Obſervabilis præpoſitio ἔπειτα, *deinde*, qua non Auguſti adhuc viventis Collega, ſed defuncti Succeſſor exhibetur. Ut Julium Deceſſorem excipit Auguſtus, Tiberiumque Caligula, ſic Auguſtum Tiberius, qui imperium Proconſulare non *poſt Auguſtum*, ſed *cum* Auguſto exercuit; non ἔπειτα, ſed μετ': quod Proconſularem Tiberii Epocham funditus evertit. Denique, tam fœde corruptus ille locus eſt, ut conſtituendo Chronologiæ ulliusve Epochæ fundamento non ſit idoneus. Quænam eſt illa Epocha, Auguſtus regnavit *ſex & quadraginta annos, menſes 4. diem unum*? Cum nulla Epocharum ab Autoribus traditarum conſentit. Eutropius l. 7. *Octavianus Auguſtus Romam rediit 12. annos poſtquam Conſul fuerat. Ex eo Rempublicam per 44. annos ſolus obtinuit, ante enim 12. annis cum Antonio & Lepido tenuerat, Ita ab initio Principatus ejus uſque ad finem, 56. anni fuerunt.* Si a morte Cæſaris Æræ Auguſti deducuntur anni ſeptem & quinquaginta, menſes quinque, dies tres: ſi ad Hirtio & Panſa anni 56. & quod excurrit menſium: ſi ab Actiaca victoria quadraginta quatuor; ſi ab Alexandria capta quadraginta tres anni numerandi ſunt: unde igitur illa Epocha quæ contribuit Auguſto, *ſex & quadraginta annos, menſes 4. diem unum?* Præterea, a Julio Cæſare *uſque ad mortem Commodi 236. anni, menſes 6. colliguntur*: atqui, ni male calculi impoſiti ſint annorum 233. menſium 11. dierum 29., ſumma conſit, non 236. menſium ſex. Itaque corrupti numeri.

Non ex ſolo Clemente, ſed etiam ex Severo Sulpitio pro imperii Proconſularis Tiberiani Epocha, ducitur Argumentum. *Principatus Tiberiani initium ab Anno Æra Chriſtiana undecimo deſumit Sulpitius; ex cujus quemadmodum & Clementis Alexandrini ſupra laudati verbis apparet, valde hallucinatos eos qui ſcripſere nullos ex Antiquis, annos Tiberii ab imperio Proconſulari ejus dinumeraſſe.* De Clemente jam ſatis, ſupereſt de Sulpitio videndum, apud quem legitur. *Tiberio regnante, Anno Regni 18. Dominus crucifixus eſt, Fuſio Gemino,*

Ant. Pag. Crit. An. 11. n. 10.

Sulp. Sever. Hiſt. l. 2.

&

& Rebellio Gemino Coss. a quo tempore usque in Stiliconem Consulem, sunt anni 322. At Criticum, qui naris emunctæ est, miror quod illi fœda Sulpitii depravatio non suboluerit. Duos Consulatus egit Stilico; de primo intelligendum esse Sulpitium non invitus concesserim. Cœterum, an verosimile Sulpitium adeo peregrinum esse Chronologiæ, ut ex annis qui a Geminis ad Stiliconem intersunt præter propter trecentis septuaginta duobus, quinquaginta eliserit? Ex Chronico Hieronymi annus Dom. 401. *Stilicone & Aureliano* insignis fuit, vel ex meliori Chronologia, annus 400. detractis viginti novem Æræ Christianæ, supersunt 371. ex quibus si Sulpitiani 322. resecentur, remanent novem & quadraginta, quibus Chronologia Sulpitiana justo brevior; quæ immanis corruptio est. Vix credam Sulpitium a vero abfuisse tam longissime, ut plus septima annorum parte erraverit.

Admissa Sulpitii corruptione, ut vacua telis Viro Docto pharetra solvenda esset: sed non uno mendo laborat ille qui objicitur locus Sulpitianus. Errorem novo errore exscriptores cumulasse nullus dubito. Legendum, *Tiberio regnante*, *Anno Regni decimo quinto*, non octavo & decimo; *Dominus crucifixus est*, *Fusio Gemino & Rebellio Gemino Coss.* Incredibile, quippe, est Sulpitium ab omni Chronologia & Ecclesiasticæ & prophanæ Historiæ recessisse, cum neutra decimum octavum Tiberii annum Geminorum Consulatu affecerit. De prophana constat, de Ecclesiastica testes Lactantius ac Tertullianus: ille, de vera sapientia l. 4. c. 10. *Tiberii Cæsaris Anno decimo quinto, id est, duobus Geminis Coss. ante diem septimam Kal. April. Judæi Christum cruci affixerunt*, quæ & Tertulliani sententia est. Ab illa Antiquorum Traditione quos manibus terebat, discessisse Sulpitium ut seorsim abiret, mihi non est verosimile. Profecto, pertenuis est illa conjectura Proconsulari imperio Tiberii quæ ex Sulpitio ducitur. Quot annos regnaverit Tiberius nullo verbo indicavit: de imperio sive Augusteo, sive Imperiali ne verbum quidem habuit: & in Chronologia, quæ crudior est, lapsu memoriæ errare facilius potuit Sulpitius, transpositis sive annis, sive Consulibus. Itaque, ex his, *Tiberio regnante*, *Anno Regni octavo & decimo Dominus crucifixus est*, *Fusio Gemino & Rebellio Coss.* Epocham Tiberiani imperii Proconsularis extundere, & veluti certam

tam

tam Doctis obtrudere, in nimio ingenii acumine abundare est. An Proconsularis Tiberii Præfectura *Regnum* dici potuit? Audiamus Sulpitium, *Tiberio regnante.* Atqui, Augusto vivente, non regnabat Successor ejus, sed subjiciebatur Decessoris autoritati. Ille regnat qui omnibus imperat, morem gerens nemini. Solidiora collocari debent fundamenta opinionis quam in numeris, qui sæpissime corruptione affecti sunt. Sic Baronius ob numerum in Josepho corruptum, quo asseritur Herodem eo tempore quo Judæam consecutus est, *annos quindecim natum* esse, absonam extra modum Chronologiam affixit animo familiarius. Mendum inesse numero Sulpitiano mihi persuasissimum ex Antiquorum, quibus suam hausit Chronologiam: mallem tamen, si sincerus esset numerus, admittere in Sulpitio lapsum memoriæ circa Consules, qui frequentissimus incidit legentibus Patrum lucubrationes, quam commentari Epocham Proconsularis Præfecturæ Tiberii, cujus nullam Sulpitio vola neque vestigium, quæque ad phrasim, *Tiberio regnante*, minime quadrat.

Paci Viri Doctissimi dixerim, ad numeros minutiasque Chronologiæ valde attentus, legendos Patres minus curasse videtur. Exemplo superioribus addita sint Verba illa, An. 32. n. 11. *Tertullianus, Origenes— Eclipsim, Christo patiente visam, Phlegontis autoritate suadent.* Hem! Origenes suadet Eclipsim autoritate Phlegontis? Imo negat Origenes fuisse Eclipsim; & argumentum ex Phlegonte a nonnullis petitum, levat. *Et Phlegon* verba sunt Origenis, Homi 35. in Matth; *Et Phlegon, quidem, in Chronicis suis scripsit, in Principatu Tiberii Cæsaris factum, sed non significat in plena Luna hoc factum. Vide, ergo, nisi fortis est objectio hæc, & potens movere omnem hominem sapientem, qui nec illis dicentibus, nec istis scribentibus consentit, sed omnia cum ratione & judicio audit.* Tantum abest quominus *Eclipsim Christo patiente visam*, Phlegontis autoritate suadeat Origenes, ut Tenebras Terræ inductas, Eclipsim esse perneget. *Arbitror, ergo, sicut cætera signa quæ facta sunt in passione ipsius, in Hierusalem tantummodo facta sunt; sic & Tenebræ tantummodo super omnem Terram Judæam sunt factæ.*

An-

ANNO XXXVII. NUM. III.

An Tiberius vere Imperii Collega fuerit? Ambages vocis Collegæ explicantur, definiendæ Quæstioni. Triplex ejus significatio. Quid apud Tacitum de Tiberio, Collega imperii? Jejuna veri Collegæ Pagiana descriptio. Quid juris attulerit Tiberio Tribunitia potestas. Vis ejus ex Cicerone & Budæo. Tribunitiæ potestati creandorum in Urbe aut Provinciis facultas, competebat; quod a veri Collegæ imperii dignitate abesse non debuit. Ex autoritate adjuncta Vipsanio Agrippæ ostenditur, aut illum pro vero Augusti Collega habendum, aut Tiberium non esse habendum. Pugna & contradictio Clarissimi Pagii. Ex precibus Senatus Tiberium adeuntis ut capesseret Imperium, demonstratur a veri Collegæ imperii dignitate alienum fuisse Tiberium. Pagiana Taciti Explicatio a mente Autoris discrepans. Argumentum ex Dionysio ductum ab Adversariis explicatur, & solvitur. Cur Tiberius Imperatoris nomen abnuebat? Non semper illud recusasse, ostenditur ex Dione.

PEroratam Quæstionem alia nunc excipit, quæ a priori non est divellenda; utrum Tiberius imperii Collega fuerit, nec-ne? quæ materia non in transitu, sed copiosissime ab Erudito Pagio tractatur: nec immerito, cum unum sit e præcipuis Epochæ Proconsularis Tiberianæ fundamentis. Itaque, hanc ad Quæstionem explicandam aliquid diligentiæ conferendum est, cum illustrandæ Chronologiæ & Historiæ, tum refellendis Critici Baroniani placitis, quæ veri lineas transilire mihi videntur.

Verum enim vero, in primis Thematum habenda ratio est, quibus perturbatis, & Quæstio mota vix intelligitur, & Andabatarum more pugnatur. De Tiberio legitur apud Tacitum, Annal. l. 1. c. 1.

Drusoque pridem exincto, Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere. Filius, Collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis. Quo sensu Tiberius imperii Collega inscriptus sit, Doctis quæsitum? Quæstione clarius explicandæ vocis removendæ sunt ambages. Propria & significanti descriptione Collega dicitur, qui ejusdem muneris & honoris socius est: quo sensu verbum Collegæ a Suetonio sæpius usurpatum: *Restitit, quidem, Augustus aliquando Collegis, ne qua fieret proscriptio*, c. 26. Hinc Toranius *Collega Augusti* in Ædilitate; sic Consul Consulis, Tribunus Tribuni, Collega fuit. Vespasiano Titus *Collega & in Tribunitia potestate, & in 7. Consulatibus fuit.* Voci Collegæ alia significatio a Dione affigitur.. Annos jam 56. natus verbis recusavit imperium ἔπειτα δὲ κοινωνούς τε τινὰς καὶ συνάρχοντας οὔτι γε παντῶν καθάπαξ ὥσπερ ἐν ὀλιγαρχίᾳ, ἀλλ' ἐς τρία μέρη νέμων αὐτὴν ἤτει: *Post, Socios imperii ac Collegas petiit, non quidem cum quibus omnia regeret, quod fit ubi rerum potestas in manus paucorum devenit: sed diviso Imperio in tres partes, unam sibi sumere volebat, reliquas aliis relinquebat.* Ampliata significatione Prætor, qui Consuli inferior erat, pro ejus Collega habitus est, apud Gellium, l. 13. c. 15. *Sed & Collegam esse Prætorem Consulis docet (augur Messala) quod eodem auspicio creantur. Prætor etsi Collega Consulis est, neque Prætorem, neque Consulem jure rogare potest.* Sed ille Collega est qui sub Principis dignitate munere donatus est ad regendam rempublicam. Sic apud Eusebii Chronicon, Olympiade 200. *Anno* imperii nono *Tiberius Drusum consortem Regni facit.*

Remotis ambagibus videndum nunc est quid rei sit apud Tacitum de Tiberio: *Filius, Collega imperii? Minime dubitandum est*, inquit Eruditus Pagius, *quin Tiberius vere Collega imperii fuerit, annique ejus ab ea Epocha aliquando deducti.* Quod sua descriptione sic explicat: *Collegæ imperii dicti qui Tribunitia potestate & imperio Proconsulari præditi erant, quique ideo extra Urbem idem jus in exercitus ac Imperatores & Augusti habebant.* Hoccine est vere Collegam exercere imperii? Atqui longe aliud id existimavi. Nullum, opinor, Doctos inter litigium esset si titulus ille, *Collega imperii*, nil aliud contulerit Tiberio quam Tribunitiam potestatem in Urbe, & Proconsulatum in Provinciis. Quis adeo hospes Annalium, adeo peregrinus Historiæ, ut negarit utrumque munus fuisse

in

in Tiberio conjunctum? Itaque, nil novi aut disputationis titulus ille Collegæ afferre debuit, de quo tamen acriter Eruditi litigant. Hæc igitur non satis sunt constituendo *veri* nominis Collegæ. *Vere* Collega imperii est qui non solum in Provinciis, sed & in Italia, imo in Urbe, Capite Imperii, munus exercet eminentissimum; non precario quidem, sed perpetuo jure, qui suo officio omnes Senatus dignitates eminet, cui competit facultas deligendi viros ad capessendas in Urbe & extra Urbem dignitates. Sic Titus *vere* Imperii Collega. Idcirco Josepho fuit Αὐτοκράτωρ l. 7. de bel. c. 13. & 24. Ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ πατρί: *Æquas partes imperii cum Patre ferens.* Et apud Suetonium, c. 6. *Neque eo destitit participem atque tutorem imperii agere.* Quod nec ipse Titus dissimulavit, immiscendo colloquia cum Apollonio Thyanæo. *Ego*, inquit, *annos natus sum 30. iisdem honoribus quibus Pater sexagenarius ornatus, & cum eo pariter ad imperium vocatus.* Philost. l. 6. c. 14.

Geminæ adjunctæ Tiberio dignitatis nil nisi hominem ornatum imperio Proconsulari & Tribunitia potestate præstiterunt. Proconsularis, porro, dignitatis potestas in solis Provinciis vigebat. De qua audiendus Suetonius in Tiberio, c. 21. *Lege per Coss. lata ut Provincias cum Augusto communiter administraret, simulque Censum ageret, conditoque Lustro, in Illyricum profectus est, & statim ex itinere revocatus, jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit.* Similiter Vellejus l. 2. *Senatus Populusque Romanus, postulante Patre ejus ut æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus est.* Etiam atque etiam hæc observanda, *jus in omnibus Provinciis exercitibusque*: Nempe, Italia Provinciis non inferebatur, sed veluti corpus Populi Rom. constituebat. Florus l. 3. 18. *Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus invidiam; si verum tamen volumus, illud Civile bellum fuit: quippe cum populus Romanus Etruscos, Latinos, Sabinosque miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus est. Nec minore flagitio Socii intra Italiam, quam intra Urbem Cives, rebellabant.*

Potestas Tribunitia suis limitibus circumscribebatur, de qua hæc scitu dignissima, a Doctissimo Budæo scripto mandata, in Pandec. p. 216. *Illud quoque memoria repetendum est, quod Tribunus intrare Curiam non licebat: ante valvas autem positis subselliis decreta Patrum atten-*

tissima cura examinabant, ut si qua ex iis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque, veteribus Senatus-consultis, T. litera suscribi solebat, eaque Nota significabatur illa Tribunos quoque censuisse. Fuit etiam in Tribunitia poteſtate poſitum, juſſu ſuo Conſules in carcerem ducere: unde Circero pro Lege Agraria contra Rullum. *Ego is Consul qui concionem metuam? qui Tribunos plebis perhorrescam? qui sape, & sine causa tumultuer? qui timeam ne mihi in carcere habitandum sit, si Tribunus plebis duci jussistet?* Ampliſſima tamen illa autoritas infra Conſules fuit; quippe de eorum imperio in 12. Tabulis ſcriptum erat, *Regio imperio duo sunto, iique praeundo, judicando, consulendo, Pratores, Judices, Consules appellantur, militia jus summum habento, nemini parento.* Tribunitiæ, igitur, poteſtati non ea inerat facultas ut vel Urbi, vel Provinciis Suburbicariis Magiſtratus poſſet præficere. Abſque qua tamen quomodo vel adjuncta Proconſulario imperio, *verum imperii Collegam* conſtitueret, nullus capio. Id juris neſciunt qui de Tribunitia poteſtate latius tractarunt. Quod ſi Tiberius Lucio Pomponio Syriam Provinciam, Lucio Piſoni Præfecturam detulit, quod ſecum noctem continuumque biduum epulando potandoque, conſumpſerant, id non vi Tribunitiæ poteſtatis fecit, ſed gratia & autoritate qua pollebat apud Auguſtum. Itaque, ſibi non conſentit, opinor, Clariſſ. Pagius An. Chriſ. 11. n. 4. *Licet verum sit Collegarum imperium extra Urbem pracipue fuisse, in Urbe tamen, Tribunitia potestatis vi, aliqua autoritate pollebant.* At ejuſdem anni num. 12. *Princeps etiam & Imperator appellatus est Tiberius, sed inde non sequitur eum Augustum fuisse, quia nullam in Urbe potestatem aut imperium habeat.* Pugnant, ni fallor, aliqua in Urbe autoritate pollere, & nullam in Urbe poteſtatem habere. Ut Tiberio eam non abnuimus in Urbe autoritatem quæ Tribunitiæ poteſtatis fuit; Sic ſatis eſſe ad conſtituendum *verum* imperii Collegam, conſtanter negamus. Mirum imperii Collegam qui in Capite imperii Urbe nil niſi Tribunum plebis exercebat!

Cæterum, adjuncta gemina illa Tiberio poteſtas, & Tribunitia & Proconſularis, non ad majorem dignitatem illum evexere, quam ea fuit qua Vipſanius Agrippa, gener Auguſti, præditus. Hinc dictum Mœcenatis, *Tantum Agrippam jam fecisti, ut vel gener tuus fiat, vel occidatur necesse sit.* Hiſce Dionis nil diſertius. Ὁ δ' Ἀγρίππας

Dio. l. 54.

ἐς

ἐς τὴν αὐταρχίαν τρόπον τινὰ ὑπ' αὐτοῦ προήχθη. Cæterum, Agrippam ad imperium quodammodo Augustus provexit... Deinde, Agrippæ cum alia fere eadem quæ sibi, tum Tribunitiam potestatem itidem ad quinquennium dedit. Aut igitur Tiberio abdicandus est *veri Collegæ imperii* titulus ille insignis & pulcher, aut Agrippæ est adjungendus; quod tamen accurato Critico non venit in mentem. Non prætereundum est ne id quidem, quod cum stipatores circum se Tiberius haberet, auxilium a Senatu petiit, ne quam vim in corpore Augusti humando pateretur. Quidam hanc ejus petitionem facete notans, sententiam tulit, ut ei præsidium, quo nimirum careret, adderetur: intellecta sanna, *ἔφη, ὅτι καὶ οἱ στρατιῶται οὐκ ἐμοί, ἀλλὰ δημόσιοί εἰσι. Non suos sed Reipublicæ milites esse respondit.* Dio l. 57. Quibus aperte profitebatur se non fuisse *vere* Collegam imperii, cum eo titulo optimo jure sibi milites asserere potuerit.

Si *vere* imperii Collega Tiberius fuit, mortuo igitur Augusto, summa rerum ad eum merito pertinebat, nec precibus Senatus adigi debuit ut oblatum imperium susciperet, imo nec potuit. Absurdum quippe est, atque extra modum absonum, procumbere ad infimas preces ut Tiberius capesseret imperium, quod jam ab illo teneri Patres Conscripti ignorare non poterant. Hoc quidem contumelioso honore affecissent Tiberium, non impune laturi. Atqui, teste Suetonio, c. 24. *Acceptio Principatus ad preces quasi coacta fuit. Principatum quamvis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi & specie dominationis assumpta, diu tamen recusavit. Impudentissimo animo nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros quanta bellua esset Imperium; nunc precantem Senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis & callida cunctatione suspendens, ut quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret, aut agat, aut desistat.* Causas cunctationis Suetonius aperuit c. 25, *Cunctandi causa erat metus undique jam imminentium discriminum, ut sæpe lupum se auribus tenere diceret. Nam & servus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem Domini comparaverat, & L. Scribonius Libo, Vir nobilis, res novas clam moliebatur, & duplex seditio militum in Illyrico & in Germania exorta est... Quidam etiam detrectabant Imperatorem non a se datum.*

Quibus pigmentis aut splendente fuco hæc teget Adversariorum

acumen?

acumen? *Tacitus & Suetonius*, inquit Criticus Baronianus, An. Chris. n. 11. *ex eorum verbis explicandi, ille Tiberii tergiversationis causa & finis ab eo intenti rationem reddit.* Verissime quidem, sed quid hoc ad tres capellas, cum illa Tiberii *tergiversatio* argumentum sit potentissimum Tiberium *vere* Collegam imperii non exercuisse; si quidem, defuncto Augusto, pleno jure summæ ejus dignigtati successisset, absque suffragio aut decreto Senatus. An jocando, aut illudendo, versæ Senatus ad Tiberium preces? *At ille varie disserebat de magnitudine Imperii, sua modestia: solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus. Proinde, in civitate tot illustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent.* Si Tiberius *vere* imperii Collega fuerat, eo loci res ejus erant in Imperio Rom. quod hodie est in Germanico statu Regis Romanorum. Fingemus-ne animo & cogitatione Electores, Principesque Imperii, post defunctum Cæsarem, præcibus adire Regem Romanorum, in questus, lachrymas, vota effundi ad Deum, ad effigiem Defuncti, ad genua ipsius manus tendere, ut Decessoris Thronum munusque occupet? Hoccine dignum gravitate & majestate Principum? Annon preces illæ Senatus aperte indicabant Tiberium non fuisse *vere* imperii Collegam, quo titulo, mox defuncto Decessore, nullius ope, sed vi sola dignitatis olim adjunctæ, ad imperium Augusteum ascendisset. Taciti nunc mentem tenemus. *Filius, Collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis Tiberius assumitur.* Quæ tres notiones inter se discrepant, & distiguuntur a Tacito. *Collega imperii*, dignitatem hanc significat, quæ Tiberio collata est, *ut Provincias cum Augusto communiter administraret:* quod suo discrimine a potestate Tribunitia secernitur. Itaque, non unus Critico & Tacito sensus est. Ille, *Imperii Collegæ dicti sunt, non qui Tribunitia tantum potestate, aut qui imperio tantum Proconsulari, sed qui utroque titulo decorati essent.* Hic Collegam imperii a Tribunitiæ potestatis consorte discriminat; ut merito colligamus in verbis Taciti fundamentum opinionis de Tiberio *vere* imperii Collega, præclare jactum non fuisse, cum utramque dignitatem, quæ tamen conjungi debet, Proconsularem in Provinciis, & Tribunitiam in Urbe potestatem phrasis hæc Taciti, *Collega imperii*, complexa non fuerit.

Tacit. An. l. 1. c. 4.

Dionysii

Dionysii carminibus plurimum fidit Clariss. Pagius: *Imperii Proconsularis egregium exemplum habemus in lib. Carminum Geographico, cui Titulus, Descriptio Orbis. Nam Dionysius Alexandrinus, ejus Autor, indicat se vixisse dum plures simul dominarentur. Quare, recte Eustathius ejus scholiastes, ait eum vixisse* οὐκ ἐπὶ τῶν Ὑπατῶν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν Ἀνάκτων: *Non sub Consulibus, sed sub Imperatoribus... Certum vero Dionysium, imperante Augusto, vixisse, ex Plin. l. 6. c. 27.* Ni fallar animi, nil virium est in Dionysio: quid ille? Ant. Pag. An. Ch. 11. n. 6.

Ἐκ Διὸς Αὐσονιῆες ἀεὶ μέγα κοιρανεύοντες.
E Jove Ausonii semper strenue dominantes.

Argumenti Pagiani vis his innititur. *Dionysius indicat se vixisse dum plures simul dominabantur.* Hoc indicari a Dionysio præcise negamus: quasi vero Dionysius non vixerit sub Regibus, licet Augustus Tiberiusque *non una* regnarint, sed hic in illius locum successerit? Tacitus initio Annalium; *Urbem Romanam a principio Reges habuere.* Florus l. 1. c. 9. *Hæc est prima ætas Populi Romani, & quasi infantia, quam habuit sub Regibus septem.* An in communi Regnum administrabant, nullo decessoris in vicem succedente? Apage ergo argumentum quo vel sibi laqueos induit Criticus. *Nullus unquam dixit Tiberium, vivente Augusto, Augusteam dignitatem adeptum esse, cum Romanum imperium ante Marcum Aurelium duos Augustos non viderit.* Atqui certo certius, ἐμῶν Ἀνάκτων, Augusteam dignitatem, non vero Proconsulare imperium significare. An de imperio Proconsulari dici merito potuit ἀεὶ μέγα κοιρανέοντες: *maximum dominantes*? An verbis majestate plenioribus comprehendi potuit summa vastæ potentiæ conjuncta autoritas? Annon imperium Augusteum cogitabat animo ille Eustathius in scribendo, Dionysium non sub Coss. vixisse, sed sub Imperatoribus? An vera est illa explicatio, quæ ex his, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων: *magnam domum Regum meorum*, duo extundit imperii genera; alterum Augusteum, alterum Proconsulare; quod Erudito Critico admittendum est, ne se suo gladio jugulet. Quid multa? Si, ἐμῶν ἀνάκτων, significat Augusteam dignitatem, ad Proconsulare imperium nil pertinet: si Proconsulare, frustra ad Augusteum extenditur. Ant. Pag. An. Ch. 11. n. 12.

A Suetonio observatum est Tiberium jam Augustum, nomen Imperato-

Imperatoris abnuisse. *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriæ, & Civicam in vestibulo coronam recusavit; ac ne Augusti quidem nomen hæreditarium, ullis nisi ad Reges ac Dynastas Epistolis, addidit.* c. 26. Causas recusationis non omnibus forsam obvias ex Dione tentabimus. Omnino autem Cæsaris, & quandoque propter res a Germanico gestas, Germanici, Principisque Senatus, Tiberius, more antiquo, nomen ipse sibi tribuebat. Καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν ὅτι Δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι: *Sæpius dicens Dominum se servorum, Imperatorem militum, Principem cæterorum esse.* Notandum interea est, Tiberium non omnino repudiasse nomen Imperatoris, si Dioni fides: *Nam neque Dominum se ab homine libero,* οὔτε αὐτοκράτορα, πλὴν τοῖς στρατιώταις καλεῖν ἐφίει: *Nec Imperatorem, nisi a militibus vocari patiebatur.*

EXERCITATIO QUARTA.

ANNO XXXIX. NUM. IX.

Caji Imper. An. I.

De Antiochenæ Ecclesiæ institutione Menda in Eusebiano Chronico, fatente Augustino. An a Petro condita Ecclesia Antiochena, Anno 1°. Caji? Fundamentum Baronianæ Chronologiæ in lacinia Eusebio assuta constitutum. Petavii immanis contradictio. Ejus de fundata Antiochia Chronologia cum ratione pugnans. Onuphrii de instituta a Petro Antiochena Ecclesia post ejus adventum Romam sententia, exploditur. An Petrus Antiochenæ Ecclesiæ positor haberi potuerit? Tres modi fundandæ alicujus Ecclesiæ: vel prædicato primum Evangelio; vel constituto Senatu Ecclesiastico; vel indultis Spiritus donis extraordinariis; quorum nullus Petro competit. 4us. *ex Dionysio Corinthio indicatur, sed a Latinorum opinione multum dissimilis. An per suffectos Petrus Ecclesiam Antiochenam condere potuerit? Ajentis*

Baronii

Baronii opinio, Patrum rationisque autoritate confutata. Sententia Bellarmini Petaviique de anno institutæ Antiochenæ Ecclesiæ Antiquitati contraria. De Apollonii Traditione. Lapsus Bellarminianus. Clemens Alex. emendatus. Verosimillimum Petrum Antiochiam non venisse nisi Anno Dom. 44. An Petrus Episcopus Antiochenus? Ambages nominis Episcopi remotæ. Differentia Episcopatum inter & Apostolatum quadruplex, ex Antiquitatis monumentis illustrata, qua constat & promptum est Apostolos Episcopis non esse inserendos; proindeque Petrum Antiochenum Episcopum non fuisse. Jure Apostolico præfuisse Antiochiæ, non Episcopali, ex Patribus demonstratur. Baronii contradictio. An Episcopi Apostolis successerint? Affirmantis Clarissimi Pearson opinio examine subjicitur.

TAntis olim tenebris opprimebatur Priscorum Chronologia, ut plausu exceptus sit ab omnibus Eusebius, veluti flammeum jubar, quod suo lumine profundam noctem collustravit. Laudi, quidem, Eusebianæ nullus invideo, hoc unum flagito, ut in legendo ejus Chronico, veri falsique observato discrimine, aliquis delectus habeatur. Multa profecto Eusebium peccasse illi concedunt qui Scriptis ejus maxime incumbunt, nec immerito. Exempli gratia, feret-ne vir cordatus, nec peregrinus Historiæ: *Iste est Claudius patruus Drusi, qui apud Maguntiacum monumentum habet.* Euf. Olymp. 205. Siccine filius Drusi in patruum ejus mutatur? *Patrem Claudii Cæsaris*, verba sunt Suetonii, *Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit.* Eusebiana Chronica scatere mendis Augustinus ipse fatetur, atque profitetur, l. 18. de Civit. c. 31. *Tres prophetæ de minoribus, Abdias, Naum, & Abacuc, nec sua tempora dicunt ipsi, nec in Chronicis Eusebii & Hieronymi, quando prophetaverint, invenitur. Abdias enim positus est quidem ab eis cum Michæa, sed non eo loco ubi notantur tempora, quan-*

do Michaam prophetasse ex ejus litteris constat: quod errore negligenter describentium labores alienos existimo contigisse. Geminæ calamitatis ictu, ab imperitis in Olympiadem 203. introducta verba sunt, quibus Latinorum de Ecclesiæ Antiochenæ institutione sententia innititur.

Ab Annalibus Baronianis passim Chronicon erroris postulatur: utinam, iterumque utinam, eandem mentis ἀγχινέιαν ac solertiam adhibuisset eorum Parens in æstimando quæ & de Ecclesiæ Antiochenæ institutione, & de Episcopatu Petri, viginti quinque annos Romæ perdurante, a Chronico Eusebiano memoriæ prodita sunt: ex illo, quippe, lutulento fonte impuri rivuli manarunt, quibus irrigata Historia jacet in sordibus. Hinc Anno 3°. Claudii scripta Romæ prior Petri Epistola: hinc Marci Evangelium Latine editum: hinc Pancratius in Siciliam, Martialis ad Burdegalenses, Trophimus ad Arelatenses, Julianus ad Cænomanenses, Anno Claudii 4°. a Principe Apostolorum Roma legati: hinc, denique, innumeræ cruces ingenio fixæ. Errores adepti Tyrannidem nimis diu regnarunt: tandem aliquando, amore veritatis & libertatis, abrogandum illud est horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium.

Attentas Chronologiæ Baronianæ præbeamus aures. *Cæterum, quod spectat ad Ecclesiam Antiochenam hoc anno a Petro institutam, & septem annis ab eodem administratam, non aliunde certius quam ab ejusdem Ecclesiæ antiquioribus monumentis Eusebius, Cæsareæ Episcopus, & Sedi Antiochenæ proximus, accepisse videtur.* Quænam sunt, igitur, vetusta illa monumenta? Chronicon Eusebii, ubi legitur ad Olympiadis 203. annum quartum: *Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique Cathedram tenuit.* Hoccine est antiquum monumentum, Baroni, firmaque sedes & fundamentum constituendæ tuæ Chronologiæ? Atqui tu ipsemet fateris mendum irrepsisse in Sonnianis, Basileensibusque editionibus, quibus, fœda corruptione, numerus *quinque & viginti annorum* additus est. Quidni similiter observationem illam Eusebianam, qua tua Chronologia recumbit, loco motam esse deprehendisti? Petavius, Vir ille emunctæ naris, *prior*, inquit, *illa de Antiochensi Sede lacinia germana non est, cum nec in veteribus libris appareat, & absurde Petrum Antiochiæ doceat annos 25. mansisse.* Editionibus quidem Eusebiani Chronici melioribus, vel silentibus, verba illa Olympiadis 203. anno 4°. affixa, subdita conti-

Pet. Ration. l. 5. c. 3.

nuo

nuo deprehenduntur. Olympiadis quippe 205. Anno secundo legitur in omnibus editionibus: *Petrus Apostolus cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans viginti quinque annis, ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Cui bono usuive paucis in lineis tam ingrata repetitio? Imo, sic secum Eusebius pugnas contraheret; nec enim Olympiade 205. Sedem Antiochenam Petrus condere potuit, si Olympiade 203. jam illam fundaverat. Hæc prorsus ἀσύνδετα? Insuper, de septenni Episcopatu Petri apud Antiochiam, ne verbum quidem est apud Eusebium, aut Hieronymum. Eusebium jam exscripsimus, cui addatur & Hieronymus de Viris Illustribus. *Post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de Circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, secundo Claudii anno,* ad expugnandum Simonem Magum pergit Romam. Quin etiam Innocentius Papa ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, & anni quo a Petro fundari debuit Antiochena Ecclesia, & septennis Episcopatus insolens est: hæc tantum reperiuntur Ep. 18. *Quæque Urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet.* Itaque, Baroniana opinio ex Pontificali Damasi, Epistolaque Gregorii ad Eulogium Alexandrinum constituitur: *Ipse firmavit sedem in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Greg. M. l. 6. cap. 37.

Cæterum, concesso Petrum & fundasse Antiochenam Ecclesiam, & eam integro pene septennio administrasse, vitiosa & est Baroniana Chronologia, quæ anno primo Caligulæ hanc Ecclesiæ Antiochenæ institutionem illigavit; quem & errorem erravisse Petavium, insignem Chronologum, non mirari non possumus. Petrus, inquit, *peragrata Syria, Antiochiæ Sedem Pontificiam fixisse creditur, Anno post passionem Christi septimo, Æra communis trigesimo septimo; cui sex annos præfuit. Romam inde circa Claudii secundum annum.* Pet. Ration. l. 5. c. 3. Decernit, quippe, contrarium iis quæ alibi scripsit, contradictione non ferenda. *Annum ipsum quo Christus mortem obiit cum Epiphanio constituimus eum qui Coss. dedit Tiberium & Sejanum, tametsi alios ascribit Epiphanius, nempe, Vinicium ac Longinum Cassium—ab V. C. Varroniano calculo,* 784. Annus ille Tiberiani imperii decimus septimus fuit, quo Christus mense Nisan Pascha σταυρώσιμον celebra- Pet. Ration. p. 2. l. 4. c. 4.

 vit.

vit. Ubi igitur duo Paschata figentur Petaviana ante postremum illud quod *Dominicæ* κήρυξει finem imposuit? Annum agebat Regni sui decimum quintum Tiberius, cum *verbum Domini factum est ad Joannem*, qui in suscepta provincia menses aliquod ante contrivit quam Christus ad Baptismum accederet. An verosimile Christum ante Pascha Anni 15. Tiberiani suscepisse Baptismum, quod necessario admittendum Petavio, si Christus vitam reliquit Anno Tiberii 17. Sed & in Petavium intendit se hostem Petavius: Animad. ad. hær. 51 p. 105. *Est aliud quiddam quod Veteres, perinde ac Recentiores omnes qui de Natali anno Christi disputarunt, tanquam certissimum vulgo sumpserunt, nimirum, Christum Anno 15. Tiberii Baptizatum fuisse—Atqui Anno ipso Tiberii 15. Baptizatum esse Christum, unde tandem habuerunt? Lucas enim c. 3. Anno 15. Tiberii Joannem S. Spiritus afflatu ad prædicandam pænitentiam prodiisse narrat, non vero Christum eodem illo 15. Tiberii Anno a Joanne Baptizatum; Etenim fieri potest ut Juliano 74. Tiberii 15. exeunte, ut puta Augusto ineunte, Joannes relicta solitudine in publicum emerserit, & Anno 75. Juliano Baptizatus ab eodem sit Christus, Tiberii 16.* Expedi ergo nodum in quem incidisti Petavi. Ubi tria Paschata a Christo celebrata, si exeunte Tiberii 15. aut etiam 16. Baptismum consecutus, abierit ad plures Anno Tiberiano 17.? Aut qui *Anno post passionem Christi 7°. Æra communis 37. annos sex Petrus Antiochiæ præesse potuit?*

Omissa contrarietate Chronologiæ Petavianæ, nullus, nisi cum Sacra Pagina pugnare velit, eo sententiæ labetur, ut Petrum 1°. Caligulæ Anno Ecclesiam Antiochenam fundasse existimet; cum Paulus, qui ante Petrum ædificandæ Ecclesiæ Antiochenæ navarat operam, nondum in hanc urbem se contulerit. Nec enim ulla ratio fingi potest, quamobrem Ignatianæ Epistolæ Petri nomen Paulo postponant, nisi quia Paulus condendo Gregi Antiocheno prior allaboravit. Epistola ad Magnesianos, quæ multis germana videtur, παύλου καὶ Πέτρου θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν: *Paulo & Petro fundantibus Ecclesiam* Antiochenam. Similiter in illa ad Antiochenses, Παύλου καὶ Πέτρου ἐγένεσθε μαθηταί: *Pauli ac Petri fuistis discipuli.* Insuper, hæc Chronologia refellitur non modo ex iis quæ de Pauli conversione, Stephanique martyrio dicta sunt, sed etiam ex Actibus Apostolorum. Cum Rex Agrippa Hierosolymis Petrum

trum in vincula conjecisset, paulo post, Divina eum insequente justitia, extinctus est Cæsareæ, Anno Claudii quarto, ut apud omnes in confesto est. Annis septem retro numeratis annus occurrit Christi trigesimus octavus; non trigesimus septimus. Sed & Petavianæ Chronologiæ gravius adhuc vulnus infligitur, cum tantum annos sex Præfecturæ Petri Antiochenæ ascribat: qua consequens est Petrum Antiochiæ Sedem Pontificiam figere non potuisse, nisi labente jam Æræ Christi anno 39.

Cum Argumentorum pondus quibus illa impugnatur Chronologia ferre non posset, aliam commentatus Eruditissimus Onuphrius Panuinus. • *Petrum*, inquit, *Apostolum post Christi mortem, annos 34. menses 3. & dies aliquot vixisse censeo: ex his novem primis usque ad initium secundi anni imperii Claudii, Petrum Judæa nunquam excessisse ex Actis Apostolorum, & Pauli Epistola ad Galatas apertissime constat—Si igitur, ut inter omnes Autores convenit, secundo imperii Claudii Anno is demum a passione Christi, ex Agrippa vinculis divinitus liberatus, Romam venit, illud certo necessarium videtur, eum ante Urbem adventum, Antiochia septem annis non sedisse, cum ante ex Judæa nunquam discesserit; sed hanc ejus Antiochenam Cathedram alio tempore fuisse.* Onuph. Annot. in Platin. p. 7.

• *Desinit in piscem mulier formosa superne.*

Recte & sapienter illa opinio quæ fundatam a Petro Cathedram Antiochenam Anno Æræ Christi 37. existimat, ut monstrum Chronologiæ exterminatur ab Onuphrio: sed veris adduntur falsa, cum & Anno Claudii secundo Petrum Romam se contulisse, & Antiochenam Cathedram alio tempore conditam fuisse perhibetur. Iniquo, sane, tempore Sedes Antiochena ab Onuphriana Chronologia instituitur. *Concilio Apostolorum de abroganda Circumcisione, & morti Beatissimæ Virginis interfuit; inde Antiochiam, relicto Hierosolymis Jacobo Apostolo, profectus, septem ibidem annis, usque ad Claudii obitum & Neronis imperium, permansit.* Quid hoc monstri est, Onuphri, quod percelebris Ecclesia Episcopali Cathedra tamdiu vacaverit? A legato Antiochiam Barnaba, ad sequentem a celebrata Synodo Hierosolymitana annum, minimum quartus & decimus labebatur. Paulo Apostolo, Prophetis, Magnisque Doctoribus Antiochiæ agentibus, quis eo commenti delabetur, ut nullum Episcopum instituerint

rint ad regendam illam Ecclesiam; cum nec autoritas, nec voluntas ipsis deessent creandis Pastoribus, constituendæque Cathedræ. An igitur Decessoribus Petrus successit? Id absurdi Cathedræ fundationem ex imo convellit. Onuphrianam hanc opinionem Antiquorum testimonia prorsus deficiunt. Non adiuvatur Eusebio. *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans* 25. *annis, ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Non Hieronymo: *Simon Petrus, filius Joannis, Provincia Galilææ vico Bethsaida, frater Andrææ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ—secundo Claudii Anno, ad expugnandum Simonem Magum pergit Romam.* Non Innocentio: Ep. 18. *Prima Sedes Apostoli esse monstratur, ubi & nomen accepit Religio Christiana.* Non Gregorio Magno: *Ipse firmavit Sedem in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.*

Hactenus de anno quo a Petro Cathedram Antiochenam fundatam esse imaginantur. Rem ipsam propius intueamur. Hic plurimæ quæstiones moventur, quæ sunt solvendæ: Prima, an & qua ratione Antiochenam Ecclesiam Petrus posuerit? Constituendæ Ecclesiæ opera trifariam accomodatur; vel habita de Christo concione apud Infideles; vel instituto ad regendam Ecclesiam Presbyterio; vel indultis Credentibus eximiis illis ac extraordinariis Spiritus S^ti. donis, quæ compluribus exemplis confirmari possunt.

Rufino teste, parvuli Edesius & Frumentius Meropii philosophi comites & discipuli, peremptis Romanis a Barbaris navem invadentibus, *Reperti sunt sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes: Barbarorum miseratione servati ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est, Edesium, sibi pincernam fecit: Frumentio, vero, quem quasi perspicacem deprehenderat & prudentem, rationes suas scriniaque commisit; ex quo & in honore magno apud Regem habiti, & in amore.* Dum Regni guburnacula Frumentius habebat in manibus, Deo mentem ejus & animos instigante, *omnino gestiit ut Christianorum ibi semen exurgeret.* Per idem tempus etiam Iberarum gens, quæ sub axe Pontico jacet, Verbi Dei fœdera & fidem futuri susceperat Regni, tanti boni causam præstante muliere quadam captiva, quæ totis diebus ac noctibus obsecrationes Deo pervigiles exhibebat. Regi adfuit mulier; *edocet Deum Christum, supplicandi ritum venerandique modum in quantum*

Ruf. Hist. Eccl. l. 1. c. 9.

tum

tum de his aperire fœminis fas erat, pandit. Fabricari tamen Ecclesiam monet, formamque describit. Rex ipse subditis exponit fidem, *& nondum initiatus in Sacris, fit sua gentis Apostolus.* Hoc quidem modo præcipue conditur Ecclesia. Hinc Paulus contendebat Evangelizare non ubi nominatus esset Christus ἵνα μὴ ἀλλότριον ἐπ' θεμέλιον οἰκοδομῶ: *ut ne super alienum fundamentum ædificarem*; hoc est, ab alio quopiam jactum. Ille, igitur, qui primus sincerum Dei verbum Ethnicorum instillat auribus, pro Ecclesiæ hujus Regionis positore habendus est. Sapientissime Tertullianus, Exhort. ad cast. c. 7. *Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet Laici, unusquisque enim de sua fide vivit: nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores Legis justificabuntur a Deo, sed factores.* Vocationes Antiochenorum & Iberorum consentiunt incredibili modo. Conversis in fugam vi persecutionis Christianis, *erant quidam Cyprii & Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam locuti sunt Hellenistis, Evangelizantes Dominum Jesum.* Act. 11. 20. Ecce nobiles Ecclesiæ Positores: mirum! Antiochia Orientis decus & Lumen, Seleuco Conditore superba, gloria ac divitiis illustris, ab ignotis vilibusque hominibus, quorum ne nomina quidem extant, ad Christum adducitur. Non utitur insignium Apostolorum opera, non Petri voce: res maxima ab infirmis instrumentis conficitur, ut in Ecclesiæ procellis tum Dei Sapientiam ex tenebris lumen ducentem, cum invictam Gratiæ in fide inserenda potentiam, suspiceremus.

Deinde, instituitur etiam Ecclesia, cum, Synedrio constituto, a Præfectis administratur, ut suscepta fidei rudimenta deponat. Sic a Frumentio ab imis sedibus ad culmen usque Indorum ædificata fuit Ecclesia. *Frumentius Alexandriam pergit, dicens æquum non esse opus occultare Dominicum: igitur rem omnem, ut gesta est, exponit Episcopo, ac monet ut provideat Virum aliquem dignum quem, congregatis jam plurimis Christianis, & Ecclesiis constructis in Barbarico solo, Episcopum mittat. Tum vero Athanasius attentius & propensius Frumentii dicta gestaque considerans, in Consilio Sacerdotum ait, & quem alium inveniemus Virum talem in quo sit spiritus Dei, sicut in te, qui hac ita possit implere; & tradito ei sacerdotio, redire eum cum Domini Gratia unde venerat, jubet.* Ruf. Hist. Eccl. l. c. 9. Sic & ab Augustino constituebatur Ecclesia apud Anglos, cum, permittente Gregorio, Episcopos ordinavit. *Et quia nova Anglorum*

Ec-

Greg. Ep. l. 12 c. 15. *Ecclesia ad Omnipotentis Dei Gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante, perducta est, usum tibi pallii ad sola missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tua Ditioni subjaceant.* Ne sic quidem Antiochenæ Ecclesiæ jacta sunt a Petro fundamenta. Rumore Hierosolymitanorum fidelium afflante aures de Antiochensium ad fidem conversione, mittendus erat Petrus, Princeps Apostolorum, absolutioni rudis nascentisque Ecclesiæ perficiendæ, ut huiusce Ecclesiæ exerceret fundatorem; Atqui Petro provincia hæc mandata non fuit. *Miserunt igitur Barnabam, ut pergeret Antiochiam usque, nam erat vir bonus, plenus Spiritu S^{to}. & fide; & adjuncta est non parva Turba Domino.* Act. 11. Si non Baronio fortasse, at Deo fuit idoneus Barnabas, licet Ecclesiæ Principem non præstaret, cui absolvenda Antiochena Ecclesia committeretur; plus virium ad id perficiendum virtutibus Barnabæ habentibus, quam Pontificali mithra gemmis illustrata. Barnabæ quidem socius & adjunctus fuit: an Petrus qui forsan aberat Hierosolymis, cum Barnabas legatus est Antiochiam? Minime gentium: abiit Tarsum Barnabas, ut requireret Saulum, eumque inventum duxit Antiochiam; *factumque est ut annum totum congregarentur in Ecclesia, docerentque Turbam non parvam.* Sub tantorum Apostolorum regimine, quis Antiochenam Ecclesiam omnia ad illam perficiendam necessaria, Senatumque Ecclesiasticum adeptam fuisse neget? Nondum igitur Petrum habemus Antiochenæ Ecclesiæ positorem.

Tertio, ad Ecclesiam fundandam conducit Apostolica legatio: mundum, quippe, nova luce irrorante Deo, positæ recens Ecclesiæ, variis Spiritus donis extraordinariis implebantur, quæ Apostolica χειροθεσία indulgebat. Hoc unum deerat Ecclesiæ Samaritanæ, cujus & prædicato Evangelio, & ministrato Baptismi Sacramento, & miraculis editis, Philippus fundamenta posuerat. At non suæ sortis erat Spiritum S^{tum}. oculos suo fulgore perstringentem animis instillare; quæ cælestis facultas solis Apostolis concessa fuit. Hac de causa Petrus & Joannes missi Samariam, *qui cum descendissent, orarunt pro eis ut acciperent Spiritum S^{tum}*: hoc est, eximia illa dona quibus ornatos esse oportebat eos præsertim qui præficiendi erant Ecclesiæ. Sapientissime Chrysostomus: *πῶς οὖν φησὶ πνεῦμα οὐκ ἔλαβον οὔπω. Πνεῦμα ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως, τὸ δὲ τῶν σημείων οὔπω*

ὕπω ἦσαν λάβοντες. *Quomodo, inquit, Spiritum S. illi non receperant? Spiritum quidem acceperant remissionis, Spiritum autem signorum non receperant.* Atque his visibilibus signis totus extra se positus Simon Magus, offerebat pecunias Apostolis ut, imponendo manus, sacrum Dei donum cum hominibus communicaret; Nec hac denique ratione Petrus pro conditore Ecclesiæ Antiochenæ habendus est: quamobrem Lucas, qui in recensenda Petri & ad Samaritanos & ad Cornelium Legatione, magnam & accuratam diligentiam adhibuit, alti silentii fuisset in referenda peregrinatione Antiochena, qua Civitas illa, quæ jam sublimiores Orientis urbes dignitate politica eminebat, ad autoritatem Ecclesiasticam a fundatoris excellentia pendentem, complures sibi gradus ædificabat? Sed & Paulo Barnabæque competebat admirabilis illa facultas indulgendi Spiritum, imposita manu, ut ad id præstandum adventus Petri non esset necessarius.

Dum his cogitationibus animum voluto, vix capio quomodo Petrus Ecclesiæ Antiochenæ positor haberi posset. Unus quidem intellectus superest quo satisfit Ignatianis Epistolis. Ἐν Ἀντιοχείᾳ γὰρ ἐχρημάτισαν οἱ Μαθηταὶ χριστιανοὶ Παύλου καὶ Πέτρου θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν: *Discipuli nominati sunt primum Antiochia Christiani, Paulo & Petro fundantibus Ecclesiam.* Si verum tueri & retinere sententia est, tanti non est ille testis quem Eruditissimi Viri non spernendis rationibus sublevarunt; vel quia dubius, vel quia in Sedis suæ gratiam dicit, vel quia solitarius ea videtur Eusebio ac Hieronymo fœnerasse quibus suas lucubrationes de Petri Episcopatu Antiocheno respersere. Sed veris consentiat Ignatius ille, modo *fundandi* verbo amplior addatur significatio: quod Ecclesiæ Antiochenæ jam Christianæ, jam Spiritu illustratæ, jam & donorum extraordinariorum, & Senatus Ecclesiastici compotis, saluti institutionique Petrus operam dederit; quo quidem sensu a Dionysio, Corinthiorum Episcopo, Ad Romanos scriptum videtur de Petro & Paulo Apostolis. καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμέτεραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὅμοσε διδάξαντες, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν: *Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam simul profecti cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium passi sunt.* In con-

Ign. Ep. ad Magnes.

Euseb. l. 2. c. 25.

denda Ecclesia *fundare* & *plantare* unum & idem est : hinc Paulus ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα : *ut peritus Architectus fundamentum posui* 1 Cor. 3: 10. Quod superiore capite alia oratione explicuerat ἐγὼ ἐφύτευσα , *ego plantavi*. Nec alia mens fuit Epistolæ ad Antiochenos: Παύλου καὶ Πέτρου γεγόνατε μαθηταί: μὴ ἀπολέσητε τὴν παραθήκην : *Pauli & Petri fuistis discipuli : ne perdatis depositum :* ut Petrum fundasse Ecclesiam Corinthiorum nil aliud fuerit quam Ecclesiæ quæ dudum non a se, sed a Paulo posita fuerat , gessisse curam cum Corinthi commoratus est, exercendo munus suum Apostolicum. Quo quidem sensu faciles patimur Petrum haberi pro positore Antiochenæ Ecclesiæ , quam dum adfuit, miraculis, fide, Spiritu S^{to}. cumulavit. Quæ ut verissima , sic ab Adversariorum opinione de institutione Antiochenæ Ecclesiæ quam ascribunt Petro , multum habent dissimilitudinis.

Sæpe quæri solet de tempore , loco , hominibus, quibus res gesta dicitur: : hinc nascuntur quæstiones quibus Historia postrataque materia illustrari potest. Ac primum illud accurate examinandum, an per seipsum aut per suffectos , absens Antiochia , vel præsens , Petrus fundarit Antiochenam Ecclesiam ? quæ Quæstio non est nihili , sicque solvitur a Baronio. *Errant, mea sententia,*
Bar. n. 16. *qui existimarunt ad hoc opus fuisse ut Petrus petierit Antiochiam—Quamobrem ut a Petro peculiariter dici possit fundatam esse Antiochenam Ecclesiam, dicendum est Petrum primo evexisse seu instituisse Sedem Patriarchalem Antiochenam; ad quod agendum nulla profecto incubuit necessitas ut Petrus abierit Antiochiam, cum ubicunque ageret, id sua qua pollebat autoritate præstare potuisset.* Intelleximus probe : nec mirum Cardinalem se totum ad arbitrum & nutum Romani Pontificis accomodare. In ea certe imperii majestate quæ Cœlum usque Papam evehit, illi moris est nutu suo Latinum orbem moderari, Ecclesias condere, Sedes Episcopales, Metropolitanasque fundare, nil ad institutionem earum præsentia Pontificali conducente. *Providemus Ecclesiæ tali*, verba sunt Præsulibus injungentia suum munus,
Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 24. *de tali persona, & præficimus eum in Patrem, & Pastorem, & Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus & spiritualibus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S^{ti}. Amen.* Alia, porro, ætas alios mores olim postulabat ; nec per Vicarios aut Bullas,

Pe-

Petrus constituebat Ecclesias, creabatve Episcopos. Petro necesse fuit, scilicet, ut & Samariam quæ a dignitate Antiochiæ aberat plurimum, & Cornelii domum veniret, implendo muneri suo; nil vero Petro opus fuit ad constituendam florentissimam totius Orientis Ecclesiam ut præsens adesset. Cur, ergo, pro Petrino adventu Romam, veluti puppi proraque Religionis, & dignitatis Sedis Romanæ fundamento, tam acriter dimicant? Sub autoritatum undique corralarum onere gemunt innumeræ paginæ, probando Petrum, & præsentem instituisse præsentes Romanos, & mortem obiisse in Urbe Orbis Domina. Parcendum fuit labori, cum abundans otio ac tranquillitate, Apostolorum Princeps sedens Hierosolymæ, *sua qua pollebat autoritate*, Ecclesiam Romanam non modo fundare, sed & ad Orbis Ecclesiastici Principatum evehere potuerit.

Non est ita, Baroni, non est profecto, si poscamus Antiquitatis Oracula. Apostolica, sane, præsentia necessaria habebatur Ecclesiis in altissimo dignitatis gradu collocandis: hinc Tertullianus de Præjud. c. 36. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur—statu fœlix Ecclesia Rom. cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.* Julius ad Orientales Epistola: Ἐπίσκοποι γὰρ ἦσαν οἱ πάσχοντες, καὶ οὐκ αἱ τυχοῦσαι Ἐκκλησίαι αἱ πάσχουσαι, ἀλλ' ὧν αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι δι' ἑαυτῶν καθηγήσαντο: *Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant.* Innocentius ad Alexandrum Antiochenum, Ep. 18. *Unde advertimus non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quod conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet.* Quam ab opinione Baroniana alieni Patres, qui privilegia dignitatesque Ecclesiarum, non in absentium Apostolorum animi motu ac nutu, quo ad honorem suum ascenderent, sed in Apostolica præsentia quæsiverunt! Quocirca Ecclesiis manu Apostolorum conditis multum majestatis ac amplitudinis semper conciliatum est, quod sola absentis Petri volun-

Athan. Apol. p 753

tas conjungere non poterat; Alioquin Garamantas perinde atque Romanos, primæ Sedis honore cumulare valuisset. Equidem, si stat illa quam Baronius Latinique Theologi mordicus tuentur sententia, ruit ab imo argumentum illud Innocentii quo Romam Antiochiæ anteponebat, in *transitu* Antiochia Sedem Petri meruit, Roma vero in æternum. Ex *transitoria* Sede quid detrimenti; quidve emolumenti ex *permanente*; si ex solo nutu & arbitrio Petri pendebat Ecclesiæ cujuscunque dignitas, & principatus? Omnibus illud Prosperi cantatur:

Roma Sedes Petri quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo; quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Quibus apparet in Sede Petri collocatum fuisse Primatus Ecclesiastici fundamentum. Atqui Roma non eo Sedes Petri est quod *ubicunque ageret*, *sua qua pollebat autoritate* Ecclesiam Romanam primam Orbis Sedem institueret; quænam esset illa Petri Sedes in qua nunquam sedisset? Sed ideo Petri Sedes est, quia reverat sedit, hoc est, præsens Romanam Ecclesiam instituit, atque gubernavit: qua de causa dictum Nicephoro l. 14. c. 39. *Primus Apostolorum ille Princeps Petrus, Romanæ urbis gubernavit Ecclesiam. Deinde, primus etiam Alexandriam sorte transit, in quibus Ecclesiis, ubi Linum & Marcum Episcopos creavit, alias rursum urbes adiit.* Frustra, si præsentia Petrina necessaria non fuit condendis Ecclesiis, creandisque Episcopis. Multo se levasset onere Apostolorum ille Princeps, atque incommodis, si ad Episcopos Ecclesiasque misisset ejusmodi Rescripta: *Providemus Ecclesiæ tali, de tali persona, & præficimus eum, ejusque Ecclesiam, Metropolitanam vel Patriarchalem instituimus.* Miram vero, atque facilem viam exercendi muneris Apostolici. Sane Petavio, licet de grege illorum hominum quibus jura Pontificalia præcipue cordi sunt, non arrisit opinio Baroniana. *Ut Sedem alicubi Petrus instituerit, satis est ipsum moræ aliquantum fecisse, cum interim ad vicinas urbes, & provincias egressus ex intervallo reviserat*: inquit ille l. 11. de Doct. Temp. c. 14. Gratulor Petavio quod *aliquantum moræ* saltem constituendæ *Sedi* necessariam esse dixerit. Itaque præsens, non per suffectos, Petrus Antiochenam Ecclesiam fundare debuit.

Perorata nunc Juris Quæstione ad Facti Quæstionem est veniendum;

dum; fatentur enim Petrum operam dedisse instituendæ Ecclesiæ Antiochenæ: de tempore vero jacti fundamenti variant Latini Chronologi. Bellarminus de Rom Pont. l. 2. c. 6. *Ex Judæa*, inquit, *Anno quinto a passione Domini Petrus profectus in Syriam Antiochiæ fixit sedem, & mansit annos fere septem Episcopus ejus urbis.* Paulo aliter Petavius: *Antiochiæ Sedem Pontificiam fixisse creditur, Anno post passionem Christi septimo*, quæ Chronologia ab illa Antiquorum discrepat, quibus persuasum fuit injunctum fuisse Apostolis ut per duodecim annos soli Judæorum saluti inservirent. Pet. Rat. Temp. l. 5. c. 3.

Hæc est Apollonii apud Eusebium Traditio. Ἔτι δὲ ὡς ἐκ παραδόσεως τὸν Σωτῆρα φησὶ προστεταχέναι τοῖς αὐτοῦ Ἀποστόλοις ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ. *Adhuc, tanquam ex Veterum Traditione hæc refert; Dominum Apostolis suis præcepisse ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent.* Quibus error Bellarmini coarguitur, qui, quæ Apollonii sunt, Martyri Thraseæ contribuit. Per Alexandrinorum animos pervaserat & illa Traditio, teste Clemente Alex. Strom. l. 6. 471. Διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Πέτρος εἰρηκέναι τὸν Κύριον τοῖς Ἀποστόλοις, ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι διὰ τοῦ ὀνόματος πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν: *Propterea dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis, si quis ergo velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post 12. annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Hæc apud doctissimos Viros Hervetum Heinsiumque leguntur: nullo si quidem puncto interposito junguntur αἱ ἁμαρτίαι, cum sequentibus, μετὰ δώδεκα ἔτη· Male, ni fallor. Quid sibi vult, *si Israel pœnitentiam agat, remittentur peccata post duodecim annos?* Unde tantus resipiscentiam inter peccatorumque remissionem hiatus, quasi ad cor contritum subitaria gratia non accederet? Optime, inserto puncto, fluunt omnia. Hanc ipsam Traditionem ex Beda haustam posteris mandavit Uspergensis Abbas, Chron. p. 44. *Anno Domini 44. duodecim Apostoli cum eatenus in Judæa tantum prædicarent, juxta præceptum Domini, ut Beda scribit, Anno a passione Domini duodecimo in totum Orbem divisi sunt*: ut in Traditiones universaliores illa referenda sit, quæ & Latinam, & Græcam Ecclesiam opplevit. Unde apparet atque extat, Baronianam, Bellarminia-

Euseb. Hist. l. 5. c. 18.

nam, Petavianamque Chronologiam, cui hodie bene multi adhærent mordicus, ab opinione Veterum abesse plurimum; impossibile quippe est, Anno post passionem vel quinto, vel septimo, fundatam a Petro fuisse Antiochenam Sedem, si juxta præceptum Dominicum, per annos 12. Apostoli instituendis Judæis operam dare debuerunt.

Totis viribus & nervis Apollonii Traditionem falsi damnare Bellarminus conatus est. *Legimus*, inquit, *Petrum profectum in Samariam, Lyddam, Jopem, & Cæsaream, antequam in vincula conjiceretur, atque adeo ante annum* 12. *a passione*: unde colligit his Apollonii, velut errando scripsit *Thrasea*, *ne intra* 12. *annos Hierosolymis excederent*, falsum inesse. Quid; si hoc Bellarmino concesserimus deceptum fuisse Apollonium, an ideo vanum est argumentum ex illa Traditione, licet falsa, deductum? Hoc unum volumus, opinionem Veterum, de jacto Sedis Antiochenæ fundamento, multum ab illa Chronologia discrepare quæ hujusce Cathedræ institutionem Anno post passionem sive quinto, sive septimo, illigavit. Atqui illud necessario sequitur ex Traditione Apolloniana, sive vera, sive falsa. Sed nec ex uno Apollonio argumentationes nectimus, sed ex Clemente Alexand. & ex Beda, qui ævi sui opinionem posteris tradidere: qua scimus & tenemus creditum esse, ad annum usque a crucifixo Christo duodecimum, Apostolos non alibi quam Judæa, hoc est, in Regionibus Judæorum Regibus subditis, munus suum exercuisse. Quo sensu Apollonii dictum, figura Synecdoche videtur explicandum, ut *Hierosolymis non excedere*, idem significet; ac Ethnicorum ad Regiones, relicta Judæa, non proficisci, quo sensu nec absurdo, nec alieno, cum Apostoli Judæorum saluti incumbentes, præcipue, & ut plurimum, Hierosolymis habitarent, a veri vestigiis abesse non videtur Apollonius; nec enim fidem invenit, quod Vir ille eximius ignoraverit Apostolos peragrasse Judæam, Samariamque instillandæ Circumcisis Christi Religioni. His Accedit Chrysostomi, olim Antiocheni Presbyteri, Chronologia, quæ adversa fronte Baronianæ concurrit. *Non oportebat Apostolos illinc separari, ne putarentur esse fugitivi, & suos fugisse. Tunc autem necessario separantur, quando nulla ratione res Judæorum curari poterant; quando bello instudescente perituri erant, quando sententia pronuntiata: quoniam quandiu Paulus Romam non pervenit, illic erant.* Eo

Chrys. Hom. 25. in Acta.

Dio. l. 54.

Eo propendet animus ut prima vice Petrum adfuisse Antiochensibus credam, cum, succurrente Angelo, carcere Agrippæ elapsus, *abiit in alium locum.* Ut sic existimem, movet me cum Petri munus, quod instituendis Judæis præcipue incumbebat; tum Urbis celebritas, quæ non nimium Hierosolymis distans, extra Regis Judæorum ditionem nihilominus fuit. Hic Josephum referre juvat, de Bell. l. 7. c. 21. Ἀντίοχος μὲν γὰρ ὁ κληθεὶς Ἐπιφανὴς, Ἱεροσόλυμα πορθήσας τὸν λαὸν ἐσύλησεν, οἱ δὲ μετ' αὐτὸν τὴν βασιλείαν παραλαβόντες, τῶν ἀναθημάτων, ὅσα χαλκᾶ πεποίηντο πάντα τοῖς ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίοις ἀπέδοσαν, εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν ἀναθέντες, καὶ συνεχώρησαν αὐτοῖς ἐξ ἴσου τῆς Πόλεως τοῖς Ἕλλησιν μετέχειν: *Namque Antiochus quidem, qui Epiphanes dictus est, vastatis Hierosolymis Templum spoliavit: qui vero post eum Regnum affecuti sunt, quidquid æneum in donariis fuit, hoc Judæis apud Antiochiam degentibus reddidere, in eorum Synagoga dedicatum; concesseruntque ut pari cum Græcis jure Civitatis uterentur. A secutis, quoque, postea Regibus, eodem modo tractati, & multitudine proficere, & extractione, itemque munificentia munerum Templum clarius reddidere: semperque Religione sibi sociantes magnam Paganorum multitudinem, etiam illos quodam modo sui partem fecere.* Nullo, itaque, Petro fugam agitanti locus commodior fuit, & ad præsidium contra vim Agrippæ inveniendum, & ad commercium cum Hierosolymitana Ecclesia colendum, & ad munus Apostolicum exercendum. Nec fingendum est Petrum carcere elapsum Romam petiisse, cum & Hierosolymitanæ Synodo interfuerit, quæ nono, vel decimo Claudii Anno celebrata est; & quod ad verum propius accedere existimanus, ante congregatam Synodum, jam Antiochiæ a Paulina censura vexatus fuerit. Itaque, si placet Ecclesiæ Antiochenæ institutionem ascribi Petro, eo sensu quem aperuimus, Anno Dom. 43. vel potius 44. quo Agrippa ad plures abiit, affigi debet.

Perorata hac Quæstione, in aliam valde momentosam incidimus; an Petrus Antiochenum Episcopum præstiterit? Ut, remota confusione, distributius illa Quæstio tractetur, suo discrimine Apostolatus & Episcopatus distingui debent: Afferta, quippe, Apostolatus majestate, in promptu erit nec Petrum egisse Episcopum, nec Apostolis ab Episcopis fuisse successum. More habetur licentia exten-

tendendi nominum significationes; quod & in *Episcopi* voce factum est: hinc Presbyteri nomen Petrus imposuit sibi. *Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego una presbyter*: phrasi, autem, Scripturæ idem est Presbyter & Episcopus: quem Petrinum loquendi modum Cyprianus sectatus est Ep. 68. de Matthia in Judæ vicem suffecto; *Quando de ordinando in locum Judæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur.* Similiter apud Augustinum Quæst. 97. ex N. Test. *Nemo ignorat Episcopos Salvatorem Ecclesiis instituisse; ipse enim priusquam in Cœlum ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinavit eos Episcopos.* Nil miri Apostolis id nomen fuisse additum, cum Scriptura præluceat; Act. 1. 20. *τὴν ἐπισκοπὴν*, *Episcopatum ejus accipiat alius*, quibus munus Apostolicum Petrus indicabat, quo proditor ille Judas ornatus fuerat. Imo Dominus Ecclesiæ, J. Christus, *Episcopi* nomen non abnuit: 1 Petr. 2: 25. *Convertistis vos ad Pastorem, καὶ Ἐπίσκοπον, & Episcopum animarum.* Sed & *Speculatores* exercebant Apostoli, ideoque & Episcopi dici potuere. Suidas *Ἐπίσκοποι οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις; πεμπόμενοι ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο.* Sic Apostoli a Christo missi, ut pro re servandorum mortalium vigilarent, oves ejus custodirent, & ad vitam æternam adducerent. Quod si Cicero se titulo Episcopi induit, l. 7. Epist. ad Atticum, *vult enim*, inquit, *Pompejus me esse quem tota hac Campania, & maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus & negotii summa referatur*; Annon Apostoli sunt Episcopi, cum concitæ de Circumcisione & Disciplina Christiana lites ad eos referrentur?

Fatendum interea est, accurate loquendo multum inter se differre Apostoli & Episcopi munera, nec discriminis Paulus insolens: *Christus igitur dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios Pastores & Doctores.* Eph. 4: 11. Magno, sane, discrimine Apostoli & Episcopi separantur. Prima differentia ex Legatione petitur: Apostolica missio a solo Deo orta est, absque ullo interventu mortalium; quod aperte Paulus indicat ad Gal. c. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem:* Episcoporum autem creatio a Deo quidem est, sed per homines; qua de re insignem habemus locum apud Athanasium. *Sed ut demus querelam adversum*

Athan. ad Orth. Ep. c. 1.

me

me susceptam esse, meumque nomen inter reos receptum esse, non tamen oportuit in mei locum Arianum, aut qui Ariana saperet, subrogari. κατὰ δὲ τοὺς Ἐκκλησιαστικοὺς Κανόνας καὶ κατὰ τὸ τοῦ Παύλου ῥῆμα συναχθέντων τῶν λαῶν καὶ τοῦ πνεύματος τῶν καθιστανόντων, σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰήσου Χριστοῦ, πάντα κανονικῶς ἐξετασθῆναί τε καὶ πραχθῆναι, παρόντων τῶν αἰτουμένων λάων καὶ κληρικῶν : *Sed secundum Ecclesiasticos Canones, prout Apostolus præcepit congregatis populis, una cum Spiritu Sto. qui Episcopum constituant publice, & in præsentia Clericorum Episcopum postulantium, inquisitionem fieri; atque ita omnia canonice peragi.* Athan. ad. Orth. Ep. c. 1.

Hinc novum oritur discrimen Apostolatum inter & Episcopatum: nulla siquidem Ordinationis ceremonia creati in Apostolos, tantum Discipulos *afflavit* Christus, dicendo; *Accipite Spiritum Stum.* Joan. 20. 22. Cujus ceremoniæ mysterium doctissime explicatur a Jansenio, Concord. Evang. c. 47. *Dando autem Spiritum, & dando per insufflationem, veluti arrhabonem dedit promissionis implendæ post Ascensionem, quando cum sonitu advenientis spiritus vehementis datus est Spiritus Stus. simulque declaravit, se eum esse qui olim formato primo homine inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quibus & adjungi potest non contemnenda hæc Maldonati animadversio. *Rationem cur Christus insufflando Spiritum Stum. Apostolis dederit, hanc esse arbitror, ut ipsam Spiritus Sti. quem dabat, naturam declararet: est enim Spiritus Stus. veluti flatus quidam Patris & Filii, & nomen ipsum Spiritus flatum significat. Habebat enim hoc imaginem quasi sacramenti, in quam externum Symbolum, Spiritum Stum qui intrinsecus dabatur, significabat.* Sed hac in ceremonia Ordinationis neque vola est, neque vestigium. *Hoc semel Christus fecit*, verba sunt apposita Maldonati, *ut & naturam Spiritus S. declararet, & doceret ex sua procedere substantia; nos id usurpare non possumus, cum Spiritus S. ex nostra substantia non procedat. Itaque, etsi Ordinationem in Ecclesiasticis Sacramentis numeramus, quia eam Christus Apostolis ad modum dedit Sacramenti, & externo symbolo, & verbis internam Spiritus Sti. gratiam significantibus, tamen impositionem manuum & verba adhibemus, quæ Apostolos scimus adhibuisse, flatum quem adhibuisse non legimus, non adhibemus.* Mald. in Joan. c. 20. n. 24.

Bellarminus quidem finxit animo Paulum impositione manuum a Mi-

Bell de Rom. Pont. l. c. 23. a Ministris Ecclesiæ Antiochenæ Episcopali munere fuisse donatum, quod probat ex Chrysostomo, *qui in locum Actorum dicit adeo veram fuisse Pauli Ordinationem, ut in ipsa nomen mutaverit; statim enim subjungitur, Saulus qui & Paulus.* Atqui & sibi, & nobis Bellarminus illudit: Hæc Chrysostomus: τί ἐστιν ἀφορίσατε μοι εἰς τὸ ἔργον; εἰς τὴν ἀποστολήν. *Quid est segregate mihi in opus? in Apostolatum.* Quæ Sedes Episcopalis donata Paulo, Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam peragranti? Sed de Apostolis a Petro *Episcopalem consecrationem* accipientibus, nescio quid Bellarminus jactaverat: nunc autem eximius ille Gentium Apostolus, inter Collegas præstantissimus, non a Petro, sed a Ministris Antiochensibus ordinatur in Episcopum. Quis feret hæc? Me quod attinet, adjunctam Paulo manuum impositionem ab Antiochenis Pastoribus Ordinationi nullus inseram: non Episcopali, id fatentur Chrysostomus & Oecumenius in hunc locum. Ἀφορίσατέ μοι εἰς τὸ ἔργον, τουτέστιν, εἰς ἀποστολήν. ὑπὸ τίνων δὲ χειροτονεῖται; ὑπὸ Λουκίου τε καὶ Μαναήν; μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοῦ Πνεύματος. *Segregate mihi in opus, id est, Apostolatum. A quibus autem creatur? A Lucio & Manahe? Imo magis a Spiritu. Creantur autem ut cum potestate prædicent.* Non in Apostolicam Ordinationem referenda est illa Antiochensium χειροθεσία, quia Paulus *non ab hominibus, neque per homines*, Apostolus creatus est: non ab *hominibus*, cum nullus nisi Christus eum elegerit in Apostolum: non per *homines*, nam ante Antiochenam manuum impositionem, plures annos Apostolico munere functus erat & in Arabia, & in Cilicia. Itaque, certo certius est, illam manuum impositionem nil aliud fuisse quam solemnem Benedictionem a Judæis sæpius usurpatam, veluti, ut eleganter Augustinus, *orationem super hominem*, qua favor Numinis in benedictum eliciebatur. Nec me quidem latet Autorem Quæstionum ex Novo Testamento apud Augustinum hoc affirmasse, Quæst. 97. *Nemo ignorat Episcopos Salvatorem Ecclesiis instituisse; ipse enim priusquam in Cœlum ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinavit eos Episcopos.* Sed longissime fallitur, nec cum Luca 24. 50. conspirat, καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτούς: *& sublatis manibus suis, benedixit eis.* Numquid attollere manus & imponere, inter se non discrepant? An imponebat manus Salomo, *cum passis manibus versus Cœlum* suis precibus

cibus Deum adibat 1. Reg. 8.? Sed etsi concesserimus Christum benedicendis Apostolis χειροθεσίαν adhibuisse, nulla hinc Episcopalis Ordinatio extundi posset, quæ nec fuit necessaria, nec ex Ovili Dominico aliquantum Apostolis assignabat.

Episcopatus, porro, nulli absque Ordinatione adjungitur. Cantatur pueris Canon ille Carthaginensis: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente Benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Conc. Carth. 4. can. 2. Alia ordinandis Episcopis adhibetur ceremonia, ab Apostolorum Principe, opinor, derivata: *Episcopus cum ordinatur, primo progrediatur Dominus Metropolitanus cum Electo, & cuncto Clero, & populo ad Ecclesiam, ubi ipsam fieri vult Ordinationem; & ingressus Sacrarium induat se vestimenta Pontificalia: post pusillum procedat e Sacrario cum Diaconibus & reliquis Ministris, sicut in Dominicis diebus mos est procedendi. & Electus, sacris vestibus indutus, procedat una cum Archiepiscopo & cæteris Episcopis, ante Altare.—Episcopo vero designato solemniter præparato, id est, Episcopi casulis induti, deportent eum superius juxta Altare; & convertens se ad populum Ordinator, dicit—Secundum, ergo, voluntatem Domini, in locum Sta. memoriæ, illius nomine, Virum venerabilem illi testimonio Presbyterorum, & totius Cleri, & consilio civium ac consistentium, credimus eligendum Virum, ut nostis, natalibus nobilem, moribus clarum, Religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, &c—Hunc ergo, dilectissimi fratres, a testimonio boni operis electum, dignissimum Sacerdotio, consonantes laudibus clamate, & dicite, dignus est. His ita profitentibus cum consensu Clericorum, & Laicorum, ac Conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani vel autoritate, vel præsentia, ordinetur.* Ordo Rom. p. 120. Celebrandæ huic Ordinationi Episcopali plurima requiruntur, quæ ad ceremoniæ majestatem solemnitatemque pertinent, quæ in Ordinatione Apostolorum a Christo usurpata non fuere, v. g. quod sacris induti vestibus ante Altare processerint. At inter Ordinationis Episcopalis requisita, merito habentur electio a populo, consecratio coram Ecclesia, ipsa, denique, χειροθεσία, quæ Apostolico ævo ordinandis Episcopis inserviebant. Idcirco, Ivo Carnotensis Petrum ab Ecclesia Antiochena creatum fuisse in Episcopum tradidit, Sermone de Ca-

 thedra

thedra Petri. t. 10. B. p. *Quem ovibus suis Deus Pastorem præfecerat generalem, plebs Antiochena sibi collocat Pontificem generalem—nec tamen cura sua amplitudo propterea decurtatur, sed Apostolatus sui solicitudo dupliciter dilatatur.*

Tertio, Apostolatum inter & Episcopatum hoc inter est, quod totus Orbis instituendus Apostolis prosternebatur, dicente Christo: *Euntes, docete omnes gentes.* Quocirca Paulus testificatur Rom. 1. *Se & Græcis & Barbaris, tum sapientibus tum insipientibus debitorem esse, & omnium Ecclesiarum suscepisse curam.* Quod si de compacto, ac ordinis servandi gratia, Paulus Gentium, Petrus Judæorum audit Episcopus, nihilominus, data occasione, apud utrumque populum munus Apostolicum exercebant; quod accurata & verissima explicatione ab Ambrosiastro traditum est, ad Galat. c. 2. *Petrum solum nominat, & sibi comparat, quia Primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam. Se quoque pari modo electum ut Primatum habeat in fundandis Gentium Ecclesiis: ita tamen ut Petrus Gentibus prædicaret, si causa fuisset; & Paulus Judæis: nam uterque invenitur utrumque fecisse. Sed tamen plena autoritas Petro in Judaismi prædicatione data dinoscitur; & Pauli perfecta autoritas in prædicatione Gentium invenitur; unde & magistrum se Gentium vocat, in fide & veritate.* Optime a Nilo observatum fuit, de Primat. l. 2. p. 31. καὶ ὁ μὲν Πέτρος διδάσκαλος πάσης τῆς οἰκουμένης. ἤκουσε γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων; κηρύξατε τὸ Ἐυαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει: *Et Petrus doctor totius Orbis, audiit enim cum aliis etiam, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Itaque, ubicumque agentibus Apostolis, licebat eis aut condere Ecclesias, aut institutis præficere Episcopos: quæ Constitutionum Apostolicarum Autoris antiqui, licet subditi, sententia est. *Linus Claudiæ primus a Paulo, Clemens secundus, a Petro Romæ ordinatus.* At Episcopatus exiguis sane finibus suis continetur, fatente Cypriano, Ep. 55. *Singulis Pastoribus portio Gregis ascripta est, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Hinc ad alias diœceses ire, officio Pastorali peragendo, Episcopis districte prohibitum: *Nullus Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi tam Metropolitani, quam cæterorum qui cum eo sunt Episcoporum, rogatus adveniat, & sic ad actionem Ordinatio-*

Conc. Antioch. c. 13.

tionis accedat. Excusatio peccati nulla est Episcopis in suo statu collocatis alio se conferre, quod Apostolis cum laude licuit. Cautum itaque, ab Antiochenis, ne Episcopus a sua dioecesi migret i, in aliam: *maneat autem in Ecclesia quam primitus a Deo sortitus est nec inde transmigret, secundum pristinum terminum de hac re constitutum.* Hac de causa Chrysostomus querebatur cum Epiphanio, qui in Ecclesia Constantinopolitana munus obibat Episcopi. παρὰ κανόνας πράττεις πολλὰ ὦ Ἐπιφάνιε. Πρῶτον μὲν χειροτονίαν ἐν ταῖς ὑπ' ἐμὲ ἐκκλησίαις ποιησάμενος· εἶθ' ὅτι μὴ προλαγεὶς παρ' ἐμοῦ ἐν αὐταῖς ἐλειτούργησας, οἰκείᾳ αὐθεντίᾳ χρησάμενος. *Multa contra regulas agis o Epiphani, qui primum quidem in Ecclesiis sub dispositione mea constitutis Ordinationem feceris: deinde injussu meo, ex tua ipsius autoritate in iisdem Ecclesiis missarum solemnia celebraveris.* Atque illa disciplina ex Scripturæ fontibus manabat, cum certo Gregi atque loco Episcopos affigat. *Pascite Dei Gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes* 1. Petr. 5. Nec Episcopi pro Episcopis habentur, nisi ex certa distinctaque σχέσει ad Gregem suum, a quo nomen *Pastoribus* impositum fuit: hinc ortæ phrases ejusmodi; *Angelus Smyrnæ, Angelus Laodicææ*; ut prodigio similis sit Episcopalis Ordinatio, verbis hisce Christi peracta: *Prædicate Evangelium omni rei conditæ.* Vagæ hæ consecrationes atque indefinitæ a disciplina Ecclesiæ prorsus abhorrent, & pro nihilo habentur a Chalcedonensi Synodo, Can. 16. *Neminem absolute ordinari jubemus Presbyterum, nec Diaconum, nec quemlibet in Ecclesiastica Ordinatione constitutum, nisi manifeste in Ecclesia suæ civitatis, sive possessionis, aut martyrio, aut in monasterio hic qui ordinatur mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autem qui absolute ordinantur decrevit S^ta. Synodus vacuam habere manus impositionem.* Nec mirum, cum Grex & Pastor ad se referantur.

Socrat. Hist. l. 6. c. 14.

Quarto, Apostolatus ab Episcopatu magno discrimine separatur, quod ipsam muneris naturam sequitur. Apostolatus majestas verbis Dominicis continetur; *Ut Pater me misit, & ego mitto vos.* Joan. 20. Nil dictu magnificentius fingi potest. Audiatur Cyrillus ille Alexandrinus. l. 12. in Joan. c. 55. *Ordinavit his verbis Orbis Doctores, & divinorum mysteriorum ministros, quos ut luminaria ad illustrationem non Judæorum regionis solummodo misit, quæ juxta Lega-*

lis mandati mensuram a Dan usque a Berseba patebat; Sed universum terrarum Orbem illuminare jussit... Quos ita dicit mittere, sicut ipse a Patre missus est, ut etiam Apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret, & simul monstaret quam viam in studiis suis vitaque sua sequi eos oporteret. Excidit Bellarmino verbum observatu dignissimum: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos; quem locum sic exponunt Patres, ut aperte dicant factos esse his verbis Apostolos Christi vicarios, imo ipsum Christi officium & autoritatem accepisse; & ut intelligeremus in Apostolica autoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam: ideo adjecisse Christum; sicut misit me Pater; siquidem Pater Filium misit summa potestate praditum.* At ille Bellarminus qui nuper de præstantia Apostolica recta sentiebat & scribebat, mutata persona agendo in Scena actui diversa dixit l. 1. c. 10. *Respondeo in Apostolatu contineri Episcopatum, & Episcopos succedere Apostolis, quia non eo ipso quod aliquis est Apostolus sit Episcopus—sed quia omnes Apostoli fuerunt Episcopi; imo etiam primi Episcopi Ecclesiæ, tametsi non sint ordinati a Christo, sed a Petro.* Ne vero sine aliqua umbra rationis deliret, huic rei argumentum dixit: *Ad Apostolatum enim proprie pertinet jus prædicandi, cui annexa fuit amplissima jurisdictio delegata, qualis etiam in non Episcopis esse potest.* Quo usque tandem, Bellarmine, abutere patientia nostra, illudendo & tibi, & veritati, & Evangelio? Tu nuper professus es Apostolos & esse Christi vicarios, & ipsum Christi officium & autoritatem accepisse, & in Apostolica autoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam; nunc veri tuique immemor, dicis, *non eo ipso quo aliquis est Apostolus, ideo est Episcopus*: quasi vero, qui ipsum *Christi officium & autoritatem accepit*, in qua profecto vis omnis atque excellentia Ecclesiastica continetur, Episcopi obire munia non potuerit, Sacramenta ministrando, Præsules consecrando, Ecclesiæ fundamenta jaciendo.

Bellar. de Rom. pont. l. 4. c. 23.

Sic est, amplitudinem sui muneris a Deo Christus dedit Apostolis. Ille neminem nisi Deum superiorem habuit: hi soli Christo subjecti quoad dignitatem Ecclesiasticam. Ille editis cœlo oraculis *Hic est Filius meus, Dilectus ille in quo acquiesco*, suo muneri præpositus est a Patre: hi omnem suam dignitatem a Christo habuere, divina hac voce collatam: *Euntes, docete omnes gentes.* Ille

cœ-

cœleſtibus donis repletus, Columbæ ſpecie, qua ſpiritum adumbrabat, ſeſe oculis objiciente: hi opibus ſapientiæ ac virtutis circumfluebant, afflati Spiritu, quo ſub imagine flatus donati ſunt. Ille ſola vi Legationis abſque ulla χειροθεσίας, aut adjuncta Epiſcopatus dignitate, Eccleſiam adminiſtrabat, patrabat miracula, munera ſervandis mortalibus neceſſaria inſtituebat, Spiritum Sanctum cum hominibus communicabat: hi ex adjuncta autoritate Apoſtolica, abſque ulla vel manuum impoſitione, vel conciliato Epiſcopi titulo, munia omnia Eccleſiaſtica, & ordinaria & extraordinaria obibant, futura præſagiebant, interiora ſcrutabantur, Moſaïcam diſciplinam antiquabant, edebant miracula, creabant Epiſcopos, Dæmones pellebant, & nonnunquam tortores flagitioſis caſtigandis adhibebant, Spiritum Sanctum indulgebant, Eccleſias ubique gentium fundabant.

Atque hinc decidere poſſumus Quæſtionem, an Apoſtoli fuerint Epiſcopi? Diſtinctio hic adhibenda eſt. Si ampliata voce *Epiſcopus* ille dicitur, qui omnibus Paſtoris partibus fungitur, Petrus cæterique Apoſtoli titulo Epiſcopali donandi ſunt, quia in eorum dignitate Epiſcopatus neceſſario continebatur; cum mittere Apoſtolos Chriſti ſapientia non potuerit expertes facultatis creandi Presbyteros, Sacramentaque adminiſtrandi: hoc eſt, ut ajunt, per eminentiæ viam exercebant Epiſcopos, atque præſtabant. Sic Chriſtus fuit Epiſcopus, cum vigilantiſſimi Paſtoris munera omnia exercuerit. Si vero propria ſtrictaque ſignificatione, vox *Epiſcopi* uſurpetur, Apoſtoli non poſſunt eſſe Epiſcopi; imo, hæc inter ſe pugnant ut Petrus *formaliter* Epiſcopus fuerit, ſi Apoſtolum egerit. Iterum dicam, hæc munera in eodem homine una conſentire non poſſunt; cum ἀμέσως a Deo mitti & non mitti, Impoſitione manuum creari & non creari, certo Gregi affixum eſſe, & non eſſe, amicitia copulari non poſſint. Itaque, recte colligitur, Apoſtolus eſt, non igitur Epiſcopus; & vice verſa. Si quidem & cauſis proximis, & objecto, & effectibus, & natura, ambo hæc munera inter ſe diſcrepant; & magna Capitis Apoſtolici diminutio eſt, quod Sanctiſſimi illi Doctores Orbis, ſpirantes autoritatis Dominicæ imagines, in numerum Epiſcoporum relegentur. Hanc injuriam ab Apoſtolis avertit Paulus 1. Cor. c. 12. v. 28. *Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores*: quibus Paſtorum nomen aſcrip-

ſit

ſit alibi. Sic a primo altiſſimoque gradu, ad ultimum deſcenderent.

Quod ergo de Pontificatu Petri Antiocheno fabulantur, merum ſomnium eſt, injuria Principem Apoſtolorum afficiens, non honore cumulans. Ac fingunt quidem ſolum Petrum a Chriſto fuiſſe ordinatum in Epiſcopum; ſed fingunt ſolummodo, & craſiſſime, nec probant aſſertionem; imo, probare non poſſunt. Quid neceſſitatis erat aut rei illa Ordinatio quæ in amplitudine muneris Apoſtolici contineba-tur? Quando Petrus ordinatus eſt a Chriſto, ubi, quibus teſtibus? An in Epiſcopum conſecratus antequam Chriſtus in cœlum aſcende-ret? Qua igitur de cauſa Petrus nullum capeſſebat Epiſcopatum, an-tequam Antiochenam Cathedram inſtitueret? Annon toto hoc per-durante intervallo, quod a morte Chriſti ad jacta Eccleſiæ Antioche-næ fundamenta interceſſerat, omnibus Paſtoris partibus & in Ju-dæa, & Hieroſolymis Princeps ille Apoſtolorum functus eſt, absque addito Epiſcopi titulo? Quid novi ergo Apoſtolo contuliſſet Epiſco-palis dignitas? Fingemus-ne Chriſtum cœlo fuiſſe delapſum manui Petro imponendæ, ut ordinaretur Epiſcopus ad capeſſendam Antio-chenam Cathedram? Si Petrus *formaliter* Epiſcopus eſt, annon Pau-lus etiam Epiſcopis inſeri debuit? A quo igitur ordinatus? A Petro, opinor, Eccleſiæ Capite, nec ab alio quidem, ſi Ordinatione Epiſ-copali opus Paulo fuiſſet, accipere debuit, ut tanta conſecratione glo-ria Petri cumularetur. Atqui fictam hanc Ordinationem ever-tit ipſe Paulus, Gal. 2. 6. *Qui ſunt in pretio nil mecum contulerunt.* Mul-tum Petrus Paulo dediſſet, ſi applicatis manibus, Epiſcopali munere il-lum induiſſet. Quam, denique Sedem, Eccleſiamve regendam Paulus ſuſceperat? Cujus urbis exercebat Epiſcopum? Cujus Mathæus, cu-jus Lucas? Muneribus, quidem, extraordinariis nulla unquam or-dinatio adjuncta eſt: nulla Moſi, nulla Prophetis. Solo Dei mandato fretus Moſes & Legationem, & muneris ſui obibat munia, absque prævia conſecratione: multo aliter Aaron, cujus Officium or-dinarium ſucceſſoribus transmitti debuit, inauguratus eſt. De oleo & ſanguine qui ſuper Altare erat, Aaronis & veſtes & filii aſperſi ſunt; non itidem Moſes, qui conſecrationis obtulit ſacrificium, ſi-ne illo ceremoniarum apparatu, qui ad injungendum Sacerdotibus ſuum munus neceſſarius fuit.

Atque hinc merito colligimus, Petrum non ut *Epiſcopum*, ſed ut

ut *Apostolum*, Antiochenæ Ecclesiæ perinde ac Hierosolymitanæ præfuisse; cujus distinctionis Patres insolentes non fuerunt, cum res suis ponderibus examinant. Qui vulgo audit Ignatius, Epist. ad Rom. *οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν, ἐκεῖνοι ἀπόστολοι Ἰησοῦ χριστοῦ, ἐγὼ δὲ ἐλάχιστος*: *Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis, illi Apostoli J. Christi, ego vero minimus omnium*. Epiphanius, Hær. 27. p. 107. *ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι*: *Etenim Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi* fuerunt. Quod non abdicato Apostolatu, qui vitæ suæ ad extremum usque perduravit, nihilominus implebant Episcopale munus in Apostolico inclusum, concionando, Sacramenta ministrando, regendo Gregem, omnia, denique, Pastoralia officia præstando, vi amplissimæ dignitatis quam ipsis Christus contribuerat. Chrysostomus Hom. 88. in Joan. *πῶς οὖν Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο εἴποιμι ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον.* *Quomodo, igitur, Jacobus Thronum accepit Hierosolymitanum? Id dixerim, hunc non Throni, sed Orbis Doctorem constituisse.* Quocirca, non satis pro meritis audacia Baroniana contundi debet, An. 34. n. 291. *Jacobus Alphæi, cognomento Alphæus, a Petro Apostolorum Principe ordinatur Hierosolymorum Episcopus.* Atqui de Petro non magis quam de Joanne mentionem agitavit Chrysostomus. Theophilactus in Ephes. *Primi sunt Apostoli, quandoquidem & prophetias habebant*: ut certo certius sit, quod etiam atque etiam est observandum, omnia Ecclesiæ munera, cum ordinaria, tum extraordinaria, Apostolica dignitate generaliter comprehendi. Itaque, imprudenti Baronio notanda hæc excidere, An. 109. n. 55. *Joannes autem Evangelista non Ephesinæ, ut privatus ejus Episcopus præesset Ecclesiæ, sed ut Paulus ibi olim, & Petrus Asiæ, omnes curabant Ecclesias.* Monstro simile esset quod Paulus urbis alicujus in qua consistebat, exercendo suo muneri constitueretur Episcopus: sic Episcopum Antiochiæ, Ephesi, Athenarum, Corinthi, Romæ, præstitisset. Ut igitur Paulus biennium Corinthi agens, Episcopus Corinthi non est creatus; Sic Petrus non audiebat Antiochiæ Episcopus, dum in hac urbe commorabatur; quia ut privatus Pastor huic Ecclesiæ non præerat, sed ut Apostolus, cui omnium Ecclesiarum curandarum commissa provincia fuerat; quod

verbis ſignificantibus a Purpurato ſcripto traditum eſt, An. 39. n. 17. *Sed quod Sedere dicimus, neminem adeo rudem putamus, ut cum dictum ſit Petrum Sediſſe Antiochiæ annis ſeptem, nunquam velit per illud ſpatium temporis ipſum Antiochia receſſiſſe—nam cui non tantum unius civitatis, ſed totius Chriſtiani Orbis onus incumbebat atque ſolicitudo, cum ſimul urgebat—quonam pacto, illis præſertim temporibus cum fides Chriſtiana a Gentibus atque Judæis vexaretur, unius civitatis ampliſſima valuit anguſtiis contineri?* Recte atque ſapienter, Baroni, ſed vide ut ſatis modo attenderis quid ex tua confeſſione ſequatur: ſic enim Cathedra ſua Antiochena Petrus excidit. Apoſtolus erat, non Epiſcopus qui glebæ ſuæ affixus eſt, nec ubique terrarum, niſi ordine rerum fœde perturbato, excurrere poteſt, Orbi Chriſtiano regendo: hoc Apoſtoli muneris eſt. *Antiochia non poterat habere proprium, quem Sta Eccleſia in commune ſuſcepit miniſterium;* ut Ivonis Carnotenſis verba mihi accommodem. Hinc dictum Athanaſio de Sto. Martyre Ignatio. Ἰγνάτιος οὖν ὁ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ κατασταθεὶς ἐπίσκοπος. *Ignatius igitur poſt Apoſtolos Antiochiæ Præſul*, quia & complures, & titulo Apoſtoli non Epiſcopi, Antiochenam Eccleſiam adminiſtrabant.

Ultimo loco tractandum eſt an Epiſcopi ſucceſſerint Vicarii muneri Apoſtolico? quam Quæſtionem movit adverſus Magnum Salmaſium Clariſſimus ille Pearſon Ceſtrienſis Epiſcopus, de Succeſſ. primorum Romæ Epiſcoporum c. 9. *An*, inquit, *communis ſententia Patrum, fuit communis error?* Cui unico exemplo reſponderi poſſet, an communis ſententia Patrum de præbenda infantibus Euchariſtia, non fuerit communis error? Sed non opus eſt hanc movere camarinam: Clariſſimi Epiſcopi ſententia hæc eſt, *Primos Epiſcopos vere fuiſſe Apoſtolorum ſucceſſores, nam vox Succeſſionis ubi pars tantum poteſtatis, ſive juriſdictionis, alicui contigit, ſemper uſurpata & non legitima habita eſt.* n. 2. Quod magna exemplorum & copia & pompa confirmatur ab Eruditiſſimo Præſule: hoc addit n. 3. *Quamvis maximum ſit diſcrimen Orbis & urbis, maxima differentia Apoſtoli fundatoris & Epiſcoporum ab ipſo creatorum, tamen ubi alicui Epiſcopo ſingulari Eccleſia in urbe aliqua conſtituta regimen, cum autoritate & poteſtate ſupra omnes Presbyteros ante creatos, & in poſterum creandos, ab ipſo Apoſtolo concreditum & demandatum eſt, ille Epiſcopus iſtius Apoſtoli in ea Eccleſia ſucceſſor jure nominari poterit.* Succeſſio

Successio alia loci est, alia doctrinæ, alia quarumdam functionum: quæ, dubio procul, non satis sunt *vera Successioni* constituendæ. Quid, an-non Apostoli ipsi olim in Ecclesia Hierosolymitana officium Diaconorum implevere, ante obortum Hellenistarum murmur, quod ansam præbuit eligendis Diaconis? An ideo Diaconi pro successoribus Apostolorum sunt habendi, quod Apostoli Diaconos & doctrinæ, & officii quondam sui, de dispensandis Christianorum eleemosynis hæredes reliquerant Hierosolymis? Nec pugnarem Episcopos ab Apostolis scriptos esse successores, si Apostolicum Episcopaleve munus eo solo discrimine secernerentur, quod Apostolicæ ditioni, judicio, potestati, plures urbes vel Provinciæ subjicerentur, quam Episcopali. Sic in concione quam Herodes Magnus apud Judæos habuit; τοὺς δὲ τοὺς τρεῖς παῖδας ἀποδείκνυμι βασιλείας, καὶ τῆς γνώμης πρῶτον τὸν Θεὸν σύμψηφον, ἔπειτα καὶ ὑμᾶς παρακαλῶ γένεσθαι· τῷ μὲν γὰρ ἡλικία, τοῖς δὲ εὐγένεια τὴν διαδοχὴν προξενεῖ. Τό γε μὴν μέγεθος τῆς βασιλείας ἀρκεῖ καὶ πλείοσιν. *Tres filios meos Reges designo, hujusque sententiæ meæ socium primum Deum fieri precor, deinde vos: namque huic ætas, illis nobilitas successionem Regni conciliat, & quidem magnitudo ejus etiam pluribus sufficit.* Profecto, tres Herodis filios ejus successores existimari, nil miri, cum & partem imperii paterni tenere, & in suam quisque partem potestate ejusdem naturæ & speciei ac paterna uti deberent, summa, scilicet, quæ in subditos vitæ mortisque sibi sumebat arbitrium. Sic ditionis Episcopalis diversa amplitudo muneris ipsius naturam non mutat, teste Hieronymo, Epistola ad Evagrium. *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum, omnes Apostolorum sunt successores.* Recte, & sapienter, quod omnes Episcopi ejusdem sint *Sacerdotii*, atque muneris: & rationem suppeditat Cyprianus: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Nec quam unusquisque Præsul partem occupat, sociæ subditam esse scimus & tenemus, monente s^to^. Martyre, Ep. 52. *Manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque, rationem propositi sui Domino redditurus.*

Joseph. de Bell. l. 1. c. 17.

Sed his apparet Episcopos *vere* successores Apostolorum existimari non posse, alioquin, ut Herodis liberi ad numerum Regum adscripti, Regium sibi nomen vindicassent, si Parenti fuissent superstites; sic Episcopi pulchro insignique *Apostolorum* titulo ornari tebent: cum nil absurdi sit successorem vel *partiarium*, nomine decessoris donari. Sed, quod in observatione ponendum, munus Apostolicum non modo superat Episcopale amplitudine ditionis, sed etiam cum illo, forma ἰδίᾳque discrepat: testis est ille ipse Paulus: dedit Apostolos, *alios autem Pastores & Doctores*. Potestas Apostolica ἀμέσως a Christo manavit: Episcopalis a Deo quidem orta est, sed hominum interventu adjungitur: illa extraordinaria est, & Temporiara: hæc ordinaria, & perpetua: illa edebat opera supra totius Naturæ vires, disciplinam a Deo olim institutam abrogabat, ut novam constitueret, morte & cæcitate solo verbo flagitiosos afficiebat, Dæmonibus imperabat, Spiritum Sanctum indulgebat: hæc, etsi excellens præstansque sit, cancellis tamen Naturæ circumscribitur: illa, summa fuit, nec ulli vel Concilio, vel Ecclesiæ, vel Presbyterio magis subdita, quam autoritas Dominica: quo pertinet; *ut misit me pater, sic mitto vos*: item, *sedebitis super Thronos, judicantes duodecim Tribus Israel*: Hæc, obnoxia est si non Senatui Ecclesiastico, saltem Synodo. Itaque, mentibus circumspicienti, illa qua Episcopi præditi sunt potestas ad partem Apostolicæ autoritatis non ascribitur, quippe quæ Pastores faciat non Apostolos. Scimus quidem & tenemus quidquid dignitatis est & perfectionis in Episcopali munere, Apostolico illo fuisse comprehensum: sed ea facultate quæ Pastoribus competit, Apostolica dignitas non constituitur, cum inter requisita, dispositionesque solum censenda sit: vere ut dicamus, non magis secundum propriam formam & speciem insit Apostolico muneri, quam Diaconatus, cui gerendo Apostoli erant idonei. Continetur, itaque, potestas Episcopalis in Apostolica, solum ἐν δυνάμει, quia nullus potest in Apostolum creari quin omnium munium Ecclesiasticorum capax evaserit. Proindeque nemo vel ex deunce Apostolorum hæres scribi potuit; cum extraordinariæ temporariæque potestatis pars nulla sit potestas hæc quæ ordinaria est & perpetua: imo disjuncta maxime & contraria dicuntur, cum rei extraordinariæ, & ab ipso

Deo

Deo proxime, nulloque hominum interventu manantis, successores finguntur. Quibus Moses ipse functus nonnunquam fuerat munia quædam Sacerdotes obiere, in perpetrandis Sacrificiis, & instituendo populo; num ideo in loco numeroque *verorum* Mosis successorum habebantur? minime gentium, cum munus Mosaïcum fuerit prorsus singulare. Quidni Episcopi vere successores audiant Prophetarum non secus ac Apostolorum? Successores Prophetis non quæruntur, quia eorum officium momento, Episcoporum vero in æternum durare debuit: atqui munus Apostolicum, quod proprium ipsis fuit, magis extraordinarium quam propheticum existimari debuit; teste Irenæo apud Euseb. Hist. l. 5. c. 7. Καθὼς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων: *Sicuti multos ex fratribus audimus in Ecclesia qui Prophetia dona consecuti sunt.* Apostolatus autem cum Divinis hisce hominibus qui illum capessérant, penitus extinctus fuit. Denique, si Episcopi *vere* Apostolis successere, utique & pro veris Christi successoribus habendi sunt, quod omnem suam potestatem ministerialem Apostolis Dominus contulerit; quo consequens est, ut horum, sic illius successores merito dici posse; quæ phrasis insolentior est, atque auribus durior. Itaque, accurate proprieque loquendo, Episcopi successores Apostolorum non sunt scribendi, cum conjunctum & commune munus Episcopis cum Apostolis, quà Apostolis non fuerit: nec facultas concessa Pastoribus, Apostolos qua Apostolos creaverit, gerendo muneri; cum tamen phrasis sive Hieronymiana, sive Pearsoniana illos sub ea notione designet: nec officium quod exercebant Apostoli ministrando Sacramenta, regendoque Gregem, ejusdem naturæ fuerit atque speciei, ac munus Episcopale, cum vel communes illæ Presbyteris functiones a principio longe diverso manarint, summa, videlicet, extraordinariaque a Christo injuncta Legatis suis autoritate, quæ cæteras Ecclesiæ dignitates eminentiæ suæ excellentia complectebatur.

ANNO XXXIX. NUM. XVI—XXIV.

De institutione Sedis Patriarchalis Antiochenæ. Origo Patriarcharum. De Judæorum Patriarchis ante Christum.

Christum. An eorum autoritas Monarchica, & in Politia, & in Religione? Absurda Bellarmini sententia rejicitur. Notabilis Marci Antonii de Dominis observatio. Patriarchæ, Prophetæ titulo insignes. Eruditi Richardi Simonis ex adjuncto Abrahamo Prophetæ titulo. De Actuariis publicis opinio refellitur. Josephus & huic sententiæ adversarius. De Patriarchis Judaicis post Christum. Archontes Judæorum apud Antiochiam, ante deletam Hierosolymam. Munus Judaicarum Patriarcharum; Autoritatis suæ finis. An de Patriarcha Alexandrino Vopiscus debeat explicari? Affimantis Clarissimi Salmasii sententia multis refellitur. De descriptione nominis Patriarchæ apud Christianos. Metropolitanum Metropolitanorum, sive Archiepiscopum Exarcham, caput dioeceseos proprie significare, demonstratur. Functiones & munera Patriarcharum, quorum nomen tandem quinque Sedibus præcipuis accomodatum. Distinctio graduum Episcopi, Metropolitani, Patriarchæ, monumentis Antiquitatis illustratur. Sententia Socratis de Patriarcharum institutione explicatur, & defenditur. Valesii opinio multis impugnatur. An Petrus instituerit Sedem Patriarchalem Antiochenam? Opinio Baroniana argumentis, compluribus rejicitur. Lectio pervulgata Innocentii contra Petrum de Marca & Henricum Valesium propugnatur. Qua de causa Episcopus Alex. prælatus Antiocheno? Futiles Latinorum conjecturæ confutantur? Originem & causam dignitatis Patriarchalis non ad institutionem Apostolicam, sed ad majestatem urbium esse referendam, ex Josepho & Patribus

Patribus ostenditur. An Apostoli, occasione ex magnitudine urbium capta, Patriarchas instituerint? Opinio hæc quæ bene multorum est, impugnatur; & nominis, & rei per Patriarchæ vocem significatæ, insolentem fuisse Ecclesiam ante Synodum Nicænam, multis ostenditur. De Canone Nicæno 6°. Condendo canoni Meletium occasionem dedisse, contra Valesium demonstratur. An Meletius idolis sacrificium perpetrarit? Argumentis verosimilibus ejus innocentia contra pervulgatam opinionem; defenditur. De Patriarchis Nicænos non agitasse mentionem, argumentis confirmatur. Epiphanius emendatus. De suburbicariis Ecclesiis atque Provinciis. Jacobi Sirmondi sententia falsi postulatur. An autoritas præsulis Rom. exemplo fuerit Nicænis adjungendis Alexandrino suis privilegiis? Majora fuisse Alexandrini quam Romani, contra Salmasium demonstratur. An pauci Episcopi sub ditione Alexandrini? Magni Salmasii, magnum παρόραμα refellitur. Episcopo Alex. titulus Archiepiscopi prius additus quam Romano. An titulus desit vulgatæ canonis Nicæni editioni? Fides ejus multis astruitur. Explicatio canonis Baroniana Bellarminianaque impugnatur.

SUperbam opum affluentia, gloriaque Conditoris Antiochiam nova luce perfundit Illustrissimus Purpuratus: *Dicendum est Petrum primum erexisse, seu instituisse Sedem Patriarchalem Antiochenam.* Hic ingens ad differendum, Antiquitatemque illustrandam composita est materia. Principio, origo nominis mihi delibanda; deinde de Judaicis Patriarchis aliquid attexendum; insuper attingenda Quæstio, an Petrus instituerit Patriarchalem Sedem Antiochenam? Denique, de institutione Patriarcharum agendum diligentius.

Patriarchæ

Patriarchæ nomen parentibus Hebræorum inditum fuiſſe primitus, ex Scriptura ſciri facillime poteſt. Hinc apud Lucam duodecim *Patriarcha*: Καὶ Πατριάρχαι ζηλώσαντες; *Patriarcha invidia moti.* Act. 7. Imo David in Patriarchas refertur, quod caput exerceret ampliſſimæ familiæ, qua ſati Reges plurimi, nec-non olim Meſſias ille expectabatur: *Licet libere dicere apud vos de Patriarcha David*; Act. 2. 29. Qui Hebræis רושי בת אבות Græcis ſunt ἄρχοντες οἴκων πατριῶν, & Patriarchis addebantur, eo nomine donati, Paralip. 27. 22. οὗτοι Πατριάρχαι τῶν φυλῶν Ἰσραήλ: *Hi Tribuum Iſraelis Patriarcha, ſive præfecti.* Aliud agebat doctiſſimus Heideggerus in Exerc. 1. pag. 3. *Vox igitur Græca* Πατριαρχῶν *diſerte extat* 1. *Paral.* 9. *v.* 9. Imo deſideratur, cum aliam vocem LXX. uſurparint, ἄρχοντες Πατριῶν.

Bell. de Rom. Pont. l. 1 c. 2. Miſſa Quæſtione de nomine, rem attingamus: in præcipitem obſcuramque ſententiam deſcendit Bellarminus. *Patriarchas quidem Regia poteſtate præditos fuiſſe, indicant res geſta ipſorum.* Secundo quippe favore Purpurati mutandi in Reges erant Patriarchæ, ut principio rerum, Eccleſia autoritate Monarchica adminiſtraretur. Sed fallit certe, fallitürque Bellarminus, cum jus paternum a regio quam longiſſime diſcrepet. Multo quidem honore Cananæorum Primates Abrahamum compellabant נשיא אלהים *princeps Dei*, hoc eſt, excellentiſſimus, *es in medio noſtri*; ſed exhibitus ille honor, contumelioſus fuiſſet Viro Regiæ majeſtatis, qui obſervantiæ cauſa מלך *Regis* nomine decorari debuiſſet. Quis unius familiæ Regem ſomniavit unquam? Ubi ſunt illa Regna, quæ jure naturæ, atque ſanguinis fundentur primitus, non gentium voluntate, inſtituto, arbitrio? Quæ tellus regnabatur ab Abrahamo, cui Deus *nec dedit hæreditatem in regione Canaan, ne veſtigium quidem pedis*, teſte Protomartyre?

Ut in Politicis, ſic & in Eccleſiaſticis rebus Patriarchæ ſuæ familiæ præerant, jure *paterno*, non *Monarchico*. Hinc Abrahamo pietatis laudibus affecto dictum, Gen. 18. 19. *Scio eum præcepturum filiis ſuis & domui poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.* Sed nec illa poteſtas in ſummum evaſerat, quaſi Reges Sacrorum Patriarchæ incederent, quorum juſſa cæca cum obedientia capeſſenda erant: ſic peſſime cum hominibus actum; filii quippe ſæpius Parentum idololatriam atque errores imitatione fuiſſent proſecuti. Non contemnenda

temnenda est Marci Antonii de Dominis animadversio, de Repub. Eccl. l. 1. c. 12. n. 26. *Respondeo Ecclesiam veterem in duplici statu posse considerari, videlicet ante Legem scriptam, & post Legem scriptam. Certe ante Legem scriptam, vix unam possumus formare Ecclesiam universalem visibilem, & conspicuam; sed multas tamen observamus partiales in singulis fere familiis; ut in familia Adami, Seth, Enos, Enoch, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, & duodecim filiorum; & in his, similibusque familiis, primogenitos fuisse Sacerdotes est multorum opinio.... Cum itaque plurimi essent primogeniti, singuli in singulis fidelium familiis, nullusque expresse appareat, qui supra alios emineret, nullus aliorum esset ordinator, aut rector, Monarchiam hanc Ecclesiasticam in tota lege naturæ non est reperire.* Jura igitur Patriarcharum paterna fuere, non Monarchica: intra familiæ fines terminata, non latissime propagata: Deo cum oraculis, tum arcanis motibus gubernante Abrahamum, Isaacum, Jacobum, ut summa Religione ceremoniaque Sacra sua conficerent.

Adjunctus Patriarchæ Abrahamo insignis pulcherque *Prophetæ* Titulus, revocat ad memoriam doctissimi Richardi Simonis sententiam. Constat lippis & tonsoribus, quam de Prophetis opinionem ille affixerit animo familiarius, quos ad numerum *Actuariorum publicorum* ascripsit. Jam vero Titulo quo fidelium parens insignitus est, labefacta cadit Simoniana sententia, נביא הוא, *Propheta est.* Quod nomen nondum auditum usurpatumve a Mose tum primum imponitur Patriarchæ, Numinis pleno, qui cum Deo diurnum nocturnumque habebat commercium. Qua porro ratione vir ille θεόπνευστος *scriba* fiet? Cujus gentis aut regni ex munere publico *Actuarii* partibus fungebatur? Serio-ne an jocando Abimelech Regem Guerar sic Deus compellasset, Abrahamus *scriba* est, interpellabit pro te? Oranti quidem viro θεοπνεύστῳ, Deum non surdas præbuisse aures, consentaneum videtur rationi. Quid vero momenti afferat precibus *scribæ* nomen, quæ ingenii mei tarditas est, nullus capio. Virum igitur Dei plenum præcipue נביא *nabi* sonat: sicuti נביאה *Prophetissam*, hoc est, mulierem a Spiritu Sancto actam. Sic Maria, sic Debora, sic Hulda Prophetissæ, quia cum Deo miscebant commercia, oraculaque fundebant: teste verbo Mariæ jactantia pleno, *Nonne etiam per nos loquutus est Jehova?* Num. 12. An & Scribis publicis mulieres illæ inserentur? aut id muneris ini-

 bant

bant apud Hebræos? Quin etiam doctus ille Simonius prospero Josepho non utitur. Quos Ægyptii pro Scribis habuere, illi futurorum, & oraculorum fundendorum periti existimabantur. Τῶν ἱερογραμματέων τις, καὶ γὰρ ἦσαν οἱ περὶ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, ἀγγέλλει τῷ Βασιλεῖ τεχθήσεσθαι τινὰ τοῖς Ἰσραηλίταις κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ὃς ταπεινώσει μὲν τῶν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν, αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας. *Quidam ex eo genere hominum quos gens illa vocat Sacrorum Scribas, quorumque prædictionibus multum tribuit, prænunciat Regi nasciturum per id tempus apud Israelitas quendam res Ægyptiorum olim graviter afflicturum, Israelitas contra evecturum.* His Rex terrore percitus, ex monitoris sententia edixit, quidquid masculini sexus inter Israelitas nasceretur, in flumen necari. Si de Scribis, veluti à Spiritu Sancto actis, Vir Doctus bene existimat, næ summam suæ Criticæ constituit in quæstione lusoria: utrum illi videlicet quos Dei numen afflabat, scribendis Annalibus publicis nonnunquam vacaverint? Egregiam vero materiam! Atqui nominis impositio tanti non erat, ut infinitæ lites inciderentur, ac pertractandæ ejusmodi Quæstioni tempus iners transmitteretur. Fallor annon aliud sit agitatum cum animo.

Joseph. Ant. l. 2. c. 5.

Convertat se nunc oratio ad Judæorum Patriarchas qui Christum excepere. Accisis rebus Judaicis, funditusque eversa Hierosolyma, e cineribus mortuæ Urbis Patriarchas prodiisse memoriæ proditum; alterum Tiberiade, alterum Babylone consistentem, quoad poterant Regio Davidis sanguine procreatos. Stante quidem Hierosolyma nullus Judæorum titulo Patriarchæ insignis fuit. Verum tamen constat ex Josepho Antiochensibus Alexandrinisque Judæis fuisse suos Archontes. Τὸ δὲ κατὰ τῶν Ἰουδαίων παρὰ πᾶσιν ἤκμαζε μῖσος. Τότε δή τις Ἀντίοχος εἷς ἐξ αὐτῶν τὰ μάλιστα διὰ τὸν πατέρα τιμώμενος. ἦν γὰρ ἄρχων τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίων, τοῦ Δήμου τῶν Ἀντιοχείων ἐκκλησιαζόντων, εἰς τὸ θέατρον παρελθὼν, τόν τε Πατέρα τὸν αὑτοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐνεδείκνυτο κατηγορῶν ὅτι νυκτὶ μιᾷ καταπρῆσαι τὴν Πόλιν ἅπασαν διεγνωκεῖσαν. *Porro, Judæorum odium apud omnes pullulabat; tunc unus eorum Antiochus quidam plurimum Patris causa honorabilis, erat enim Judæorum Princeps apud Antiochiam, & cum Antiochenus populus concionaretur in Theatro, progressus in medium, Patrem suum & cæteros deferebat, insimulans eos, quod una nocte totam civitatem incendere*

Joseph. de Bell. l. 7. c. 21.

incendere statuissent. De Alexandrinorum Judæorum Ethnarchis disertissima sunt verba Claudii Imperatoris apud Joseph. l. 19. c. 4. καὶ τελευτήσαντος τοῦ Ἰουδαίων Ἐθνάρχου, τὸν Σεβαστὸν μὴ κεκωλυκέναι ἐθνάρχας γίνεσθαι. *Permissumque eis ab Augusto ut in defuncti Ethnarchæ locum, alium suis suffragiis substituerent.*

Cæterum, in amplitudinem dignitatis honorisque majorem ascendisse Tiberiadensem Patriarcham, Principem scilicet exercentem, certum est historiæ monumentis. Objicientibus itaque Christianis, non cessaturos Principes ex Juda usque quo veniret Silo, respondebant Judæi, *permanere adhuc Principem ex genere Judæ; istum videlicet qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham*: ut monemur ab Origene de princip. l. 4. c. 1. Tantum ille dignitatis gradum ascenderat, ut haberet & suos Apostolos ad exigendas a Synagogis pecunias missos, ut patet ex Cod. Theod. l. 14. de Judæis. *Superstitionis indignæ est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omni quidquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. De cætero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum.* Fide ac pietate illustri celebratus ab Epiphanio Josephus Patriarchæ Apostolus ad Christum conversus, ex illorum erat ordine qui apud Judæos principem dignitatis locum obtinent. Εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι. Προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ: *Hos quidem secundum Patriarcham Apostolos nominant, assident hi Patriarchæ.* Epiph. Hær. 30. Ex Origene conjectura duci potest Judæos sibi imposuisse Patriarcham, quo Christianis urgentibus Jacobi oraculum responderetur. Porro, ante diem quo Theodoretus suos condidit Dialogos, Judæorum Patriarchæ evanuerant, ac diffluxerant. Eran. *Sed undenam derivantur Patriarchæ? Non sunt ex cognatione Davidica?* Orth. *Minime.* Eran. *Sed undenam derivantur?* Orth. *Ex Herode alienigena, qui ex Patre quidem erat Ascalonites, ex Matre autem Idumæus: quanquam ipsi quoque omnes interierunt, & tempus præteriit ex quo eorum principatus finem cœpit.* Theodor. Dial. 1. Theodoreto tamen non assentior, quod & Herodem fuisse alienigenam ex Patre Ascalonita, & ejus sanguine Patriarchas cretos fuisse

persuasum habuit: quem errorem, quo Antiquorum plurimi affecti sunt, diserte confutavit Josephus, qui Herodianorum Natalium hospes esse non potuit. De Antipatro Herodis Parente. Γένος δ' ἦν Ἰδουμαῖος, προγόνων τε ἕνεκα καὶ πλούτου καὶ τῆς ἄλλης ἰσχύος πρωτεύων τοῦ ἔθνους. *Erat autem Antipater genere Idumaeus, & nobilitate ac opibus gentis suæ princeps.*

Joseph. de Bell. l. 1. c. 5.

Vopisc. Saturn. p. 722.

De Patriarchis insignis est Adriani Imperatoris locus apud Vopiscum: *Ægyptum quam mihi laudabas, Serviane Clarissime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem.... Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille Patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* An ad Patriarchas Judæos necne, referendum sit Adriani Rescriptum, in quæstione positum est. Magnus ille Salmasius: *En*, inquit, *Episcopum Alexandrinum Hadriani temporibus Patriarcham appellatum. Non igitur tam recens est Patriarchæ nomen in Ecclesia Christiana quam quidam videri volunt, quibus placet, nec Nicæni temporis ætate, tanto post Adrianum intervallo, usitatum illud inter Christianos fuisse pro eo qui toti Diœcesi præerat, & Diœceseos Exarchus dicebatur:* quæ Viri Eruditissimi hunc in locum annotatio est. Verum, pace cinerum ejus, in gravissimum errorem lapsus est. Non Alexandrinum Episcopum, sed Judæorum Patriarcham designabat Adrianus, verbis adeo propriis atque significantibus, ut mirum sit Clar. Salmasium ibi Christianum Episcopum vidisse. *Ille Patriarcha cum Ægyptum venerit*, nonne hominem Alexandriæ extraneum hæc innuunt indicantque, cum gregis Alexandrini Præsul apud eum habitaret? *Ab aliis cogitur Christum adorare.* Quid? an Episcopus Alexandrinus cogendus fuit Christi numen venerari, cui sponte & lubenti animo genua submittebat? Nec ullus, ut mea memoria est, *Patriarcha* nomine Episcopus donatus fuit a Patribus ante Gregorium Nazianzeni Parentem, quarto seculo jam affecto. Καὶ μετὰ τούτων τὸν νέον Ἀβραὰμ καὶ Πατριάρχην ἡμέτερον τὸν ἐμὸν πατέρα: *Et in iis novum Abraham & Patriarcham nostrum, Parentem meum.* Quibus gravissimus ille Doctor Nazianzenus in mente non agitabat, exhibere Patriarcham illorum similem qui non multo post exorti sunt: Primatem, scilicet, &

Greg. Naz. Orat. 20.

& Metropolitanorum Metropolitanum: cum obscurissimæ Sazimæ ad eum dignitatis Politicæ gradum non ascenderant, qui Sedibus Patriarchalibus fundamento fuit. Habebatur a Gregorio filio Gregorius pater pro Patriarcha, quod in sapientia, & annis abundaret, tum etiam sicuti Abrahamus relictis Idolis se ad Deum conveterat, ita Gregorius deposita Hypsistariorum hæresi fidem susceperat. Vel denique, quod Nicetæ placuit, *Patriarcham eum vocat, ut Patrem & Principem civitatis, quantum quidem ad res Ecclesiasticas attinet.* Hactenus igitur Patriarchæ titulus Christianos Episcopos non delectabat; multo minus Adriani temporibus, quibus priscam simplicitatem spirabant Episcopi, atque a fastu Judaico abhorrebant. Sed Cataphrygibus placuit nomen Patriarchæ, teste Hieronymo. Ep. ad Marcel. 58. *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est: habent enim primos de Pepuza Patriarchas; secundos, quos appellant Cenones: Atque ita in tertium, id est, penultimum locum Episcopi devolvuntur*: ut & hinc colligi possit, priscis temporibus nondum Episcopis insignioribus affixum fuisse nomen *Patriarchæ.* Cæterum, de institutione Sedis Patriarchalis Antiochenæ, accurate dici non potest, nisi præmissa nominis descriptione qua propria vis Patriarchæ declaretur. De Constantinopolitanis Patribus legitur apud Socratem, καὶ Πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ὑπερβαίνειν. *Sed & Patriarchas constituerunt provinciarum divisione facta, ita ut nullus Episcopus ultra propriam diœcesim alienas Ecclesias invaderet; id enim antea propter persecutiones promiscue factum fuerat.* Quo loco apud Socratem Patriarcha & Primas unum & idem significant, hoc est, Metropolitanum Metropolitanorum. Eandem notionem Patriarchæ affixit Rabanus de institutione Cler. l. 1. c. 25. *Ordo autem Episcoporum tripartitus, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis qui & Metropolitani sunt, & in Episcopis. Patriarches, Græca lingua, Pater principum, sive summus Patrum interpretatur, quia primum id est Apostolicum tenet locum.* Subdita Clementis ad Jacobum Epistola. *In illis vero civitatibus in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines, eorum atque primi legis Doctores erant, Episcoporum primates poni, vel Patriarchæ, qui reliquorum Episcoporum judicia, & majora, quoties necesse foret negotia, in fide agitaret.* Ex hac sententia dixit & subditus canon 12. Decreti Julii Papæ. *Reliqua vero*

Socrat. Hist. l. 5. c. 8.

(Ecclesiæ) *non Primates, sed Metropoles vocentur, eorumque Episcopi non primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruantur.* Similiter Pseudanacletus: *Ipsis quoque in civitatibus vel locis nostris Patriarchas vel Primates qui unam formam tenent.* Nec in diversum licet interpretari vocem a judicibus in Chalcedonensi Synodo sedentibus usurpatam Act. 2ª. *Gloriosissimi judices, & Amplissimus Senatus dixerunt: Si placet vestræ Reverentiæ, Sanctissimi Patriarchæ singularum Provinciarum eligentes singulos aut binos suæ propriæ quisque Provinciæ, in medio transeuntes, & communiter de fide tractantes, quæ complacita fuerint omnibus manifesta constituantur.* Hac ergo significatione synonyma sunt Primates, Patriarchæ, ἔξαρχοι διοικήσεως, de quibus agitata mentio Syn. Chalced. c. 9. *Si vero contra ipsius Provinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus sive Clericus habeat controversiam, pergant ad ipsius diœcesis Primatem, aut certe ad Constantinopolitanæ Regiæ civitatis Sedem.* Quid vero Patribus Chalcedonensibus sit Diœcesis a Balsamone est accurate definitum; διοίκησις ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ. *Diœcesis multas Provincias complectitur*: quæ uni Rectori subjacebant. Atque ex hac descriptione olim dicebat Innocentius Papa Ep. 18. ad Alexandrum Antiochenum de ejus Ecclesia, quam *super Diœcesim, non super aliquam provinciam noscimus constitutam.* Similiter Nili Doxopat. notit. Patr. ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν εἶχον τάχα ὑφ' ἑαυτοὺς τοὺς Μητροπολίτας καὶ ἐχειροτόνουν τούτους. *Exarchi itaque Provinciarum sub se, ut videtur, Metropolitanos habebant, eosque ordinabant.*

Quo porro dignitatis gradu suæ Sedi subditos Episcopos eminerent illi Patriarchæ Primates, Constantinopolitana Synodus Basilio imperante celebrata, canonibus suis declaravit. *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, sive per manus impositionem, sive per Pallii donationem, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet, ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum.* Atque his apparet Clarissimo Salmasio accidisse aliquid humani: *Cum adhuc solis praeesset Presbyteris Ecclesias sub se gubernantibus hoc nomine* (Patriarchæ) *insignis incedebat Alexandrinæ urbis Episcopus: quod a Judæis sumptum non dubito, quibus & sui fuere Patriarchæ & Presbyteri... ita plane in Ægypti Provinciis, Alexandriæ Episcopus qui pluribus praeerat Presbyteris, Patriarcha dictus est. Diu etiam hac appellatio*

Salm. de Prim. c. 4. p. 44.

pellatio hæsit in Episcopis Metropolitanis qui toti Provinciæ præessent, quasi scilicet πατρίας ἄρχοντες, *gentis unius Primates.* Antiquitatis in monumentis nullo vestigio reperitur titulus ille *Patriarchæ*, sive Episcopo Alexandrino, sive aliis Metropolitanis additus ante Synodum Constantinopolitanam, jubente Theodosio congregatam, Anno Dom. 381. Alioquin Catholicos inter & Cataphryges satis convenisset de titulis Præsulum, quorum primi apud utrosque Patriarchæ nomine insignes incessissent, quod a beatis hisce seculis novitii fastus insolentibus, alienum prorsus fuit. Nicænæ Synodi canon 6. vocem usurpat *Metropolitani*, non *Patriarchæ*; a qua non temperasset si jam audita fuisset in Ecclesia, præcipue apud Ægyptios, quorum de causa canon ille conditus est. Εἴ τις χωρὶς γνώμης Μητροπολίτου γένοιτο Ἐπίσκοπος: *Si quis præter conscientiam Metropolitani fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum censuit non debere esse Episcopum.* Satis est argumenti Metropolitanos nondum titulo Patriarchæ ornatos fuisse, quod vir ille maximus nullum suppeditarit exemplum Episcopi, quem Patriarchæ appellatione salutarent aut donarent. Nec etiam prospero Socrate usus est: *Profecto Socrates in Historia Ecclesiastica &* Πατριαρχίαν *pro Metropolitani Provincia, &* Πατριάρχην *pro Metropolitano posuit.* c. 4. p. 44. Hoc dixit Socrates, Πατριάρχας καθέστησαν. An Metropolitanos Constantinopolitani patres instituerunt? Annon in suo munere jam constituti exhibentur a Nicænis? Τῆς δὲ Ποντικῆς διοικήσεως Ἑλλάδιος ὁ μετὰ Βασίλειον Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν Ἐπίσκοπος, Γρηγόριος ὁ Νύσσης. *Helladius vero qui Cæsareæ Cappadociæ post Basilium erat Episcopus, Ponticæ Diœcesis Patriarchatum obtinuit, & una cum illo Basilii frater Gregorius Episcopus Nyssæ.* An *Pontica Diœcesis*, Socrati unam Metropolitani Provinciam significat? Qua de causa de explicando Socrate, ac cum Historia conciliando, Doctis plurimum laboratum est, si nil aliud intelligit quam Metropolitanatum Episcopos inter divisum? Socr. l. 1. c. 8.

Exarchis Primatibusque extinctis funditusque deletis, nimis promiscuus ille Patriarchæ titulus aboleri cum reipsa debuit. Itaque quinque illæ Sedes quæ in Orbe Romano eminebant, Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana honorem Patriarchæ cum nomine præcipue usurparunt. Novella Justiniana 12. Τοὺς μὲν Μακαριωτάτους Ἀρχιεπισκόπους καὶ Πατριάρχας, τουτέστι

τῆς

τῆς Πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ Κωνσταντινοπόλεως, καὶ Ἀλεξανδρείας καὶ Θεουπόλεως καὶ Ἱεροσολύμων. *Beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, antiquæ Romæ, & Constantinopolis, & Alexandriæ, & Theopolis, & Hierosolymæ.* Hinc Gregorius Magnus Epist. l. 2. Ep. 37. *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo tanta contumelia transire nullo modo potuisset:* quibus apparet atque extat ad numerum quinarium Patriarchas, incluso Romano, fuisse redactos. Qua quidem significatione Anastasius Bibliothecarius, qui sub Nicolao primo floruit, cum sensibus corporeis Patriarcharum comparationem instituit, in præfat. Synodi 8. Concil. Romæ editorum. *Deinde, cum Christus in corpore suo quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis, sicut nil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis.*

Atque hic etiam atque etiam observandum, Patriarchas pluribus titulis minutatim atque gradatim additis fuisse collustratos, Episcopatu, Primatu, Patriarchatu. Exempli gratia, Papa, qui Patriarcharum primus ordine incedebat, principio rerum Episcopum agebat Ecclesiæ suæ, cujus cum Presbyterio, cui servando ordini præficiebatur, sollicitudinem gerebat. De Apostolis Clemens Rom. ad Corinth. p. 54. Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσαντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς Ἐπισκόπους καὶ Διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν: *Per regiones igitur & urbes, verbum prædicantes, primitias eorum Spiritu probantes Episcopos & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt.* Hanc ordinis eminentiam Apostolico jure sibi vindicabat Rom. Episcopus. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, *qui bene præsunt Presbyteri.* Habuit præterea ex more sensim introducto primatum suburbicariis circumscriptum; Atque eo nomine suæ Synodo præerat. Qui eminentiæ gradus, non institutione Apostolica, sed more cujus principium latet, additus est. Hunc ad honorem adipiscendum, non minimum contulit urbis majestas, atque amplitudo. Apostolicæ quidem Ecclesiæ maximo semper in pretio fuere, quos *matrices & originales fidei* Tertullianus nuncupabat. At Ephesus Apostolica, Corinthus Apostolica, Hierosolyma Apostolica, Hierosolyma maxime Apostolica, quæ tamen Ec-

clesiæ ad culmen autoritatis Patriarchalis non pervenerunt, ut instituti Apostolicæ urbium majestas accesserit cumulando honori. Hunc Metropolitani apicem antiquo more vigentem, suo Canone Nicæni Patres agnitum comprobavere. Denique, volventibus annis, in Patriarcham creatus est, quo jure non uni Provinciæ Episcopis, sed bene multorum regnorum Metropolitanis Primatibusque præfuit. Pessime hi dignitatis gradus permiscentur, cum temporibus, causa, amplitudine, forma accurate distingui debeant. Titulorum discreta vestigia in monumentis Antiquitatis reperiuntur.

Justiniani Novella 131. *Τὸν δὲ μακαριώτατον κατὰ καιρὸν Ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν ἰδίαν δικαιοδοσίαν τοὺς Ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Δακίας Μεδιτερρανέας: Beatissimus autem pro tempore Archiepiscopus Justinianeæ primæ Patriæ nostræ semper sub sua jurisdictione habeat Episcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ.* Et eadem Constitutione Justiniani, Archiepiscopi titulus Carthaginensi Primati adjungitur. Sed quinque Sedibus præcipuis, Archiepiscopali dignitate indutis, additur & Patriarchalis a Justiniano; quasi flos & apex omnium honorum, Novel. 123. *Τοὺς μακαριωτάτους Ἀρχιεπισκόπους καὶ Πατριάρχας: Beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas.* Omnis siquidem Patriarcha & Archiepiscopum agebat, non vice versa. Apparent & certa distinctionis indicia in Epistola Agathonis Papæ ad Constantinum Pogonatum, qua rescripsit *se ex sua Ecclesia Rom. privatim mittere Theodorum & Gregorium Presbyteros, Joannem Diaconum & Constantinum Subdiaconum:* quos legavit ut Romæ Episcopus. *Deinde tres Episcopos fratres Abundantium, Joannem, & Joannem ex proxima Synodo.* Hos ut Primas legavit; præterea, excusat se quod de longinquioribus Provinciis suis, Concilii familiaris, propter temporis angustias & adversam valetudinem, *Metropolitas* mittere non potuerit. Legatur Histor. Conc. Richerii, p. 28. n. 13. & p. 287. n. 6. Nomine quidem Sylvestri Nicænæ Synodo Presbyteri interfuere: Victor & Vincentius Presbyteri urbis *Romæ, pro venerabili Viro Papa & Episcopo nostro Sylvestro subscripsimus.* Quidni Sylvester mittebat & Metropolitanos & Episcopos ad Cœtum florentissimum? Quidni Julius legabat & Præsules ad Concilium Sardicense, cui per *Archidamum & Philoxenum Presbyteros* interfuit? Nondum fastigium tenebant inter Episcopos quod additus deinceps Pa-

triarchalis honor ipsis contribuit. Quocirca solas Metropolitani partes missis Presbyteris implevere.

Hactenus de significatione vocis Patriarchæ; quæ notio accurate animis est consignanda. Veniat nunc in manus percelebris illa Socratis de Patriarcharum institutione sententia, quæ Viris præstantissimis a veri vestigiis quam longissime abesse existimatur. Καὶ Πατριάρχας καθίστησαν: *sed & Patriarchas constituerunt*. Clarissimus ille Valesius: *Neque enim vult dicere Patriarchas a Constantinopolitana Synodo esse constitutos: quippe jam antea confirmata fuerat Patriarcharum potestas Can. 6. Concil. Nicani. Intelligit ergo Socrates non veros atque ordinarios Patriarchas, sed extraordinarios Legatos, qui ad stabiliendam rectam fidem per singulas Diœceses fuerant destinati.* Annot. p. 60. Atqui explicatio hæc Valesiana vim verborum Socratis extinguit atque perimit. An Legatos de fide constituenda mittere, Patriarchas instituere est? Annon hæc inter se discrepant, quis unquam phrasin adeo insolentem usurpavit? Nil prorsus est in Socrate quod legationem illam Valesianam indicet. *Ac Nectarius quidem regiam urbem & Thracia Provincias sortitus est, Helladius vero, qui Cæsareæ Cappadociæ post Basilium erat Episcopus, Pontica Diœcesis Patriarchatum obtinuit, & una cum illo Basilii frater Gregorius Episcopus Nyssæ.* Annon ordinarii harum regionum Præsules? An Nectarius extraordinarius regiæ urbis & Thraciæ Legatus? Profecto si eo Constantinopolitani aciem direxissent animi, ut Legati extraordinarii de fide constituenda mitterentur, fallor an legassent Nectarium, virum frugi quidem atque prudentem, sed qui nondum Sacro Lavacro initiatus fuerat, cum electus a Theodosio, multis licet Episcopis refragantibus. Itaque adhuc neophyti vestem indutus, communi totius Concilii calculo Episcopus Constantinopolitanus renuntiatus est. Huicne neophyto extraordinariam de fide constituenda provinciam commisissent? Sed nec in Sozomeno ulla vel tenuis legationis extraordinariæ umbra. Quibuscum fidei copulatione conjungi deberent illi qui Ecclesiasticis muneribus essent præponendi, a Theodosio decretum fuit: de mittendis extraordinarie per singulas Diœceses ad stabiliendam pietatem Præsulibus non est decretum.

At si veros Patriarchas intellexisset, unum duntaxat in unaquaque Diœcesi poneret. Nunc vero cum plures in unaquaque nominet, verbi gratia

gratia, in Pontica Diœcesi Helladium & Gregorium, apparet eum non de veris atque ordinariis Patriarchis locutum esse. Argumento huic Valesiano non satis virium est, ut falsi dica scribatur Socrati, quem erroris ex præjudicio multi postulant immerito. Vera scripsisse Socratem argumento est Autoris antiquitas, quem accuratum & diligentem factum Constantinopolitanorum latere non potuit. Constantinopolitana Synodus celebrata est Anno Dom. 381. Socrates autem florebat proximo seculo, Anno 440. ut colloquio Præsulum qui Synodo interfuerant, frui quam facillime potuerit. Sed & Nicephorus Socratis vestigia persecutus est, quem errantem deserere debuisset. *Postea Episcopi omnes una cum Nectario congregati ut Nicænæ fidei decretum certum esset constituerunt. Hæresim omnem damnaverunt, & Provinciis divisis Patriarchas constituerunt.* l. 12. c. 13. Insuper, erroris crassissimi Socratem Veterum nullus postulavit, quo, dubio procul, affectus esset, si Patriarcharum, jam Nicænæ Synodi temporibus florentium, originem atque principium a Constantinopolitano Concilio repetivisset. Quin etiam Socratem vera fuisse executum non obscure colligitur ex Nazianzeni Poemate de Episcopis. *Valete, insolentes estote, Patriarchatus per sortes inter vos distribuite*, quæ a Socrate non abludunt plurimum. Denique, fidem testi affert Patriarchæ titulus hactenus inauditus, qui a celebrata Constantinopolitana Synodo passim legitur in Veterum monumentis, perinde atque nomen Archiepiscopi, quod olim Patriarchæ synonymum fuit, donec quinque præcipuis sedibus Patriarchæ titulus tandem affixus, discrimen Archiepiscoporum inter & Patriarcham relinqueret. Sic in Chalced. Synodo τοῦ Πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη: *Patriarchæ multos annos*; & infra, ἑπόμενοι τῷ ἁγιωτάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι: *obsequentes sanctissimo Archiepiscopo Leoni.* Evag. l. 2. c. 18. Similiter in Epistola Simeonis Stylitæ, *Domino meo Religiosissimo & Sanctissimo Basilio Archiepiscopo.* Qua de causa insignes illi tituli Patriarchæ & Archiepiscopi, qui nullo vestigio in Veterum monumentis ante quartum seculum reperiuntur, post illud frequenter legentium oculis incidunt, nisi antiquæ disciplinæ mutatio illo ipso seculo intervenisset? Hæc sunt fidei Socratis, de institutione Patriarcharum non fallacia pignora.

Itaque, Socrates abrupte patentis erroris non est postulandus,

ut solet a Clarissimis illis Henrico Valesio, Petro de Marca, aliisque innumeris, qui in Synodo Nicæna Patriarchas videre sibi videntur. Sed quod in Socratis phrasi paulo est obscurius, explicandum atque illustrandum. In ea sententia Socrates non versatus est, quod diserte a Constantinopolitanis Patribus Patriarchæ in ea dignitate atque autoritate sint constituti, qua præditi fuere, cum in veros Patriarchas electi, hoc est Archiepiscopos, Primates, Exarchas, uni Diœcesi multis Provinciis constitutæ, ideoque & pluribus Metropolitanis, imponebantur. Quid esset contraria atque maxime disjuncta dicere, si hoc non esset? Non igitur ea mens animo Socrati, vel Patriarchæ nomen additum fuisse illustrioribus Episcopis Concilio Constantinopolitano, vel constitutas esse Diœceses, quibus Imperatoriæ leges metas jamdudum posuerant. Aperit se Socrates, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίαις Ἐκκλησίαις μὴ ὑπερβαίνειν: *ne Episcopi præter suam Diœcesim Ecclesias extra eos limites invaderent*; τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο ἀδιαφόρως: *id quod prius propter persecutiones indiscriminatim contigebat.* Sic defuncto Constantio, qui Lucifero Carallorum in Sardinia Episcopo durum æternumque imperaverat exilium, Antiochiam Arianorum factionibus turbatam recta proficiscitur, ibique Paulinum designat Episcopum, Meletio nondum reverso. Sic Eusebius Samozatensis, peragrata Syria Palæstina, Presbyteros creavit, aliaque Ecclesiastica munia obivit. Cui consuetudini intercessum est c. 2. *Episcopi, qui extra Diœcesim sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos earum sunt, non accedant; neque confundant & permisceant Ecclesias, secundum regulas constitutas.* Hinc orta occasio constituendorum Patriarcharum. Ut enim cuique Provinciæ præficiebatur Metropolitanus jure Ecclesiastico, sic singulis Diœcesibus singulus Archiepiscopus Patriarcha-ve impositus est, qui pluribus Metropolitanis præfuit ut eorum Metropolitanus: cui exercendo constituendoque juri, confusa perturbataque olim disciplina intercesserat: atque mens hæc Socratis fuit. Non ergo decretum aliquod intelligit, quo nova in Ecclesia dignitas diserte crearetur: nil aliud sibi vult nisi quod ansa ex Constantinopolitano Canone data sit novæ huic instituendæ dignitati.

Quid autem rei esset, aut quas sibi partes sumeret Patriarchatus, indi-

indicatur a Chalcedonensi Synodo, Act. ultima, de Archiepiscopo Constantinopolitano, qui indicio & argumento est aliorum autoritatis. *Oportet Archiepiscopum Constantinopolitanum potestatem habere ordinandi Metropolitanos in Asiana & Pontica & Thracia Diœcesibus; hoc modo ut electi a Clericis cujuscunque Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinopolitano, ut penes eum sit, si velit, hunc qui electus est confirmare, repudiare-ve.* Ipsi vero Patriarchæ a Synodo consecrabantur, defuncto siquidem Patriarcha, multi Metropolitani qua Episcopi Provinciales ad Patriarchalem Ecclesiam conveniebant, tum funeris celebrandi, cum successoris in locum decessoris substituendi causa, quo & illius sepultura, & hujus ordinatio esset illustrior. Eo pertinet Novella Justiniani 131. Τὸν δὲ μακαριώτατον κατὰ καιρὸν Ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν ἰδίαν δικαιοδοσίαν τοὺς Ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Δακίας Μεδιτερρανέας καὶ Δακίας Ῥιπενσίας — καὶ παρ' αὐτοῦ τούτους χειροτονεῖσθαι, αὐτὸν δὲ ἀπὸ τῆς οἰκείας Συνόδου χειροτονεῖσθαι: *Beatissimus autem pro tempore Archiepiscopus Justinianeæ primæ Patriæ nostræ semper sub jurisdictione sua habeat Episcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, item Triballiæ ac Dardaniæ, & Mysiæ superioris & Pannoniæ, & ab ipso hi ordinentur, ipse vero a propria ordinetur Synodo.* Simul atque in defuncti vicem novus Patriarcha substitutus erat, Patriarchis Collegis electionem suam literis significabat. Hoc fecit Gregorius Magnus l. 1. Ep. 24. cui titulus hic affixus est, *Gregorius Joanni Episcopo Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiocheno a paribus.* Edita ad finem confessione fidei, sic claudit Epistolam, *quisquis ergo aliud sapit, anathema sit, quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo patre per Jesum Christum* &c. Quæ clausula ejusmodi Epistolis finem imposuisse de more videtur.

Consignata animis notione Patriarcharum, facilius expendemus atque æstimabimus, *An Petrus erexerit Sedem Patriarchalem Antiochenam?* Probando juri ac privilegio, solemne est aperire Tabulas, alioquin affirmanti non creditur. Sacros Annales evolventi accuratius non incidit institutio ulla Patriarchalis, quæ tamen materia in narrationem adeo fœlix erat, ut nihil supra. Præterea tanto a-

 more

more in commune bonum Ecclesiæ conspirabant Apostoli, ut Petrus nil Paulo momentosius agere sustinuerit, nisi consciis consentientibusque Collegis. Sufficiendo Matthiæ in vicem Judæ proditoris, creandisque Diaconis, Apostolorum intervenit autoritas; & ad constituendam Ecclesiam totius Orientis nobilissimam Apostoli nullam operam navarunt, si Baronio fides. *Dicendum est Petrum primum erexisse*, Petrum, veluti exercentem summum imperium in Ecclesia; non *Apostolos*, quasi suæ sortis non fuisset institutio Patriarchalis Sedis, aut Princeps Apostolorum ne de consilio quidem & sententia Collegas rogasset. Deinde, Patriarchalis dignitatis adjunctæ Antiochenæ Sedi ne vel levissima quidem umbra in sacra pagina cernitur. Subjectis præposteri zeli facibus, nonnulla Hierosolymitanæ Ecclesiæ membra triste incendium seditionis domesticæ fecerant, quo Antiochena Ecclesia misere conflagrabatur. Extinguendo igni itur ad fontes Hierosolymitanos, missis Legatis de componenda lite. Atqui Patriarchalis Ecclesia, ex conciliatis a Petro privilegiis, consuli potius quam consulere debuit. Sui saltem juris erat, apud se indicere Synodum, sopiendo ubi ortum erat de ceremoniis usurpandis dissidio.

Animo percipiendum, & memoria custodiendum, in eo consistere Patriarchatus οὐσίαν atque formam, quod Metropolitanorum Metropolitanum agat, ut electos a Clero cujuscunque Metropolis, quæ sub ejus ditione continebatur, Episcopos ad se relatos *posset confirmare vel repudiare*. Id porro juris a Petro non obtinuisse Antiochenum Episcopum argumento est insignis ille locus Epiphanii, hæres. 70. n. 10. 822. *ἅμα δὲ καὶ πεντεκαίδεκα Ἐπίσκοποι γεγόνασιν ἐκ περιτομῆς καὶ ἐχρῆν ἰοτὲ τῶν Ἐπισκόπων ἐκ περιτομῆς ὄντων ἐν Ἱερουσαλὴμ καθισταθέντων τὸν πάντα κόσμον ἐν τοῖς συνέπεσθαι*: *Porro, post constitutionem illam quindecim ex circumcisione Episcopi fuerunt, idque Hierosolymis, quorum autoritatem omnis Orbis sequi debuit*: proindeque & Antiochia, quæ, opinor, in Orbe fuit. Egregiam vero Patriarchalem Sedem Ecclesiæ quæ nondum ad Patriarchales honores ascenderat subditam! Sed & Innocentius Papa ad Alexandrum Episcopum Antiochenum Epist. 18. aperte ostendit, Antiochenæ Sedi delatam datamque a Petro non fuisse Patriarchalem dignitatem, sed a Nicæna Synodo. *Revolventes itaque autoritatem Nicanæ Synodi, quæ unam omnium*

omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, *qua censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus ne dixerim Sacerdotibus esse necessarium custodire, qua super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam noscimus constitutum.* In cunctis editionibus legitur *constitutum.* Sed Viri Eruditissimi Petrus de Marca Parisiensis Præsul, & Henricus Valesius Observationum in Socratem c. 12. p. 194. antiqua pervulgataque lectione repudiata, contendunt scribendum esse constitutam. *Fateor* (verba sunt Valesii) *in cunctis editionibus legi,* constitutum; *sed si Grammaticorum regulas consuluisses, docuissent te profecto legendum esse*, constitutam. *Alioqui quo referrentur voces illæ prædictam Ecclesiam, nisi forte Ecclesiam communis generis esse censes.* Sic nescio quid viro ut plurimum moroso libuit jocari in Joannem Launoium Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimum. Launoius quidem, nosque una cum Launoio, Ecclesiam fœminini generis esse scimus & tenemus : sed etiam novimus *constitutum* non ad Ecclesiam sed ad Synodi autoritatem esse referendum; itaque freti legibus & communis judicii & Grammaticæ, perinde atque omnium editionum autoritate, *constitutum* retinendum esse censemus, vel jocis Valesianis invitis. *Qua*, autoritate nimirum Nicænæ Synodi, cujus Innocentius mentem explicabat atque decreta; *Qua super Diœcesim prædictam Ecclesiam esse non super Provinciam* noscimus constitutum. Ut Patriarchalem qua Sedes Antiochena induta fuit autoritatem a Nicænis Decretis repetat Innocentius; quæ & Nilum, & Balsamonem, aliosque bene multos pervasit opinio. Falsum tamen a Græcis & Innocentio creditum est : Patres quippe Nicæni dignitati Antiochenæ Ecclesiæ nil novi addidere, sed illam, qua jam pollebat ex consuetudine, suo Decreto comprobarunt. Hanc Innocentio fuisse mentem eximie declarant quæ de autoritate Nicenæ Synodi prædicat, & præcipue verba hæc quæ etiam atque etiam sunt observanda, *censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire.* Quæ legem continent quam verbis sequentibus explicat : quippe *constitutum* fuit ut Antiochena Ecclesia non Provinciæ sed Diœcesi imponeretur.

Hic scrupulum mihi eximant doctissimi illi viri, qui una cum purpuratis Baronio ac Bellarmino censent, Antiochenæ edi Patriarchatum

triarchatum a Petro fuisse collatum. Quamobrem, præ Antiochena Sede ab Apostolorum Principe & condita & regnata primas tulerit Alexandrina, quæ in Ecclesiasticis multo inferior esse debuit. Natu quippe major Ecclesia Antiochena, editis Oraculis non una vice personuit. Ab insignioribus Apostolis viva voce imbuta est Christi Religione, Petro scilicet, Paulo, Barnaba. Quid ad hanc gloriam addi potuit? debuit itaque habita ratione privilegiorum Alexandrinæ Sedi Antiochena præferri, quam tamen eminuit Alexandrina. Pace Majestatis Romanæ dixerimus, dignitate Ecclesiastica Sedes Antiochena Romanam ipsam superat. Quocirca, Anno Dom. 1238 Præsul Antiochenus sese Romano antepofuit, teste Matthæo Paris in vita Henrici III. p. 465. *Ad tantam ausus est proterviam impetu temerario prorumpere Antiochenus Archiepiscopus, consentiente Germano Constantinopolitano Archiepiscopo Græcorum Advocato, & vices agens Antipapa, quod Dominum Papam cum tota sua Romana Ecclesia & Curia inani autoritate excommunicavit. Et blasphemando se suamque Ecclesiam solemniter prædicando, tempore & dignitate Domino Papa & Romana Ecclesia præposuit, & esse & fuiße Romana Ecclesia excellentiorem, eo quod Beatus Petrus Apostolus primo Ecclesiam Antiochenam cum summo honore rexerat per sexennium; ibidemque cum summa qua decuit receptus reverentia, & similiter honorifice incathedratus. Romæ vero fuerit multis injuriis & convitiis multipliciter lacessitus, tandemque sub Imperatore Nerone passus.* Sed missa Sede Romana, profecto plurimam admirationem movet quod Patriarchatus Alexandrinus Antiocheno prælatus sit, concesso Petrum instituisse *Patriarchalem Sedem Antiochenam.* Hæc Antiocheni Præsulis imminutio capitis Petro immerenti offerret injuriam, quippe quæ cum ejus institutione pugnaret, abdicata Sedi Antiochenæ dignitate quam ille adjunxerat. Decresceret ut admiratio strenuam Bellarminus dedit operam, l. 1. de Pont. Rom. c. 24. *Ratio ordinis est; quia cum omnes tres sint Sedes Petri, Roma scilicet, Alexandria, & Antiochia, tamen Romam per se usque ad mortem administravit, Alexandriam per Marcum Evangelistam, Antiochiam per Evodium. Sicut ergo major est Petrus Apostolus Marco Evangelista, & Marcus Evangelista Evodio, qui neque Evangelista fuit; ita quoque Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam, autoritate & dignitate*

tate superat. Miram sane Bellarminianam phrasim, *Petrus Alexandrinam Ecclesiam administravit per Marcum, & Antiochenam per Evodium.* Ergo-ne Petrus, tres Episcopatus simul gerebat, quibus regendis Marci & Evodii usus est ministerio? Sed id Purpurato condonemus, perinde atque lepidum hoc figmentum, *sola illa Ecclesia semper habita sunt Patriarchales & primæ quas Petrus fundaverat*, quo nil ineptius quicquam potuit alicui venire in mentem; cum Constantinopolitana Ecclesia, quæ a Petro condi non potuit, Antiochenam Alexandrinamque dignitate superaverit. Hæc ut mittamus, profecto ex invento Bellarminiano, Romana Sedes debuit assurgere Alexandrinæ, quia Marcus Evangelista Lino Clementeque Episcopis longe nobilior: debuit Ephesinæ, cui, ut aiunt, Petro rebus humanis exempto, Joannes præfuit; debuit Hierosolymitanæ, quæ super omnes Ecclesias antiquitate, miraculis, Martyribus, Spiritus donis excellebat, & in gloria erat.

Quid igitur causæ est aut rationis, cur Antiochiæ prælata fuerit Alexandria? Si nobis veritatem tueri & retinere sententia est, causa dignitatis Ecclesiasticæ non est constituenda in Petri voluntate de Patriarcharum privilegiis nil decernentis; sed adscribenda est politicæ urbium majestati, quæ luce sua Ecclesias apud se fundatas collustrans, gradus Ecclesiasticæ dignitati sublimiores fecit; idcirco prælata Antiochenæ Sedi illa quæ fuit Alexandriæ, quod Alexandria urbs erat Antiochia & antiquior & illustrior; qua de re observabilis est insignis ille Josephi locus de Bello l. 5. c. 14. 903. Εἰς δὲ τὴν Ἀλεξανδρείαν ἀφιγμένῳ τῷ Οὐεσπασιανῷ τὰ ἀπὸ τῆς Ῥώμης εὐαγγέλια ἧκε, καὶ πρέσβεις ἐκ πάσης τῆς ἰδίας οἰκουμένης συνηδόμενοι· μεγίστη οὖσα μετὰ τὴν Ῥώμην ἡ πόλις στενοτέρα τοῦ πλήθους ἠλέγχετο. *Cum autem Vespasianus Alexandriam venisset, nuntia illi Roma venerunt,* (quam Gelenianæ versionem prætulerim, *gesta ei Roma nunciata sunt*) *& Legati ex toto Orbe gratulantes affuerunt; cumque maxima post Romam civitas esset, angustior multitudini videbatur.*

Exemplis autoritatibusque comprobatur atque illustratur, dignitatem urbium politicam causam esse eminentiæ Ecclesiasticæ, non vero *Petri aliquam institutionem.* Subdita est, cordatiorum omnium consensu, Clementis ad Jacobum Epistola, audiri tamen potest de opinione quam imbiberat. *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines eorum atque primi legis Doctores erant, Episcoporum*

coporum Primates poni, vel Patriarcha, qui reliquorum Episcoporum judicia & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitarent. Non alia mens Cypriano fuit, cujus verba eo magis advertenda, quo typho emergente annis major fuerit. *Plane quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma praecedere, illic majora & graviora commisit* Novatus: Epist. 49. Magnitudine quidem, non Petri jussis, Carthagini Roma præstans principalem exercebat Ecclesiam, *quia in urbe principali constituta*, amplissimo Rigaltio teste. Taurinenses Patres, similiter atque antiquiores fuerant, commotos fuisse legimus. *Illud deinceps inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de Primatus honore apud nos certabant, a sancta Synodo definitum est, ut qui ex eis comprobarit suam civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipse juxta preceptum Canonum ordinationum habeat potestatem.* Nullo fuisset usui sive Arelatensi, sive Viennensi Episcopo, probare suam civitatem esse Metropolim nisi id in morem Ecclesiæ fuisse perductum constitisset, ut dignitates Ecclesiasticæ effigiem Politicarum complecterentur, privilegia majora illis Episcopis concederentur, qui in urbe illustriori munus exercebant suum. Eadem & sententia fuit Leoni Pontifici nono Epist. 4. Debere *alios aliis praferri eo quod primæ civitates & magis nominatas secundum potentiam & leges seculi retineant.* Et cui non dictus Antiochenus Canon. 9. Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν Ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ Μητροπόλει προεστῶτα Ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας διὰ τὸ ἐν τῇ Μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. Ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι. *Episcopus per singulas Provincias scire oportet, eum Episcopum qui Metropoli præsidet, etiam totius Provinciæ curam agere, quia ad Metropolim undique concurrunt omnes quibus est aliquod negotium: itaque visum est honore etiam præ reliquis affici debere.* Ad brevia ut redeam, disertissima sunt Patrum Chalcedonensium verba c. 28: Εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασιν. *Bene judicantes eam urbem, quæ Regno & Senatu decoratur, iisdemque fruitur honoris prærogativis, cum veteri Regia Roma, etiam in negotiis Ecclesiasticis, ad ejus instar magni fieri.* Si jura Patriarchalia in Petri institutionem re-

cum-

cumbere Patres Chalcedonenses existimassent, næ ludibrium omnibus debuissent, quod paribus privilegiis Constantinopolitanam Sedem ornassent, quibus Romana insignis erat. Quid enim tam dissimile, tam disjunctum, tam dispar fuit, quam institutio Apostolica, & Regia amplitudo urbis? Ut si Roma eo sublimes honoris gradus adepta est, quod Petrus caput totius orbis Ecclesiarum illam esse voluerit, nil magis absurdum aut absonum sit, quam Decretum Chalcedonense, quo paria novæ Romæ privilegia decernuntur, quia & Imperium, & Senatum, perinde atque vetus illa meruerat. Hoc sane Canone apparet & promptum est, Synodum in ea fuisse sententia, privilegiorum Ecclesiasticorum Sedibus concessorum fundamenta in dignitate politica urbium collocare. Hinc Patriarchatuum gradus & discrimina. Urbi totius Orbis potentissimæ Romæ primus ordine Patriarchatus adjunctus est: Romam excipiebat Alexandria: secundum itaque gradum inter Patriarchas obtinuit. Deinde Antiochia dignitate Alexandriæ propinqua suum & decus meruit. Posteaquam vero sublime & Imperii & Senatus fastigium Constantinopolis adepta est, tunc ex pervulgata disciplina, de gradu suæ dignitatis dimotæ sunt Sedes Alexandrina & Antiochena; nec amplius illa secundum locum, sed tertium, nec hæc tertium, sed quartum obtinuit, ambas superemineente Constantinopolitana Ecclesia.

Nondum res confecta est: existimant quippe Viri Clarissimi, in primariis urbibus Patriarchas ab Apostolis fuisse constitutos, condendæ sacræ Hierarchiæ. Quam sententiam affixere animo illustrissimus Parisiensis Præsul Petrus de Marca, Schelstratus, Antonius Pagy, aliique complures de re literaria bene meriti. De concordia sacerdotii & imperii l. 4. c. 1. n. 13. Marca disertis verbis docuit, *cum in imperio Provinciæ contributa essent cuidam civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magistratus causas judicabant, & propterea populi frequentius conveniebant, quod singulari quodam jure cæteræ civitates a matrice dependerent, Apostoli itidem Episcopos in civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in Metropoli seu urbe primaria.* Cui probandæ assertioni nullum argumentum affertur: refellendæ vero rationes plurimæ colligi possunt. Ex Scriptura quidem apparet atque extat, Apostolos præcipue ampliores

 civi-

civitates peragrasse, majorem ut fructum ex prædicato Evangelio decerperent. Condita porro alicubi Ecclesia, ejus curam Episcoporum collegio credidisse. Idcirco Paulus Tito dabat in mandatis, ut in Creta *constitueret Presbyteros oppidatim*; de creatione Episcoporum in Patriarchas, aut Metropolitanos, ne γρῦ quidem. Imo eorum munus Apostolico præcepto non una consentit, cum Patriarchæ, aut Metropolitani, oppidatim creari non possent. Præterea, si ab Apostolis instituti sunt Patriarchæ; qua de causa id nominis nullo vestigio reperitur in antiquis monumentis, ante Synodum Constantinopolitanam, Anno 38. celebratam? Nec enim par videtur, neque sit consentaneum, tantum munus tamque insigne nomine proprio non donari, vitandæ perturbationi rerum atque confusioni, in quam indiscretis nominibus necessario inciditur. Rebus quidem distinguendis statim non addi nomina ex quo exortæ sunt, nihil est miri; ut vero annos prope tercentum amplissimum Patriarchæ munus in Ecclesia durarit absque proprio discretoque nomine; nulla certe fingi ratio potest, cum & sapientia & consuetudo mortalium semper laboraverint de nova rebus novis imponenda appellatione, absque qua sensus animi aperiri nequit, aut rerum ordo conservari.

Ut nominis, sic rei per Patriarchæ vocem designatæ, nulla in tanto annorum spatio indicia reperiuntur. Hæc fuit Patriarcharum potestas, ut electos Episcopos possent *respuere vel confirmare*. Ipsi vero, qui erant αὐτοκέφαλοι, a sua Synodo ordinabantur. Quod enim circa Metropolitanos, illud etiam dubio procul circa Patriarchas Metropolitanorum Metropolitanos, observatum fuit. Moris erat labente quarto seculo, ut Episcopi se ad Metropolitanum conferrent suscipiendæ ordinationi, quod patet ex Synesii Epistola 67. p. 210. Siderius in Palæbiscæ Episcopum creatus fuerat, sed illegitime, & contra jura Ecclesiastica. Εἰ μήτε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κάθέστη, μήτε παρὰ τριῶν ἐνθάδε, καὶ εἰ τὸ σύνθημα τῆς χειροτονίας ἐκεῖθεν ἐδέδοτο: *Cum neque sit Alexandriæ constitutus, neque a tribus hic, ut maxime eligendi, illinc signum datum fuerit.* Solus quippe Philo Cyrenensis ausus erat *Collegam suum hunc Episcopum* pronunciare. Similiter Patriarchæ a Synodo creabantur, ut ex Novella Justiniani 131. constat. *Beatissimus autem pro tempore Archiepiscopus Justinianeæ*

nianea prima ſemper ſub juriſdictione ſua habeat Epiſcopos Provinciarum Daciæ & ab ipſo hi ordinentur, ipſe vero a propria ordinetur Synodo. &c. Nec mirum id honoris delatum fuiſſe Patriarchis, quod Metropolitani erant adepti. De Athanaſii in Epiſcopum Alexandrinum creatione ſcripto hæc prodidit Epiphanius. Καὶ ἐκ πανταχόθεν συνεχροτήθη Ὀρθοδόξων Σύνοδος. Καὶ οὕτως κατάστασις γέγονεν αὐτοῦ. *Tum undique coacto Orthodoxorum Concilio in Alexandrina Sede conſtituitur.* Oro atque obſecro Antiquitatis Patriarchalis patronos, ut a monumentis Eccleſiaſticis, quæ ab Apoſtolico ævo ad Nicænam Synodum ſuperſunt, exemplum aliquod petant Metropolitani ad Patriarcham accedentis, conſtituendæ ejus ordinationi. Principio rerum Epiſcopum Romanum Patriarcham non exercuiſſe eo apparet, quod nec a Synodo, nec ab ullo Metropolitano ordinaretur, quod tamen eſt inter requiſita Patriarchalis dignitatis; ſed ab Oſtienſi Epiſcopo, ut docemur ex Breviculo Auguſtini collatione 3. diei c. 5. p. 584. Aliud habet *Eccleſiæ Cathol. conſuetudo, ut non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent, ſicut nec Romana Eccleſia ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus.* Fingemus-ne animo atque cogitatione, ignobili huic ac nullis titulis atque honoribus fulgenti Epiſcopo traditam fuiſſe provinciam ordinandi Epiſcopum Romanum, ſi principio rerum a Petro ad dignitatem Patriarchalem fuiſſet evectus. Privilegium Oſtienſis Epiſcopi de ordinando Pontifice Rom. vetera ſunt priſcæ ſimplicitatis Romanæ, a faſtigio Patriarchali multum alienæ, indicia atque rudera. Ordinando Patriarchæ a principe Apoſtolorum conſtituto inſignis Metropolitanus deſignari debuit.

Epiph. Hær. 68. n. 6.

Cæterum, non minima obſervatione dignum eſt, Siderium, a ſolo Philone in throno Epiſcopali collocatum, a magno illo Athanaſio in loco atque numero Epiſcoporum non modo fuiſſe habitum, ſed etiam ut virum majoribus regendis idoneum Ptolemaïdis Eccleſiæ fuiſſe Rectorem impoſitum, *ſed illum ſenectus ad Paganas Eccleſias reduxit.* Quod magnus ille Athanaſius facere nec debuit nec potuit, ſi Patriarchæ ab Apoſtolis inſtituti ſunt; cum delata Patriarchis poteſtas fuerit creandorum Epiſcoporum, cujus ordinatio nulla erat abſque Metropolitani ſuffragio. Itaque ad numerum

Episcoporum Siderium adscripsisset Athanasius, quem ex illo excludebant Apostoli. Ne ergo prævaricationis tam odiosæ damnemus Athanasium, fatendum necessario est, Athanasium in ea fuisse sententia, jura Metropolitana non ab Apostolis, sed a Patrum institutis ortum ducere.

Ab Erudito Emmanuele Schelstrato, de Metropolitanis scripto proditum est, *quod in Metropolitani potestate situm fuerit, in mores ac opiniones Episcoporum synodice inquirere, & singulos de gravioribus criminibus convictos admonere, reprehendere, & ab aliorum Episcoporum communione arcere.* Concil. Antio. c. 3. rest. c. 4. c. 14. n. 5. 462. Cum eadem potestas fuerit Patriarchæ in Metropolitanos, ac Metropolitanis in Episcopos, si Patriarchale munus ab Apostolis institutum est, quænam est crassa illa Cypriani ignorantia, alta voce dicentis: *Manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus?* Ep. 52. p. 72. & in Concilio de Hæret. Bapt. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.* An quilibet Episcopus libertatis & potestatis suæ habet arbitrium, si pendeat a suo Metropolitano, cujus in potestate situm est, Præsules sibi subditos ab aliorum Episcoporum communione arcere, eorumque judicia rescindere? Annon Patriarcha Metropolitanum judicare & potest, & debet? Eo loci quo nunc res Hierarchicæ sunt, insaniret & fureret, qui ad mentem Cypriani loqueretur.

Veniendum nunc est ad Nicænum Canonem sextum, de quo multæ lites concitæ. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει. Ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ Πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς Ἐκκλησίαις. Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης Μητροπολίτου γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. Quæ verba Dionysius Exiguus ita Latine vertit: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam,*

Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romanæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitani sententiam fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Quibus suppeditatur argumentum non vanum in viros eruditos, qui Apostolos & Metropolitanæ & Patriarchalis dignitatis autores imaginantur. Si potestatem Metropolitanorum ab Apostolis esse institutam Patribus Nicænis persuasum fuit, utique dixissent: *Decreta Apostolorum serventur per Ægyptum.* Laudata Apostolica institutione accessisset magnum pondus ad Canonem; sed & scita Apostolica, moresque antiqui, multum inter se differunt, cum non omnes antiqui mores ad Decreta Apostolica adscribi possint; non lactis & mellis addita Baptismo concordia; non ex die Baptismi lavacri quotidiani per totam hebdomadam abstinentia; non ritus præbendi pueris Eucharistiam; non disciplina hæc nefas existimans *de geniculis* adorare diebus Dominicis, quæ *antiquis consuetudinibus* inseri nemo negabit, nisi Veterum prorsus ignarus atque insolens. Nec facile meum in animum inducam, Patres Nicænos, si de adorando Christo, aut ministrando in nomine Spiritus Baptismate, aut usurpando vino in Eucharistia, decretum adversus Heterodoxos condidissent, similem phrasim fuisse adhibituros; *Antiqui mores serventur.* Pondere Apostolicæ Divinæque Traditionis male sententes obruissent, qua autoritate nil majus est ad flectendos animos, vimque præscriptis Synodorum incutiendam.

Cæterum, ex laudato Canone ingens ad dicendum materia prosternitur, cujus tractatione Historia non minimum illustratur, erroresque non pauci evelluntur animo. Ac primum quæritur, quænam fuerit causa condendi Canonis? Eruditus Valesius pro dubio & incerto habet, quod a Launoio accuratissime observatum fuit, temeritatem Meletii causam huic Canoni præbuisse. *Sed Launoius* (verba sunt Valesii) *ante omnia probare debuerat hanc fuisse causam condendi Canonis. Cujus autem rei nullum affert testimonium, sed sibi id affirmanti credi postulat. At nos in his præsertim rebus sine teste nihil credimus.* c. 8. Observ. in Socr. p. 193. Profecto, nisi altercantium

inter

inter se hominum ritu, ea mens Valesio fuisset doctissimo ejus Adversario contradicendi, in dubitationem non revocasset rem certissimam, quæque nunc in confesso est apud Antiquitatis peritos. Occasione Ægyptiorum Canonem præcipue conditum fuisse, ipse Canon testis est, cum sic incipiat: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat*; quibus indicat violatam fuisse consuetudinem. Frustra alioquin tam accurata & Provinciarum mentio, & servandi veteris ritus præscriptio, si in hisce regionibus ab antiqua disciplina non fuisset discitum. Quænam vero orta sit seditio in illis regionibus, quæ sub Episcopi Alexandrini ditione tenebantur, docemur tum ab Athanasio, cum ab Epiphanio. Athanasius ad Constant. Apologia T. I. p. 777. *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum multis convictum criminibus, & in primis quod Idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit.* Ἀλλὰ Μελέτιος οὐ πρὸς ἑτέραν Σύνοδον κατέφυγεν, οὐδὲ ἐσπούδασεν ἀπολογήσασθαι τοῖς μετ' αὐτὸν· σχίσμα δὲ πεποίηκε. *Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit.* Meletio multo æquior Epiphanius, de schismate Meletiano una cum Athanasio consentit, Hær. 68. p. 717. σχίσμα ἐποίησεν, οὐ μὴν μεθηλλαγμένος τὴν πίστιν γεγένηται: *Hic Ecclesiam schismate discidit, ita tamen ut fidem nulla ex parte mutaret.* Usurpata porro autoritate Episcopi Alexandrini καθ' ἕκαστον τόπον διερχόμενος καθίστα Κληρικοὺς Ἐπισκόπους τε, καὶ Πρεσβυτέρους καὶ Διακόνους, καὶ ᾠκοδόμει Ἐκκλησίας ἰδίας. *Quamcunque regionem locumque peragraret, ibi Clericos Episcopos, Presbyteros, Diaconos instituit, ac privatas Ecclesias fundavit.* Ad hæc digitum intendere Nicænos Patres, luce clarius est, cum magna illa perturbatio Ecclesiarum, Episcopo Alexandrino subditarum, Nicæno Concilio anteverterit, cui extinguendæ Canon sextus conditus est. Quæ si Valesius attendisset, non flagitasset argumenta, quibus ostenderetur, *temeritatem Meletii* Canonis condendi causam fuisse. Magnam satis rationum copiam loca hæc Erudito Viro suppeditassent, non secus ac Nicænorum Patrum ad Fratres per Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim constitutos Epistola, quam Historiæ suæ libro I. Theodoretus inseruit. Quoniam *Meletii vero &*

eorum

eorum qui ab illo ordinati sunt adhuc reliqua erat contumacia; de his etiam quid statuerit Synodus vobis significamus, fratres carissimi. — Qui a Meletio constituti sunt, his quidem nulla facultas suppetat, quos visum fuerit eligendi, aut nomen cujuspiam suggerendi, aut omnino quidquam gerendi χωρὶς τῆς γνώμης τῶν τῆς καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας Ἐπισκόπων τῶν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου: *sine consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ qui Alexandro subjecti sunt.*

Pertractæ quæstioni alia connexa, atque apta est; utrum fax perturbationis, & seditionis ille Meletius, qui condendo Canoni Nicæno ansam præbuit, Idolis Sacrificia perpetrarit? Hoc affirmat Athanasius, gravissimus ille Pater cujus verba nuper exscripsimus, tantique testis autoritas apud me plurimum valet. Ἐπὶ πολλαῖς ἐλεγχθέντα παρανομίαις, καὶ θυσίᾳ: *multis convictum criminibus, & perpetrato Idolis Sacrificio.* Quid disertius? Athanasium secutus est Socrates l. 1. c. 6. Verumtamen nonnullas de Meletii Idololatria dubitandi causas suggerunt Theodoretus, Epiphanius, Nicæna Synodus. Theodoretus; ἐπὶ τίσι παρανομίαις διελεγχθεὶς: *postea vero quorundam criminum convictus Meletius*, quæ ex Athanasio exscripta sunt, sed sequentia fuere a Theodoreto prætermissa, καὶ θυσίᾳ, quasi de Sacrificio Idolis perpetrato, non constitisset. Vitiosissima porro hic est Christophorsoniana Versio, *ob quasdam nefarias opiniones.* παρανομία non ad opiniones, sed ad facta refertur, & Theodoretus pugnam secum committeret; quippe qui de sana fide Meletio Testimonium perhibuerit: *non nova hæresis principatum gerens, sed eadem quidem cum Ecclesia sentiens, sed ambitionis & imperandi cupiditatis morbo laborans.* Hær. Fab. l. 4. Epiphanius schisma quidem objicit Meletio, cæterum de ejus Idololatria ne verbum ullum habet. Sed quod multa observatione dignissimum, Nicænorum Epistola de Meletii Idololatria muta est. *De Meletio vero ob pristinam ejus contumaciam, & ob temerarium ac praeceps hominis ingenium, aliter placuit decernere, ne potestas autoritasque ulla tribuatur homini qui easdem rursus turbas excitare possit.* En contumaciam, superbiamque, non Sacrificium Dæmonibus oblatum, cujus sceleris reum Meletium si Patres Nicæni existimassent, ei vel nomen Episcopi abdicassent, quod tamen servatum est: ψιλὸν δὲ τὸ ὄνομα τῆς τιμῆς κεκτῆσθαι: *nudum autem honoris sui nomen retineat.* Quænam esset ista agendi ratio?

tio? Nicæni Patres disciplinæ severitatem, in Clericos, humana infirmitate lapsos, adhibuerunt. *Quicunque ex eis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis qui promoverunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico Canoni non præjudicat, ii enim cogniti deponuntur.* c. 10. & severos vultus exuissent parcendo Meletio, notissimo perturbatori Ecclesiæ, si ad ejus schisma crimen accessisset Idololatriæ; & nefario homini dignitatis Episcopalis nomen reliquissent! Hæc sunt quæ de Meletiana Idololatria me suspensum detinent; ut non impossibile sit Athanasium famæ nimis faciles aures hic præbuisse. Diversam esse hanc ab illa Doctorum sententiam certe & certo scio: imo Petavius æstu animi abreptus, *certissimum est*, inquit, *a Meletiano aliquo Scriptore falsa Meletii Acta conscripta fuisse, in quibus turpissimam hominis infamiam, & execrabilia facinora dissimulare conatus est: in ea cum imprudens incidisset Epiphanius, veram ac sinceram illam esse narrationem frustra credidit.* Animadv. in Epiph. p. 274. An etiam in subdita Meletii Acta inciderunt & Nicæni Patres, qui nec Meletium Idololatriæ postulant, nec titulo Episcopali exuunt?

Hac ex quæstione in gravissimum nodum incidimus; an in Canone Nicæno sexto agatur de Patriarchis? Quæ quæstio bifariam intelligi potest: ut Canone illo vel constituti sint Patriarchæ, vel solum confirmati. Per animos recentiorum Græcorum ea pervasit opinio, quod Nicæno hoc Canone instituta sit Patriarcharum dignitas: ita Nilus de primatu p. 57. Ἀκούεις ὅπως τοὺς ἀρχαίους τῶν Πατέρων θεσμοὺς ὁ Κανὼν στέργειν δεῖται, δι' ὧν ταῖς τῶν Ἐκκλησιῶν ἑκάσταις τὰ πρεσβεῖα ἐνείμαντο: *audis quo pacto veterum Patrum decreta Canon amplectenda esse censeat, qui singulis Ecclesiis prærogativas tribuerunt.* Hoc addit Nilus ex præjudicio, καὶ ὅτι τῷ Ῥώμης Ἐπισκόπῳ τοῦτο δέδοται, δηλαδὴ τῶν Ἑσπερίων κρατεῖν: *Romanoque Episcopo hoc datum est, videlicet, ut Occidentalibus præsit* In eadem cymba navigat Balsamo ὁ παρὼν Κανὼν καὶ ἕβδομος διορίζονται τοὺς τέσσαρας Πατριάρχας. Qua sententia non abludit illa Innocentii Epistola ad Alexandrum Antiochenum, sed falluntur animi. Nil certe novi Metropolitanis a Patribus Nicænis fuit additum; vetera confirmant, non nova contribuunt: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω: *mos antiquus obtineat.* Quis unquam phrasim hanc usurpavit, rei novæ sanciendæ? Siccine loquuti sunt Constantinopolitani, adjungendis novæ Romæ novis privilegiis?

gils? Ore rotundo sciscunt, *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem, propter quod sit nova Roma.* Nihil est quidem quod Valesius non tentet suis argutiis, ut vincat aliquid contributum fuisse Alexandrino Metropolitano ex decreto Nicæno. Objicit quippe Launoio, qui nil Alexandrino Pontifici contributum a Nicæna Synodo verissime contenderat; *idem est igitur ac si diceres cum Senatus Parisiensis possessionem alicujus fundi aut juris uni ex litigantibus adjudicat, nihil illi tribuere.* c. 7. Atqui, Valesii, Supremæ Curiæ edicta litigantium uni proprie nil tribuunt. Non jus, quod ad victorem pertinebat; non possessionem quam tenebat, quod ergo habebat solum confirmant. Missis igitur argutiis, certum est Alexandrino Episcopo nullum autoritatis incrementum a Nicæna Synodo fuisse collatum, sed tantum veterem morem fuisse confirmatum.

Cæterum, habet aliquid quæstionis, an jus Patriarchale a Patribus Nicænis fuerit agnitum? Hoc velint Petrus de Marca, Valesius, Antonius Pagy, Schelstratus, imo ipse Beveregius: quam longissime, nostro judicio, abhorrentem a vero opinionem sequentibus argumentis impugnamus. Patriarchæ, fatentibus Clarissimis Viris quibus concurrimus, illi sunt qui Metropolitanos exercentes Metropolitanorum, habent & sibi subjectas plurimas Metropolitanas Provincias. Hac ex descriptione, si Nicenæ Synodi temporibus nulli erant in Alexandrini Episcopi ditione Metropolitani quibus præesset, utique nil nisi Metropolitanum agebat. Nullos vero Nicænis temporibus apud Ægyptum fuisse Metropolitanos eo apparet, quod creandorum & Presbyterorum, & Episcoporum omnium facultas soli Episcopo Alexandrino competeret. Quod quidem præcise negatum a Valesio, hisce testibus confirmamus. Epiphanius Hær. 68. n. 1. Τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπισκόπων πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαρεώτου τε καὶ Λιβύης, Ἀμμωνιακῆς, Μαρεώτιδος τε καὶ Πενταπόλεως ἔχειν τὴν Ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν: *hic enim mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totum Ægyptum ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim Ecclesiastica negotia administrent.* Sic legitur in Epiphanio, a Petavio eruditis notis illustrato: Sed, ni fallor animi, emendandus irrepsit error. Quid sibi vult geminata Mareotis? Mareotis, inquit, *oppidum est Libyæ Nomidis, at ὁ Μαρεώτης Provincia*

cia ad mariam, sive Mareotidem lacum. Recte, si urbes recenseret Epiphanius: sed Provincias, sive Præfecturas, non civitates numero comprehendit. Itaque legendum potius Μαρμαρίδας, Straboni non incognitæ. *Quanquam & ibi loca quædam intercidunt siti vasta, qualia circa Syrtes & Marmaridas.* l. 17. Hæc porro Alexandrini Episcopi autoritas, omnem Metropolitanorum dignitatem extinguebat. Si in suo Episcopatu moris erat Alexandrino Pontifici, ubique terrarum Ecclesiastica negotia administrare, igitur & Episcopos Presbyterosque creare, & ordinare; quæ ad præcipuam functionum Ecclesiasticarum partem pertinent. Curandæ vero tantæ Provinciæ sibi impositæ, Præsul Alexandrinus suffectis utebatur: quibus Meletius veluti præcipuus, ab Epiphanio insertus est: quippe qui *cæteris Ægypti Episcopis antecellens, secundum a Petro dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor, sed eidem tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.* Quibus constat, nullum Alexandrino Præsuli subditum fuisse Metropolitanum. An Metropolitanus coadjutor audit, & ἀντιλήψεως χάριν institutus est? Præterea, Alexandrino Metropolitano jus creandorum Episcoporum Presbyterorum, & Diaconorum competere, ex contumacia Meletiana satis ostenditur, cum in manus Alexandrini Episcopi invadens, ubique terrarum Clericos ordinaret. καὶ καθ' ἕκαστον τόπον διερχόμενος καθίστα Κληρικοὺς Ἐπισκόπους τε καὶ Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους: *quemcunque locum peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos instituit.* Denique, hac potestate præditum fuisse Pontificem Alexandrinum vincit Epistola Nicænorum Synodica, de Clericis a Meletio ordinatis. *Quod si quempiam eorum qui in Ecclesia censentur, diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum atque honorem provehantur ii qui nuper adsciti sunt, modo populus eos eligat:* συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Καθολικῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου: *suffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante, Alexandrinæ urbis Episcopo.* Theodor. l. 1. c. 9. Jam vero auditum est Meletium, in quamcunque regionem locum-ve peragraret, Episcopos, Presbyteros, Diaconos ordinasse, quorum dubio procul confirmatio pertinebat ad Episcopos, Metropolitanos-ve sub quorum ditione degebant, si tunc in regionibus Alexandrino præsuli subditis Metropolitani extitissent, quibus jus Clericos creandi competeret absque

ejus

ejus consensu. Quod ergo requiritur suffragium Alexandrini Episcopi, confirmandis quibuscunque Clericis ordinatis a Meletio, argumento est ad Præsulem Alexandrinum omnes quorumvis Clericorum, Diaconorum, Presbyterorum, Episcoporum ordinationes pertinere. Quibus immani lapsu ruit Patriarchalis Episcopi Alexandrini dignitas, cujus fundamentum in Metropolitanis subditis collocatur. Nulli vero animo atque cogitatione fingi possunt Metropolitani in Ægypto, Thebaide, Pentapoli, cum absque Alexandrini Pontificis consensu, illarum regionum Episcopi nulla Clericos ordinandi facultate pollerent.

Consuetudo quæ 4°. labente seculo viguit, indicio est nullam Patriarcharum agitatam esse mentionem a Nicænis Patribus. Apparet atque extat Patriarchæ inditam fuisse autoritatem congregandæ Synodi Dioecesanæ. *Quando ob res graviores Concilium erat convocandum* (Emmanuelis Schelstrati animadversio est) *id spectabat ad Metropolitanum, ut clare docuit Leo* I. *ep.* 86. *Ad Nicetam Aquileiensem Metropolitam, cui mandat Synodum congregare ad correctionem errorum a Clero amplexorum, ut congregata apud vos Synodo Provincialium Sacerdotum — Concil. Aurelian.* 2. *c.* 2. *Ut Metropolitani singulis annis Comprovinciales suos ad Concilium convocent.* Monuimus non semel Patriarchas Metropolitanorum Metropolitanos esse, quo consequens est, Concilia ad emergentes errores in Patriarchatu extinguendos convocata fuisse Patriarchali mandato. Itaque, si inconsulto Romano Pontifice, magna agitabantur in Provinciis ad Patriarchatum pertinentibus, Concilia, de damnandis erroribus Ecclesiam misere depascentibus, optime concluditur, & legitime, Patriarchalem Pontificis Rom. dignitatem nondum obtinuisse. Veniat igitur in exemplum damnatio Priscilliani, properante jam ad exitum seculo 4°. Agape quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius Marci Ægyptii, qui venena Gnosticorum primus intra Hispanias intulerat, auditores fuere: *ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus.* Jamque paulatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ loca pervaserat; Quin & nonnulli Episcoporum depravati, inter quos Instantius & Salvianus, Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam etiam

conjuratione susceperant. *Igitur post multa inter eos certamina, apud Cæsaraugustam Synodus congregatur; cui tunc etiam Aquitani Episcopi interfuere.* Sulp. hist. l. 2. p. 441. Si Pontifex Rom. jam Patriarcham agebat, nec Concilium indici, nec laici Episcopive damnari potuere absque conscientia, nutu, & arbitrio Damasi, qui tunc sedebat, Anno 380. quod tamen factum est. Post annos octodecim quam conventus ille Cæsaraugustanus agitatus est, Taurinense Concilium, de litibus Massiliensis & Viennensis Episcoporum componendis congregatur: ambo de Primatus honore certabant; quæ materia autoritati Patriarchæ prosternebatur: omisso Siricio Romæ tunc sedente, Taurinenses definiunt; *Qui ex eis comprobarit suam civitatem esse Metropolim totius Provinciæ, honorem Primatus obtineat.* Nulla Siricii Rescripta Concilium indicunt, nullus suo nomine Legatus Synodo interfuit, conditur decretum inconsulto summo Ecclesiæ Pastore, qui defloratam ejus dignitatem, illatamque sibi injuriam non queritur; quam profecto non dissimulasset ille Siricius, ne suæ autoritati deesse videretur, si ad Patriarchales honores fuisset evectus.

Mentem Canonis Nicæni recte cepisse Rufinum, nisi omni pudore posito, negari nequit. Florebat Rufinus post annos circiter sexaginta quam Sacra Synodus, jubente Constantino, congregata est; fines Pontificalis præfecturæ Romanæ Presbytero Aquileiensi probe noti erant; ut a veri fide diffideat, Rufinum in explicando Canone Nicæno, in errorem fuisse delapsum. Passus est gravissimos adversarios Rufinus, Hieronymum præcipue, & Gelasium Papam: atqui, licet acerbe aspereque in Rufinianas Lucubrationes invehantur, fœdissimam tamen Sacræ Synodi corruptionem, neque ipsi, neque alius quisquam objecerunt Rufino; quibus aperte ostenditur germanam esse ejus interpretationem. Itaque, pace Clarissimi Valesii, legitima est illa methodus quæ limat ex Rufino mentem Canonis, quod Viro Docto non probatur. Improbet ergo usum, ex Patrum monumentis expiscandi mentem Scripturæ: improbet Autorum omnium consuetudinem, quibus solemne est ex Antiquorum monumentis obscura veterum patefacere, & illustrare: nec immerito, cum disciplinæ morumque ævo suo obtinentium, testes pene vivi sint, atque præsentes.

Canon

Canon Nicænus sic Rufino sonat: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quibus Patriarchalis dignitas penitus extinguitur. Quis enim inducat in animum, Romani Patriarchatus amplitudinem exiguis sane finibus Suburbicariarum Ecclesiaram contineri? Perdifficilis est & obscura de Ecclesiarum Suburbicarium quæstio, quæ ab Eruditissimis Viris acrius inter se contendentibus, multo irarum æstu utrinque agitata est. Frustra, meo judicio, cum ad decidendam de Patriarchali dignitate Papæ quæstionem, non examinandum quid rei essent Ecclesiæ Suburbicariæ, sed quid non essent? Quo definito, atque declarato, statim potuisset ditionis Pontificiæ fines, a metis Patriarchalibus abesse plurimum.

Ecclesiæ Suburbicariæ illæ sunt, quæ Suburbicariis Provinciis comprehenduntur: nulla quippe alia ratio nominis hisce Ecclesiis impositi congrua afferri potest. Quam vero in amplitudinem pateant Suburbicariæ Provinciæ, nescio an accurate definiri queat, cum ad libitum Imperatorum Præfecti Urbici ditio, ut videtur, ampliata sit. Consilium dante Mœcenate Urbici Præfecti limites ab Augusto positi sunt. *Præfectus etiam Urbis, ex primariis viris quidem* Dio. l. 52.
creandus est, qui omnes magistratus quos geri ante hunc convenit, gesserit — ac in Urbe, & extra Urbem, usque ad 650 stadia dijudicet. Corruptum esse numerum ac depravatum, ex his conjectura ducitur. Ἰταλίαν πᾶσαν τὴν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς Πόλεως σταδίους οὖσαν. *universa Italiam quantum ultra 750 stadia ab Urbe distat distribue.* Dioni consentit Notitiæ Imperii Occid. c. 4. Comment. quid. Panciroli. *Cæterum, Eusebius Cæsariensis ait, Messalam Corvinum, qui primus Urbi ab Augusto est præfectus, intra sex dies se abdicare. In civilem eum magistratum esse contestatus, cui omnem Imperii potestatem Augustus concesserat, non tantum in Urbe, sed & extra, intra centesimum lapidem, id est, 100000 passuum, unde recte Paulus refert, quendam municipem Gabiorum, quæ est civitas Volscorum, 70 millibus passuum distans, a Præfecto Urbi legatum.*

Exiguis hisce limitibus Romani Metropolitani Provinciam inclusere Viri Clar. Salmasius atque Blondellus. *Metropolitanus more cæterorum factus est Romanus, & hoc jus atque Primatum in sua Metropoli-*

tana

tana nactus est, urbis Romæ beneficio, quæ prima non solum orbis Romani, sed peculiariter Provinciæ unius sibi vicinæ. Hæc Urbicaria Provincia fuit, jurisdictioni Præfecti Urbis supposita, & intra centesimum lapidem quousque se extendebat illa Urbica jurisdictio, comprehensa. Quæ Magni Salmasii verba sunt, de Primatu c. 21. 375. Verum, ut fatear animi mei sensus, Provincia Romani Præsulis Metropolitana amplianda esse videtur: illustris est locus Digest. l. 1. tit. 12. de Urbici Præfecti ditione: *Omnia omnino crimina Præfectura Urbis sibi vindicabit, nec tantum ea quæ intra Urbem admittuntur, verum ea quoque quæ extra Urbem intra Italiam. Epistola Divi Severi ad Favium Cilonem Præfectum Urbi missa, declaratur.* Piceno vero, Tuscia, Valeriaque, aut centum milliaribus, Italiam includi creditu difficillimum. Etsi non nesciam, Italiam modo latius, modo pressius sumi. Sic Epistola Sardicensis Concilii apud Athanasium T. 1. p. 756. *ἡ ἁγία Σύνοδος ἡ κατὰ θεοῦ χάριν ἐν Σαρδικῇ συναχθεῖσα ἀπὸ Ῥώμης — Ἰταλίας, Καμπανίας, Καλαβρίας: Sacra Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata e Roma, Italia, Campania, Calabria, Apulia.* Denique, quæ Præfecto Urbico Provinciæ parebant, a Notitia Imperii recensentur. *Sub dispositione V. S. Vicarii urbis Romæ Provinciæ infra scriptæ consulares, 1°. Campania. 2°. Tuscia & Umbria, 3°. Piceni Suburbicarii, 4°. Sicilia. Correctores, 1°. Apuliæ & Calabriæ 2°. Brutiorum & Lucaniæ. Præsides 1°. Samniæ 2°. Sardiniæ 3°. Corsicæ 4°. Valeriæ.*

Sed missa hac Quæstione, cui tractandæ frustra labor impenditur, examini subjicienda est Jacobi Sirmondi sententia de Suburbicariis Ecclesiis. *Inter nos,* inquit, *& Conjectorem conveniebat Synodum Nicænam de speciali Episcopi Rom. Diœcesi loqui, quam Græci quoque ipsi Occidentem universum complexam esse fateantur, hoc necessario sequi ostendimus, ut Rufinum constaret, vel Synodi mentem non expressisse, vel Suburbicariarum nomine, Occidentales omnes Ecclesias comprehendisse.* Lib. de Suburb. c. 1. p. 54. Atqui interpretatio Rufiniana, *sive Versio, sive verius Paraphrasis* existimetur, optima censendenda est, cum Rufino, ditio Pontificis Romani probe nota fuerit, nec ab ullo adversariorum, & magnorum, & multorum, Rufinus de corrupto Nicæni Concilii Canone unquam fuerit postulatus; nec ideo tamen Suburbicariarum nomine Occidentales omnes Ecclesias comprehendit. Sirmondo & magni judicii, & profun-

profundæ eruditionis Viro indigna est sua de Suburbicariis Ecclesiis sententia. Ecclesiæ Suburbicariæ sunt, quæ terminis Præfecturæ Urbicariæ includuntur. Totum-ne vero Occidentem Suburbicariæ Provinciæ complectebantur? An Occidentis imperium dictum unquam Suburbicarium? Quid tam peregrinum, tamque insolens, quam ejusmodi appellatio? Quis ferret autorem scribentem, Honorium Suburbicariarum Provinciarum fuisse Imperatorem, significando totius Occidentis illum esse potitum? Pertinuit ad Occidentem Magna Britannia: fando ne unquam auditum est, Nicænæ Synodi temporibus, Sylvestrum ejusque successorem, in Episcopos Britanniæ Patriarchalia jura exercuisse? Imo vero, cum hanc ad Insulam appulisset Augustinus, *cœpit Episcopis fraterna admonitione suadere, ut pace Catholica secum habita, communem Evangelizandi Gentibus pro Domino laborem susciperent; non enim Pascha diem Dominicum suo tempore, sed a 14 usque 20. lunam observabant — sed & alia plurima unitati Ecclesiæ contraria faciebant.* Beda Hist. Angl. l. 2. c. 2. Quibus apparet & promptum est, Papæ nil fuisse juris in Britanniam, quam autoritate Patriarchali ad Romanam disciplinam perduxisset. Adversus Sirmondianam de Ecclesiis Provinciisque Urbicis opinionem, vehementer pugnat Valentiniani, Valentis, & Gratiani Augustorum Rescriptum, quod ex C. Vat. Epis. Rom. Pontif. excerptum Baronio debemus, An 371. n. 1. *Maximino Vicario urbis Romæ — est istud divinitus institutum mansuetudinis nostræ, ut etsi morum emendatio in hominum vita sufficiat, nunquam tamen ab indulgentia, studio, & voluntate cessemus — ex quo oritur, ut Ursicino quem propter quietem populi Christiani, & debitam Religioni & legibus disciplinam uno interim loco morari intra Gallias jusseramus, discedendi copiam fecerimus, sub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neve ad urbem Romam, & regiones Suburbicarias, valeat commanere.* Quibus luce clarius Gallias a regionibus Suburbicariis longe esse positas, nedum Gallicanæ Ecclesiæ Suburbicariis insererentur. Quid plura? Sibi non consentit Clarissimus ille Sirmondus, de Region. Subur. c. 3. p. 31. *Cum a Constantino Magno duo in Italia Præfecturæ Prætorianæ Vicarii essent constituti, Vicarius Urbis, cujus sedes Roma, & Vicarius Italiæ, qui sedem habuit Mediolani: exinde factum ut Urbicariæ, vel Suburbicariæ dici cœperint Provinciæ quas Vicarius administrabat,*

decem nimirum: proindeque Occidentales omnes Ecclesiæ Suburbicariis & Regionibus, & Ecclesiis comprehensa non fuerunt. Caligavit ad Rufinum Bellarminus, qui totis nervis coarguit ejus explicationem de *Suburbanis Ecclesiis*, quam Illustrissimus Purpuratus sibi videre visus est, quasi Rufinus *Suburbanas* dixisset, nec aliquid inter utramque vocem esset discriminis.

Apparet igitur atque extat, Rufinum de Patriarchis non cepisse Nicænum Canonem; quo necessario concludendum, aut non agere de Patriarchis, aut delirasse Rufinum, quod dictu longe absurdissimum. Cæterum, sua sunt argumenta Erudito Antonio Pagio, demonstrando Nicænos Patres attendisse Patriarchas. *Patres Concilii* Ant. Pag. Crit. An. 325. n. 34. *Nicæni, cum Ecclesiarum quieti prospicerent in Can. 4. sanxerunt, quo ritu celebrandæ essent Episcoporum electiones, easque a Metropolitanis Episcopis confirmari voluerunt. Cum igitur potestas Metropolitanorum in Canone illo 4°. abunde stabilita esset, quid opus erat rursus in 6°. de Metropolitanis dicere? Prorsus inanis ac superflua esset hæc repetitio, quæ in Viros tamen graves cadere non potest.* Acute atque subtiliter a Viro Docto provisum, ne de gravitate Patrum Nicænorum aliquid decerpatur. Itaque, uni verbo in eadem Synodo ab iisdem Episcopis prolato, diversæ significationes sunt affigendæ, inducendæ ambages, notionum discrimina perturbanda, ne superflua inanisque repetitio in viros graves cadat. Egregiam sapientiam, divinamque providentiam! Verumtamen de me ipso haud cunctanter fatebor, mihi non esse oculos tam acutos ut in Canone 4°. Metropolitanos qui regunt *unam Provinciam*, & in 6°. Patriarchas qui regunt *Diœcesim*, hoc est, complures Metropolitanas Provincias cernam & videam. Hæc dicit Canon 4us. *Potestas sane vel confirmatio Episcoporum pertinebit per singulas Provincias ad Metropolitanorum.* Hæc sancit Can. 6. *Si quis absque Metropolitani sententia fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum censuit non debere esse Episcopum.* Quæ est igitur illa ratio qua demonstratur quartum Canonem significare Metropolitanos, sextum non significare, cum utrobique unum & idem vocabulum sit, nec in functionibus distinctionis appareat aut vola, aut vestigium? Quarto Canone, jura Metropolitani constituuntur: sexto, pœna jurium violatoribus imponitur. Metropolitanorum qui Provinciæ uni præsunt contempto-

ribus

ribus pœna vel irrogatur, vel non irrogatur. Si pœna contumacibus illis Episcopis qui clam suum Metropolitanum, ordinantur non imponitur a Concilio; improvide & insipienter fecit, quod de gravissimis Patribus suspicari nefas. Si vero pœna aliqua irrogatur, utique Canone 6°. irrogatur, qui consequenter ad veros Metropolitanos pertinet. Itaque, nulla causa fuit Erudito Pagio quamobrem laboraret, ne si Canone 6°. de Metropolitanis ageretur, ob superfluam repetitionem, gravitatis suæ florem Patres Nicæni amitterent: hac de re, inquam, non fuit laborandum, cum inanis repetitio fingi non possit, nisi decernere pœnas, & jura constituere, superfluis repetitionibus inseratur, quod, opinor, pauci admodum censebunt.

Peroratam hanc quæstionem alia excipit, quæ decidenda est: Utrum mos Ecclesiæ Romanæ Nicænis Episcopis exemplo fuerit, sua Alexandrino privilegia vindicandi? Hoc una voce & mente dicunt illi omnes quibus persuasum fuit agi de Patriarchis in sexto Canone. Sed & in horum sententiam descendit Eruditissimus ille Salmasius, fretus autoritate Nicolai Papæ primi, Ep. 8. *Si instituta Nicana Synodi diligenter inspiciuntur, invenietur profecto quia Romana Ecclesia nullum eadem Synodus contulit incrementum.* Quæ veris valde consentanea: *sed potius ex ejus forma quod Alexandrina Ecclesia tribueret particulariter sumpsit exemplum*, quæ falso propius absunt, cum morem antiquum Ægyptiacum Synodus solum suo suffragio confirmaverit. Dictum tamen Nicolai Magno Salmasio placuit, l. 16. de Primatu c. 7. p. 101. *Non alius melior ac potior quærendus Interpres: hujus sententiæ stabimus. Sumpserunt Romanum Episcopum Nicæni Patres tanquam primum & antiquissimum Metropolitanorum, ut quod juris habeat in sua Metropolitana Provincia regenda, id in regulam cederet, ac normam cæteris Provinciis Metropolitanis dirigendis, ac constituendis.* Pace Eruditissimi Viri dixerim, causa nulla est cur Explicationi Nicolai laudes adjunxerit. Quo jure habuit Romanum Præsulem pro Metropolitanorum antiquissimo? Quidni eodem tempore ad fastigium Metropolitani Alexandrinus & Romanus ascenderunt? Qua ratione Nicæni inter condendum Canonem suum, sibi Romanam Ecclesiam proposuerunt exemplum ad imitandum, si nil novi Alexandrino Episcopo contulere?

Romanam Ecclesiam veluti disciplinæ Alexandrinæ exemplar non attendisse Nicænos Patres eo constat, quod splendidiora erant Præsulis Alexandrini suo in Episcopatu jura, quam Romani apud suos Clericos. Autoritatibus satis jam probatum est, eam fuisse Alexandrino potestatem, ut ubique locorum vel per se, vel per suffectos ordinaret in sua Provincia quosvis Clericos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quo privilegio Metropolitanum Romanum ornatum esse non tenemus? Insuper, Romana Sede vacante, administrabat omnia Presbyterium, donec ipsi Episcopus imponeretur. Defuncto Hygino Marcion Romam venerat; eo statim ac pervenerat ad Seniores ut in communionem admitteretur flagitavit: *τῶν δὲ λεγόντων ὅτι οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς Ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου Πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι:* *responderant illi nobis injussu venerandi Patris tui non licet.* Epiph. Hær. 42. n. 2. Defuncto igitur Episcopo Rom. Presbyterium justa legitimaque potestate absolvendi ab Excommunicationis vinculis fuit præditum, quam consentiente Patre Marcionis, Sinopensi Episcopo legitime exercuissent. Similiter mortuo Fabiano, Clerus Rom. hanc Carthaginensi scribit Epistolam: *Et cum incumbat nobis qui videmur præpositi esse, & vice Pastoris custodire Gregem, nolumus ergo Fratres dilectissimi, vos mercenarios inveniri, sed bonos Pastores, cum sciatis non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis Fratres nostros stare in fide immobiles,* apud Cypr. Ep. 2. Rebus autem humanis exempto Alexandrino Metropolitano, non ea fuit Ægyptiorum Episcoporum Presbyterorumque potestas, ut moverent lacertos, ac veluti in capitis sui vicem suffecti, negotia omnia Ecclesiastica peragerent. Extat magnum hujusce rei exemplum in Chalcedonensis Synodi actione 4ª. *Surrexerunt aliqui Episcopi Ægyptiæ regionis pro tota illa Provincia, & suam confessionem in Scriptis dederunt, in qua secundum fidem a Sanctis prædictis Conciliis expositam, fatebantur se credere, Epistola autem Leonis nolebant subscribere. Ob idque magna est orta concertatio, & tumultus in Synodo, ut compellerentur Leonis Papæ Epistola subscribere, aut regularem damnationem ut Excommunicati susciperent: indigne ferentes Patres, ut decem homines præjudicium facerent Synodo sexcentorum Patrum, & Catholicæ fidei: Illi vero instanter clamabant, misericordiam petentes, ut concederetur illis a Sancta Synodo a tali subscriptione ut supersedere possent, quoad usque esset electus Archiepiscopus*

chiepiſcopus pro Eccleſia Alexandrina, cujus conſenſum, ut mos erat in Ægypto, Epiſcopi debebant expectare, ut tale quid poſſent deliberare. Sin autem, in Concilio fieret Archiepiſcopus Alexandrinus, & tunc ſubſcriberent & conſentirent: eorum petitioni Sacra annuit Synodus. Ex inſignibus hiſce teſtimoniis apparet privilegia Epiſcoporum Alexandrinorum, Romani ad exemplum a Nicænis Patribus inſtituta non fuiſſe; cum utriusque Eccleſiæ diſciplina inter ſe multum differret, majorque eſſet Epiſcopi Alexandrini in ſuum Clerum, quam Romani Præſulis in ſuos Epiſcopos Presbyterosque autoritas.

Percipiendum eſt animo & memoria cuſtodiendum, Metropolitanis Alexandrinis prius Archiepiſcopi nomen fuiſſe additum, quam Romanis. Primus ille cui titulus hic impoſitus, Alexander fuit, deceſſor Athanaſii. ἐν Μεμφει Ἰωάννες κελευσθεὶς παρὰ τοῦ Βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου: *in Memphi Joannes juſſus ab Imperatore ut eſſet cum Archiepiſcopo.* Meletii ſtylum proſecutus Epiphanius. *Meletius itaque cum martyribus, ac præcipue Petro* τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπῳ, *Archiepiſcopo Alexandrino, tum in vinculis habebatur.* Hær. 68. n. 1... Præ aliis ſane Metropolitanis dignus videbatur cui titulus ille adjungeretur, cum apud eum facultas eſſet diſponendi atque diſpenſandi res omnes Eccleſiaſticas, quod nulli Metropolitano conceſſum. Verum tamen id nomen diverſum quid tum ſignificabat ab illo titulo qui in uſu fuit ſecutis poſt paulo temporibus; cum Alexandri Athanaſiique ævo nulli eſſent in Ægypto Metropolitani, quibus Archiepiſcopus, Primas, Patriarcha-ve imponeretur. Alexandrino Metropolitano paucos admodum Epiſcopos fuiſſe ſubditos, ſibi in mentem induxit Salmaſius ὁ πανὺ. In *Concilio*, inquit, *Nicæno ex tribus Ægypti Provinciis decem tantum & novem ſubſcripſere Epiſcopi, nec plures admodum fuiſſe liquet.* Lib. de Prim. c. 10. Ratio cui Vir ille Clariſſimus innititur, hæc eſt. *Oppidula tantum minuta ac vicos habebat Alexandrina Provincia Metropolitana, exceptis paucis quarum pleraque ab Presbyteris regebantur*; quod Viri Magni magnum παρόραμα diſertiſſime refellit Athanaſius. Ἐπίσκοποι εἰσὶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει ἐγγὺς ἑκατὸν οὐδεὶς τούτων ἡμᾶς ᾐτιάσατο: *ſunt autem ex Ægypto & Libya & Pentapoli Epiſcopi propemodum centum, quorum nemo nos accuſavit.* Athan. Apol. p. 789. An centenarius Epiſcoporum numerus, parvus audit? In pagis fuiſſe

Ath. Apol.

& Episcopos, Synesius testis est Ep. 67. de Siderio Episcopo quem Athanasius ad Sedem Ptolemaidis evehere decreverat. *χῶρας δ' αὐτὸν εἰς τὰς κωμυλίδας ἐπανήγαγεν: sed illum senctus ad paganas Ecclesias reduxit.*

Quæritur ultimo, an Canoni præfigi debeat ille titulus, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Hoc velit Bellarminus l. 2. de Rom. Pont. c. 13. *Secundo est observandum deesse initium hujus Canonis, quod tale est, Ecclesia Rom. semper habuit Primatum, mos autem perduret: sic enim iste Canon citatur in Concil. Chalcedoeensi.* Quam & in sententiam descendit Baronius An Dom. 135. n. 123. Cui accedit etiam Anno 1680. Eruditus Cabassutius, in Notitia Ecclesiastica p. 111. *Hujus*, inquit, *Canonis supplendum est initium quod hic deest, tum ex vetustissimo codice Canonum quo utebatur temporibus Julii Papæ Rom. Ecclesiæ, tum etiam ex Oecumenica Synodi Chalcedonensis Act. 16. tum præterea ex perantiquo codice Canonum & Constitutionum Ecclesiæ, quem Vir Eruditus Quernellius ad fidem trium vetustissimorum manuscriptorum in lucem emisit, tum etiam ex constitutione Valentiniani Augusti adversus Hilarium Arelatensem edita, in qua hæc verba continentur, cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum, Sancti Petri meritum qui Princeps est Episcopalis Coronæ & Romanæ dignitas civitatis, Sacra etiam Synodi firmarit autoritas.* Tanti non sunt hæ rationes, ut Romanis Theologis mendum inesse in vulgata Canonis lectione concedamus. Antiquissima omnium interpretatio Rufiniana insolens est hujusce laciniæ; *Ecclesia Romana sempet habuit Primatum*: insolens Dionysii Exigui Versio, quæ accurata vel ab ipsis Romanis habita est, diuque in Ecclesia Latina obtinuit; quam clausulam non omisisset, si reperisset in Exemplaribus quibus utebatur: insolens Editio Græca ab Ætio Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidicano in medium prolata, palamque recitata apud Chalcedonenses: *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω;* quam probavit lectionem Doctissimus Valesius l. 3. Observ. in Socr. c. 1. Paschasini Editio, *ἡ Ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔχε τὰ πρωτεῖα, ἔχει τοιγαρῦν καὶ ἡ Αἴγυπτος ὥστε τὸν Ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξυσίαν ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης Ἐπισκόπῳ ἔτο συνηθές ἐςιν*, impedita est, & lutulenta. Quid causæ erat quod bis Ecclesiæ Romanæ in paucis ejusdem Canonis lineis mentio agitaretur? Quibus conglutinationibus antecedens hoc, *Ecclesia Romana semper*

per habuit Primatum, cum eo consequente, *proinde teneat & Ægyptus* apte copulatur, præcipue si ut prædicant, Primatus Ecclesiæ Romanæ juris Divini est? An sensu tincta verba hæc, *teneant Ægyptus Primatum?* Atqui Ægyptus & Alexandrina Ecclesia multum differant inter se, maxime Nicæno ævo, cum in Ethnicis abundaret. An verba hæc, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, optime cum his cohæreat, *proinde teneat & Ægyptus?* Sermonis ordo atque dispositio flagitabat, *proinde teneat Ecclesia Alexandrina*: ut ambæ Ecclesiæ inter se referrentur. Ingens igitur est ac inepta ἀκολουθία hac in phrasi, *proinde teneat & Ægyptus*, quæ ad gravissimorum Patrum verba adscribi non debet: Denique, non sibi constat Editio Paschasini, teste perantiquo Quesnelliano Codice, *Ecclesia Rom. semper habeat Primatum*, ut a Cabassutio monemur, *habeat*, per, viam decreti; non *habet*, per declarationis viam; quibus accurate perpensis, germanam esse cum Ætii, tum Dionysii Exigui lectionem, mihi persuasissimum. Nec moveor autoritate Valentiniani Imperatoris, cum verba Canonis Nicæni non exhibeat, sed ex illo sensum nec aptum sane aut congruentem expiscetur, condendo decreto suo in Hilarium Arelatensem. De Primatu Oecumenico quem Episcopo Rom. contribuit Valentinianus, nil quidem somniasse Patres Nicænos, certe & certo scio; nec Clarissimus ille Marca diffitetur: *Rectissime*, inquit, *& usu recepto Rufinus componi inter se Alexandrinum & Romanum Episcopum in eo scripsit, quod ille Ægyptiacæ Dioeceseos ἐξουσίαν habere debeat, eodem jure quo Episcopus Rom. utebatur in Dioecesi Urbicaria, seu, ut Rufinus elegantissime loquitur, in Ecclesiis Suburbicariis, id est, in iis Ecclesiis quæ decem Provinciis Suburbicariis continebantur.* Quæ tamen Illustrissimi Præsulis verba contradictionis plena sunt, cum de Patriarchis agere Synodus Nicæna non possit, ut ille contendit, si Præfectura Romani Episcopi decem Provinciis Suburbicariis a sexto Canone circumscribatur. Hac quippe ditione, non Patriarcham, sed Metropolitanum agebat. In transitu observandum est Valentinianum Imperatorem suo decreto, Anno 445. octavo id. jun. conditum, Primatum Ecclesiæ Romanæ non in institutionem, sive Divinam, sive Apostolicam, sed *ad Petri meritum, & Romanæ dignitatem civitatis* referre. Denique, hæc Editionis Paschasinianæ, *Ecclesia Rom. semper habuit Primatum*, ipsius Paschasini

ſini verba eſſe, videtur quam probabiliſſimum, quibus ex autoritate Nicæna fidem quærere voluit, quæ Canoni, quaſi pars ejus, inſerta fuere.

His obſervatis, ad Canonis explicationem breviter procedendum. Ellipſi quadam affectum eſſe, vincunt hæc ſubobſcura: *Horum omnium poteſtatem habeat Alexandriæ Epiſcopus, quia & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*; quæ in geminum intellectum duci poſſunt; nimirum, id moris eſſe Epiſcopo Romano, ut poteſtatem habeat vel in Provincia Romana; vel in Ægypto. Senſus ille prior eſt veriſſimus. Æquum enim fuit quod Conditore ſuo, magnitudine, magnificentia Romæ ſupparis, Alexandriæ Epiſcopus iiſdem gaudeat privilegiis in ſua Provincia, ac Romanus in illa quæ ad ſe pertinuit. Eo magis quod jam ab adulta Antiquitate Alexandrinus ea jura ſibi vindicaret. Quid hac explicatione clarius? *Quia*, igitur, non *formam*, non *exemplum* ſignificat, quo nova autoritas Alexandrino concilietur; ſed rationem, & argumentum a pari, quo moti Patres, morem Priſcum in Ægypto obtinentem ſuo decreto confirmant. Placuit Baronio, Bellarmino, Italisque Theologis, altera Canonis explicatio. *Quarta igitur & vera expoſitio eſt, Alexandrinum debere gubernare illas Provincias, quia Romanus Epiſcopus ita conſuevit: id eſt, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum definitionem conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ & Pentapolis; ſive conſuevit per Epiſcopum Alexandrinum illas Provincias gubernare.* Quæ jocularis & feſtiva eſt Bellarmini explicatio, de Rom. Pont. l. 2. c. 13. Quid nobis Bellarmine garris in aurem, de poteſtate Epiſcopo Alexandrino permiſſa a tuo Pontifice? Quid tam abſurdum, tamque abſonum quam tua explicatio eſt? evertit inſtituta Concilii, caventis ne *duo ſint una in civitate Epiſcopi*: poteſtatem contribuit Alexandrino, quæ nulla eſt niſi ſuffecti, quem ad arbitrium Papa revocare poteſt: pugnat cum monumentis Eccleſiaſticis, ex quibus nulli teſtes excitari poſſunt de Papa Sedem Alexandrinam per ejus Epiſcopum adminiſtrante: vim verborum atque ſignificationem funditus delet, ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον τὸν ἔχειν τὴν ἐξουσίαν: *ut horum omnium poteſtatem habeat Alexandrinus Epiſcopus, quia Epiſcopus Romæ hoc in more poſitum habet*; quæ obtorto collo eo trahuntur, ut ſignificent a Romano Epiſcopo conceſſam

fuiſſe

fuisse Alexandrino potestatem peragendi sui muneris nomine Papæ, Denique, fingit quod Episcopo Alexandrino Romanus permiserit regimen Ægypti; quasi inconsulto Papa Alexandrinus a Clero suo non eligeretur.

Ubi, ubi sunt illæ *permissionis* hujusce Tabulæ? in Cœlestini locum, propter navigationis pericula Synodo Ephesinæ adesse detrectantis, Cyrillus Alex. suffectus est: ita prædicant; id relatum in Annales. Nicephor. l. 14. c. 34. *Ad Cyrillum tamen ut locum ibi obtineret suum scripsit Cœlestinus: ex quo tempore fama est mitram illum & Papæ appellationem, atque ut Orbis universi judex appellaretur accepisse.* Nil opus erat Cœlestini scripto, cum ubique terrarum Vicarium ejus Cœlestinus ageret, si Cardinalibus fides: sed vel ex hac narratione Cardinalium explicatio Canonis solidissime coarguitur, cum qui substitutum semel in Concilio pro Papa Cyrillum memoriæ prodiderunt, Cyrilli in regenda Alexandrina Ecclesia vicariatum, atque in vicem Papæ substitutionem, profundissimo silentio non obruissent. Meritam porro censuram effugiet nullus Nicephorus de Fabula commendata posteris, quod ex quo nomine Cœlestini Cyrillus Ephesinæ Synodo præfuit, *Papæ* nomen habuerit. Hæc est inquam fabula, quam antiqua monumenta refellunt, atque coarguunt. Quid disertius Constantini verbis ad Athanasium? Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος, σέβαστος, τῷ Παπᾷ Ἀθανασίῳ: *Victor Constantinus Maximus, Augustus Athanasio Papæ.* Athan. Apol. 2. p. 785. Affigitur & titulus hic ab Ischyra eidem Athanasio. τῷ μακαρίῳ Παπᾷ Ἀθανασίῳ: *Beato Papæ Athanasio Ischyras salutem.* Denique, si Romanus Episcopus *consueverat per Alexandrinum Episcopum Ægyptum gubernare*, qua de causa Gregorius ille Magnus, dictis amaris Joannem Constantinopolitanum incessebat de superbia, nullus video. Cum Joannes, homo ille durus & tumidus, non amplius assurgeret, quam ut diceret se Alexandrino, Antiocheno, aliisque Episcopis permisisse regimen Ægypti, Libyæ, Provinciarumque Orientis. *Favente Domino, omnibus viribus concurrendum atque providendum, ne unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnino negatur; & cum fortasse in errore perit qui Universalis dicitur, nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.* Greg. l. 4. Ep. 36.

AN. XXXIX. NUM. XVI. XXIV.

De Privilegiis Æliensis Episcopi. An subditus Cæsariensi? Clarissimi Blondelli sententia, contra quem probatur Hierosolymitanum Præsulem sub Metropolitani ditione olim fuisse. Argumenta ex Hieronymo, Theodoreto, Leone. Rationes Blondellianæ solvuntur. Eruditissimi Salmasii explicatio Canonis Nicæni 7. ad examen revocata. Quænam erant Privilegia Æliensis Episcopi. An sedebat ac subscribebat ante Cæsariensem? Affimantis Salmasii opinio rejicitur compluribus exemplis. Verosimile Æliensem extra Provinciam Cæsariensis Episcopi, magnis in Conciliis ante suum Metropolitanum sedere: quod exemplis ostenditur. Cur & in Synodo Nicæna, & ante Synodum, Episcopus Æliæ, non Hierosolymæ dicitur? Sententia Valesii illustratur. Hierosolyma funditus eversa. Ubi Ecclesia Hierosolymitana post urbis hujusce eversionem? De Cathedræ Antiochenæ Petri festo.

MAxima dulcedine atque dignitate sua, tractata nuper materies movens animum, alio properantem adhuc detinet, ut Clarissimorum Salmasii Blondellique de Hierosolymitano Episcopo sententiam excutiam. Nec abs re quæstio hæc, Canonis Nicæni, motarumque de Patriarchis litium tractationem excipiet, cum sublimem Patriarchæ dignitatem tandem aliquando Hierosolymitanus adeptus sit. A Nicænis hæc decreta sunt: *Quoniam obtinuit consuetudo, & antiqua Traditio, ut qui est in Ælia Episcopus honoretur; habeat honoris consequentiam, Metropoli propria dignitate servata.* Adhuc *sub judice lis est* (verba sunt Eruditissimi Blondelli) *An Hierosolymitanus Episcopus Cæsariensi primitus subderetur?* Fontem Blondellianæ eruditionis exundantem valde miror, qui duas & viginti

Blond. de Prim p. 544.

ginti rationes fudit, comprobandæ huic sententiæ, quarum tamen ipse acumen obtundit verbis hisce quæ cum ejus opinione vix consentiunt: *Manente tamen Metropolitanæ civitatis propria dignitate Cæsarea, quæ apud Palæstinam sola & in Ecclesiasticis & in politicis dignitatem Metropolitanam obtinuerat.* Equidem, ex quo constituti sunt Metropolitani, nullus fuit Episcopus qui Metropolitano non subjiceretur, nisi ipse Metropolitanis insereretur, qui rerum initio erant αὐτοκέφαλοι. Cum itaque ante Synodum Nicænam Hierosolymitanus Metropolitanum non ageret, Metropolitano suo subesse debuit. Quocirca Patres in suo Canone Hierosolymitanum Cæsariensi subjecere, nedum illum ab ejus Præfectura eximerent: alioquin propria Metropolitani dignitas servata non fuisset.

De Cæsariensis in Episcopum Hierosolymitanum autoritate, egregium testimonium dixit Hieronymus in Epistola ad Pammachium quæ sic Joannem Hierosolymitanum compellat. *Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, responde mihi: ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Archiepiscopum referre debueras, cui spreta communione tua communicare nos noveras: aut si procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ. Sed novi cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere: maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Quid clarius? Simili de causa Leo Magnus, Epistola 60. ad Maximum Antiochenum: *in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare.* In eam necessitatem adducebatur Juvenalis, ut Metropolitano Palæstinæ subditus esset, si hujusce Provinciæ principatus esset expers: nullus autem nisi Cæsariensis Episcopus Palæstinæ præerat. In abdicatione Cyrilli Hierosolymitani, autore Acacio Cæsariensi, impressa sunt & primatus ejus vestigia: posteris amborum dissidia mandavit Theodoretus: Οὗτοι καὶ πρὸς ἀλλήλους περὶ Πρωτείων φιλονεικοῦντες μεγίστων κακῶν τοῖς κοινοῖς ἐγένοντο πρόξενοι. *Hi cum de primatu inter se contenderent, Reipublicæ Christianæ gravissimorum malorum causam præbuere;*

nam Acacius quidem, levi quadam occasione arrepta, Cyrillum deposuerat, & Hierosolymis expulerat. Theodor. Hist. l. 2. c. 26. Optime Valesius Annot. p. 25. *Huic contentioni occasionem prabuerat Canon septimus Concilii Nicani, qui Episcopo Hierosolymorum eum honoris gradum quem ab ultimis temporibus habuerat, jusserat conservari, salva tamen Casariensi Episcopo Metropolitano dignitate. Quo tamen Canone omnis potestas ac jurisdictio servata erat Episcopo Casariensi*, quam exercuit in abdicando Cyrillo. Itaque, par pari Cyrillus Acacio non retulit; sed etiam cum Acacius negasset se cum Episcopis qui Seleuciam convenerant Concilium initurum, nisi Cyrillus e Concilio submoveretur; rogatus est Cyrillus ut e Concilio discederet, quæ sparsa sunt autoritatis Metropolitani Cæsariensis in Hierosolymitanum Episcopum, non obscura vestigia.

Ni fallar animi, aberrant a scopo Eruditissimi Blondelli rationes. 1°. laudat Epiphanium Hær. 70. Quid narrat Epiphanius? *Porro post Constitutionem illam, quindecim e Circumcisione fuerunt, idque Hierosolymis, quorum autoritatem omnis Orbis sequi debuit.* Hoc intervallo temporis Primatum non induisse Cæsariensem Episcopum nil miri, cum toto terrarum Orbe Metropolitanum nullus exerceret. Illa quindecim ex Circumcisione Episcoporum series, imperio Adriani claudebatur. Tunc pulsis Hierosolyma judæis, Ecclesia Gentibus coaluit, Episcopique qui judaico sanguine creati fuere hactenus, aliis qui Ethnicis ortum ducebant, decessere. Nec ex immensa eruditionis penu Blondellus ullum, Adriano imperante, Metropolitanum suppeditare potuisset, cum ordo ille Hierarchicus satis diu post impleta fata Apostolorum emerserit. Urget Vir Eruditissimus creationem Alexandri in Narcissi adjutorem, ad quem omnium Episcoporum consensu, qui in vicinia urbis Hierosolymitanæ degebant, provincia hæc data est, omisso Theoctysti Cæsariensis Præsulis suffragio, cui tamen opus fuisset *qua Metropolitano, hanc in Narcissi substitutionem animo curaque incumbere.* Quamobrem Theoctistum abfuisse perhibetur? Quidni Provinciæ Metropolitanus ad vicinos Episcopos ascribi potuit? Sed & in creatione Alexandri plurima fuere quæ juris Ecclesiastici fines transcendebant. Visione, tanquam divino admonitus oraculo, Alexander, cum ex Cappadocia in qua primum Episcopus fuerat ordina-

na-

natus, Hierosolyma profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia, fratres illius Ecclesiæ humanissime eum excipientes, reverti post hæc in patriam non siverunt: καθ' ἑτέραν ἀποκάλυψιν καὶ αὐτοῖς νύκτωρ ὀφθεῖσαν μίαν τε φωνὴν σαφεστάτην τοῖς μάλιστα αὐτῶν σπουδαίοις χρήσασαν: *Alia quippe revelatio etiam ipsis per somnum visa fuerat, & vox quadam evidentissima, ab iis qui sanctitate inter ipsos eminebant, audita.* Euseb. Hist. l. 6. c. 11. Observatum a Valesio Alexandrum *Flaviadis* fuisse Episcopum, quod Eusebius prætermiserat; *revelationemque illam de Alexandro, Narcisso & aliis viris S.tis immissam fuisse, vocem autem ab omni populo auditam fuisse*: quæ observatio non minimum lucis Eusebianæ narrationi fœnerat. Pergit Doctissimus Blondellus, atque ex Eusebii pharetra in Eusebii Primatum tela depromit. Ad Macarium Episcopum, qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ præerat, literas de condendo Hierosolymis Templo Constantinus misit, non *Eusebio qui charissimus imperatori fuit.* Atqui æquo nitebatur Constantini Epistola, quæ Macario sua in Urbe Templi ædificandi imponebat provinciam, quæ de Metropolitani dignitate nil delibat, cum in jure & Episcoporum confirmandorum, & congregandarum Synodorum præcipue consisteret. In Blondellianas rationes omnes Hieronymus mihi murus est aheneus, quo vel acutiora tela facillime repelluntur, cum Hieronymus qui in Palæstina degebat, dignitatis Metropolitani Cæsariensis ignarus insolens-ve esse non potuerit. Deinceps quidem Episcopum Hierosolymitanum, & antiquitate Sedis, & Religionis incunabulis tumidum, altiores assumpsisse spiritus in confesso est: audacibus plurimum annuente coeptis & Constantinopolitana Synodo, qua Ecclesiarum mater Hierosolymitana declaratur; & Nicæno Canone, qui Præsulem Æliensem nominatim honore habuit: quo fretus Cyrillus de Primatu pugnavit, sed infelici successu, cum solum incumberet Sedi ab Apostolis fundatæ, quam in constituendo Primatu rationem jura Ecclesiastica non attendebant.

Ad Clarissimum Salmasium nunc orationem converto: Libri de Primatu c. 8. p. 129. Nicænum de Æliensi Episcopo Canonem sic παραφράζει: *Quid igitur significabit illa ἀκολουθία τῆς τιμῆς, aut quo referetur? Tradit Canon, ex more & consuetudine antiqua acceptum esse, ut honoretur Æliensis Episcopus; itaque sancit, ut secundum hanc*

 con-

consuetudinem honore afficiatur, & consequenter ante omnes illius in qua erat Provinciæ Episcopus, cum incedat, tum sedeat, ac suscribat- atque adeo Metropolitanum. Gravissimis difficultatibus afficitur Salmasiana hæc explicatio: nec enim ex more & consuetudine antiqua, Nicæni Patres hunc Æliensi Episcopo honorem deferre potuerunt ut ante Metropolitanum suum incederet, & suscriberet, cum antiquus Ecclesiæ usus in dissimilem disciplinam incideret. De conventibus ob Paschatis Quæstionem celebratis, Eusebius Hist. l. 5. c. 23. *Extat etiamnum Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt,* ὧν προυτέτακτο Θεόφιλος τῆς ἐν Καισαρείᾳ Παροικίας Ἐπίσκοπος, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις. *Quibus presidebant Theophilus Cæsareæ Palæstinæ, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus. Nicephorus* (verba sunt Valesii) *cum hunc Eusebii locum exscriberet, Narcissum, Hierosolymorum Episcopum, Theophilo Cæsariensi Episcopo præposuit, in quo longe falsus est: nam Cæsariensis Episcopus ante Concilium Nicænum, & diu postea, Metropolitani honorem ac dignitatem semper obtinuit, ita ut omnibus Palæstinæ Conciliis præsideret, tanquam primæ Sedis Episcopus.* Quæ Valesiana multum mihi probantur, non item sequentia hæc, *itaque Hierosolymitanæ Sedis Episcopi Cæsariensi Episcopo non subjacebant, sed erant* αὐτοκέφαλοι. Annot. p. 92. Nec enim αὐτοκεφάλοις inseri potuit Hierosolymitanus, nisi Metropolitanum exerceret, tum quæ in Blondellum argumenta torsimus, Valesium similiter petunt. Præterea, Dionysii Alexandrini Epistola, quæ accurate suos servat gradus Episcopis, Cæsariensem Hierosolymitano antetulit. Δημητριανὸς ἐν Ἀντιοχείᾳ, Θεόκτιστος ἐν Καισαρείᾳ, Μαζαβάνης ἐν Αἰλίᾳ: *Demetrianus Episcopus Antiochiæ, Theoctistus Cæsareæ, Mazabanes Æliæ.* Si ante Cæsariensem *incedere, suscribere,* moris Hierosolymitano fuit, utique Dionysius primum locum post Antiochenum Demetrianum Mazabani Æliensi ordinasset in Epistola. Nec congrua videtur aptaque Salmasiana divisio, autoritatis & honoris, ut illam Cæsariensis qua Metropolitaus obtineat, hunc Æliensis. Peregrinam sane disciplinam, ut Metropolitanus qui præsidebat in Synodo suæ ditionis, post alium tamen incederet, atque suscriberet. Ad Nicænum Canonem attentas mentes atque oculos arrigenti, constat modis omnibus Cæsariensem Æliensi fuisse prælatum, *manente tamen Metropolitanæ civitatis propria dignitate,* inquiunt Nicæni. Pars autem dignitatis

nitatis non minima Metropolitanorum fuit, quod priores incederent, ſederent, ſubſcriberent: his Conſtantinopolitana Synodus fœnerabit lucem. *Alexandriæ quidem Epiſcopi, ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ.* c. 2. Non ovum ovo ſimilius eſt, quam Nicænus Canon Conſtantinopolitano. Ut igitur Conſtantinopolitani Patres de Antiocheni Præſulis dignitate nil decerpunt, ſic Nicæni non deflorant Cæſarienſis honorem; ſua jura Metropolitani ipſi integra illibataque ſervantur.

Quid igitur ſignificabit ἀκολουθία τῆς τιμῆς, honorque ille qui Ælienſi Præſuli defertur? Diſtinguendum hic nobis videtur: In Provincia quidem Metropolitani Cæſarienſis, ſua privilegia vindicantur in ſolidum: ac ut autoritate omnes ſibi ſubditos Epiſcopos antecellebat, ſic & honore. Itaque ante omnes *incedebat*, *ſedebat*, *ſubſcribebat.* At extra Provinciam in majoribus Synodis, rem aliter ſe habuiſſe, diſciplinæ obſervatæ apparet maxime conſentaneum. Antiochenæ Synodo adverſus Paulum Samoſatenum celebratæ, cui præfuit Firmilianus, ſuperiorem locum Ælienſi, non Cæſarienſi datum eſſe, his apud Euſebium indicatur. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐκκλησίας Ὑμεναῖος· τῆς τε ὁμόρου ταύτης Καισαρείας Θεοτέκνος. *Sed & Hymenæus qui Eccleſiam Hieroſolymitanam regebat, & Theotecnus qui Cæſarienſem illi finitimam adminiſtrabat.* Similiter in Synodo Nicæna, inter Provinciæ Palæſtinæ Epiſcopos ordinem ducit Macarius Hieroſolymitanus, Euſebius vero Cæſarienſis tertius eſt.

Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 28.

Nec injucunda, nec ſcitu indigna quæſtio hic moveri poteſt, cur a Patribus Nicænis, ſeque antiquioribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, Epiſcopus *Æliæ*, non *Hieroſolymæ* dicitur? Reſpondet Valeſius; *Recte id dictum eſt a Sanctiſſimis Patribus, cum ea urbs quæ tunc temporis dicebatur Hieruſalem, Ælia potius eſſet, nec niſi abuſive Hieruſalem vocaretur. Neque enim Hieroſolyma inſtauravit Adrianus, cum Judæi hoſtes tunc eſſent populi Romani: ſed Æliam coloniam civium Rom. condidit, a cujus ingreſſu etiam Judæos arceri voluit. Itaque a temporibus Adriani uſque ad Conſtantinum Magnum, ſemper Ælia vocata eſt. A tempore autem Conſtantini Magni, Hieroſolymorum nomen quaſi poſtliminio repetiit, tum ob ſplendorem illius nominis, tum ob primitivæ Sedis prærogativam: revera tamen Ælia erat, non Hieruſalem.* Annot. in

Val. Annot. in Euſeb. l. 4. p. 54.

in Euseb. l. 4. Quæ veris optime consentiunt, cum ne vestigium quidem urbis appareret, juxta Christi vaticinium, *lapis super lapidem nullus remanebit.* Itaque & postea aratrum illi impressum est, ut non solum urbs esse desierit, sed & in posterum nemini licuerit illi solo aliquid immoliri, ædificare, superstruere. Quo referenda est Magni Scaligeri animadversio in Euseb. n. 2. 140. p. 211. *Jurisconsultus, Lege 21. d. quibus mod. usufr. ait civitatem esse desivisse eam, cui aratrum inductum sit: & capital est in illo solo vel casam aut humile superficium struere. Servius, nam ideo ad exaugurandas, vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu quo condita subvertantur. Horatius, imprimeretque muris hostile aratrum. Rursus Solinus, Judææ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est.* Hinc a Viro solertissimo juxta ac doctissimo, hoc additum: *his animadversis merito quæri possit, cum Episcoporum Ecclesiæ Hierosolymitanæ nomina certa & continua successio hactenus memoriæ prodita sint, ubi fuerit Ecclesia Hierosolymitana? Nam certum est Hierosolymis consistere non potuisse, ea enim non potuit esse sine ædificiis, ædificia autem in solo cui aratrum impressum fuerit superstruere per leges non licebat. Tamen minime dubitandum est ubicunque illi Episcopi sederint, ibi fuisse Ecclesiam Hierosolymitanam, tametsi Hierosolymis non esset, quemadmodum hodie ab aliquot seculis Antiochena Sedes Patriarchalis non est in ea urbe, unde nomen habet, sed in meredie ad ripam* Chobar, *in finibus Mesopotamiæ, quam urbem ab Antiochia longa procul longis via dividit invia terris.*

Atque hæc data ex institutione Patriarchalis Sedis Antiochenæ occasione dicta sint: redeamus ad Baronium, qui suam de instituta a Petro Patriarchali Sede Antiochena sententiam argumentis tuetur. *Quanam causa rogo*, inquit, *in Ecclesia Catholica celebrari consuevit antiquitus anniversaria solemnitate Cathedra Antiochena, si in ea Petrus non sedit:* cui rationi vim incutit Bellarminus, strenue disputans adversus Onuphrium. *Solemnitas Antiochenæ Cathredæ vetustissima est, ut patet ex Sermonibus Sancti Augustini de Cathedra Petri,* Bell. de Rom. Pont. l. 2. c. 6. *nec non & Martyrologio Bedæ, Usuardi, Adonis Trevirensis, & toto Orbe celebratur, & quidem honorificentius quam festus dies Cathedræ Romanæ, qui nuper a Paulo 4°. institutus est, & nusquam a populo more festorum dierum colitur: cum festus dies Cathedræ Antiochenæ non tantum a Clero, sed etiam a Plebe multis in locis Religiose servetur.*

Quid

Quid habeat argumenti nobile festum, ex ejus institutione discendum. *De Cathedra Sancti Petri Ecclesia solemnizat. Quando, videlicet, apud Antiochiam Cathedrali honore sublimatus esse perhibetur: quam sublimationem dicunt quidem factam esse a Theophilo, Principe Antiochiæ, cujus filium defunctum post annos quatuordecim suscitavit, & ipsum & populum civitatis convertit: propter quod ibi Ecclesiam construxerunt, in cujus medio excelsam Cathedram collocaverunt, & Petrum ut ab omnibus audiri & videri posset, exaltaverunt, in qua Sedit septem annis.* Ration. Dur. l. 7. Quo usque tandem abutentur patientia nostra? Habuitne Antiochia Principem, Sedente Petro? Qua fronte solemnitas Antiochenæ Cathedræ vetustissima dici meruit, cum nullus ante 2. Synodum Turonensem, Anno 567. celebratam, festi hujusce mentionem agitarit? *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ Domni Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores.* c. 22. quibus tamen notatur Chamierus noster, qui nullum ante Bedam, de hoc festo commemorasse existimavit. Scripturæ antiquum dicitur, quod est ἀπ' ἀρχῆς, a Religionis incunabulis. Commenta opinionum tandem deleat dies.

Ad Petri Cathedram nonnihil inclinat Marcus Antonius de Dominis Spalatensis Archiepiscopus, sed alia fretrus ratione quam Baronius. *Sane, quod spectat ad Sedem Petri Antiochenam, illud duntaxat mihi non sine vi persuaderi permitto, Antiochiæ Petrum antequam Romam proficisceretur, Sedem aliquo modo habuiße. Nam Antiochiæ illum fuisse Paulus Galat. 2. testatur, & ibi eum Sedisse Scriptores etiam antiqui cum plurimi consentiant, & asserant, ut & ipse assentiar, licet ægre, efficiunt. Festo vero Cathedranæ Antiochenæ quod nostri in Ecclesia antiquum esse perhibent, nihil moveor: id enim festum fuit festum Petri in genere: sic enim vocabatur festum Cathedræ Petri, nulla apposita certa Civitate, ut patet ex Sermone illo Augustini de Sanctis, Sermone 15. cui titulus est, de Cathedra Petri, & in festo Cathedræ Sancti Petri. In ipso vero sermone, de Antiochena Sede ne verbum quidem.* Hic sane delirat acumen Spalatense: quis unquam Cathedram absque certa Civitate Ecclesiave somniavit? *Neminem absolute ordinari jubemus:* quod Chalcedonense decretum est c. 6. Itaque nullum Episcopatum absolutum Petro vindicarunt, sed & Antiochenum & Romanum. Ivo Carnotensis, Sermone de Cathedra, Petri Bib. Pat. t. 10. *Hæc etiam ho-*

Ant. de Dom. de Rep. Eccles. l. 4. n. 25.

Tt *dierna*

dierna festivitatis sacra institutio, quando Episcopalis Sedis honoratus est Magisterio. Hodie fratres B. Petrus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Similiter & in Romano Martyrologio, *Antiochiæ Cathedra S. Petri Apostoli*: ad 22 Febr. proindeque verba Autoris apud Augustinum de Cathedra Petri: *Institutio solemnitatis hodiernæ a Senioribus nostris, Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus, hodie Episcopatus Cathedram suscepisse refertur*, certum Episcopatum, Cathedram certam innuit atque indicat. Porro & nobis, & veritati, sciens prudensque illudit Bellarminus, ascribens hunc Augustino Sermonem. Qui sunt *illi Seniores* germano Augustino, qui Petri Cathedram instituerunt? Annon apparet & promptum est, Autorem Sermonis Augustinum non esse, sed Anonymum Synodo Turon. 2ª. juniorem? Quocirca nec vocem Augustini sonat, nec ab Erasmo litera a, quæ fœtibus præfigitur, Augustini insignitus est. Petrus ad *eundum*, non ad *Sedendum* legatus a Christo. Cum Antiochiæ consistebat, Ecclesiæ præfuit ut Apostolus, non ut Episcopus. Quo circa vel festum Antiochenæ Cathedræ non fuit instituendum, vel omnium urbium quas petiit prædicando Evangelio, Cathedra celebrari debuit.

Non prætereundum est id quidem, quod festum Cathedræ Petri olim festum Beati Petri Epularum dicebatur: teste Durando Mimatensi: *fuit enim mos Gentium secundum Magistrum Joannem Beleth, annis singulis in mense Februarii, hac die vinum & epulas offerre Deo super sepulchra parentum, moti forte propter illud Tobiæ 3°. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, quas de nocte Dæmones consumebant. Ipsi tamen ab animabus circa sepulchra ob errantibus, quas umbras vocabant, vastari putabant: quod Sancti extirpare volentes, festum de incathedratione Sancti Petri tam de illa quæ Romæ, quam & de illa quæ Antiochiæ fuit facta, statuerunt fieri illo die quo talia a Gentibus fiebant, unde ab illis Epulis, festum consuevit appellari festum Beati Petri Epularum.*

EXERCITATIO QUINTA.

A. N. XL. NUM. III.

Caligulæ. 2. *De Carraba nugæ Baronianæ. Nodus in Josepho vindice*

dice dignus Eruditis proponitur. Qui jus eligendorum Pontificum Herodi, Agrippæ Magni fratri, liberisque ejus concessum, potuit a juniore Agrippa exerceri.

DE Agrippa Judæorum Rege, quem in Carraba morione Ægyptii illuserunt, magno conatu magnas nugas agit Annalium Conditor. *Ecce*, inquit, *tibi novus post Christum idemque primus Rex Judæorum qui regnarit Hierosolymis, quam insigniter illusus est in Carraba, quorum Rex verus olim sub Pilato regio habitu illusorie personatus est.* Hæc Illustrissimo Purpurato movent admirationem, atque ut in acumine abundat ingenii, hoc addit, *imo fortasse idem Carrabas quod Barrabas; sed pro B; K errore Librariorum est Græce scriptum.* Miram divinamque criticam! Seria quæramus amoto ludo.

Vera quidem prædicat Baronius in scribendo Agrippam ultimum fuisse Hierosolymorum Regem. Paterni quidem Regni hæredem juniorem Agrippam scribere Claudius Imperator apud se statuerat, sed a libertis impeditus, negantibus tutum esse adolescenti, qui vix dum ex ephebis excesserat, committere tantum Regnum, Cuspidium Fadum Judææ Præsidem misit: quæ docemur a Josepho. Sed ejus in narratione inexsuperabilis mihi emergit difficultas, digna quidem quæ a viris me oculatioribus solvatur: ᾐτήσατο δὲ καὶ Ἡρώδης ὁ ἀδελφὸς μὲν Ἀγρίππου τοῦ τετελευτηκότος, Χαλκίδος δὲ τὴν ἀρχὴν κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον πεπιστευμένος Κλαύδιον Καίσαρα τὴν ἐξουσίαν τοῦ Νεὼ, καὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων, καὶ τὴν τῶν Ἀρχιερέων χειροτονίαν. Πάντων τε ἐπέτυχεν, ἐξ ἐκείνου τε πᾶσι τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ παρέμεινεν ἡ ἐξουσία μέχρι τοῦ τοῦ Πολέμου τελευτῆς: *Herodes vero Dynasta Chalcidis, defuncti Agrippæ frater, petiit a Cæsare potestatem in Templum, & sacrum ærarium, jusque eligendorum summorum Pontificum: impetravitque hæc omnia, ita ut etiam posteris ejus idem jus manserit usque ad belli Judaici exitum.* Antiq. l. 20. c. 1. Concesso Pontifices abdicandi jure & usus est Herodes: Cantharaque in ordinem redacto, Summum Sacerdotium Josepho, Canei filio, contulit. Atqui hanc ipsam potestatem junior Agrippa exercuit; quæ maxime inter se pugnant. Extruxerat insigni amplitudine domum, unde spectabat quidquid agebatur in Templo, præsertim sacrificia; hoc tulerunt indignissime Hierosolymitani Proceres: quamobrem altum parietem

rietem excitarunt, qui regium arcebat prospectum. Ea de re missi sunt Legati ad Neronem, qui permisit etiam sic permanere parietem. Id postquam Agrippa rescivit, Pontificatum detulit Josepho, cognomine Cabi, Simonis quondam Pontificis filio. Iterum dicam, hæc non consentiunt. Herodi Agrippæ fratri, tres filii superfuere, Aristobulus, Bernicianus, & Hyrcanus, ad quos jus in Templum & Pontifices parenti concessum, eo defuncto, fuit devolutum. Si ipsis delata potestas duravit ad *belli finem usque*, qua fretus autoritate Agrippa junior, nutu suo atque arbitrio, Josephum suffecit Ismaeli Pontifici? Siccine de Cæsaris decretis aliquid delibasset? An passi fuissent Herodis liberi jus suum sibi eripi? His se angustiis expediant me peritiores; hæc quippe conciliare viribus meis editius esse fateor, atque profiteor.

AN. XL. NUM. XVII.

Errores Baroniani de Lydda Urbe. Non incensa fuit belli exordio nobilis schola Lyddæ. Lydda Diospolis dicta, cui præfuit Ætius, Arii fautor acerrimus.

TOta hic errat via Conditor Annalium. *Est Lydda Civitas ad littus maris mediterranei sita, quæ ipso exordio belli Judaici a Cestio est incensa, restaurata denique appellata est Diospolis.* Quæ pauca verba afficiuntur errore: *exordio belli* incensam fuisse Lyddam, longe falsissimum. Missus a Cestio Cæsennius Gallus duodecimæ ductor Legionis, Latrones in montem Galilææ nomine Assamon vi adortus, eorum amplius quam duo millia trucidavit: Cestius vero primo in validissimam Galilææ civitatem, Zabulon, cumque offendisset eam civibus destitutam, supellectilem militibus diripiendam concessit; oppidum vero incendio delevit. Deinde, missa exercitus parte coepit & Joppen, cui similiter & faces subditæ. Post hæc Cestius in Antipatridem perrexit, ac Judæorum castra milites adorti, cum vicis circumpositis incenderunt. Ex Antipatride vero Cestius Lyddam profectus, cum vacuam viris eam offendisset, quod de Pentecoste celebranda Hierosolymam ascenderant, crepitante flamma cre-

crematur. Quæ a Josepho narrantur *l.* 2. de Bell. c. 22. & 23. Itaque Chronologia Baroniana de incendio Lyddæ, ab illa Josephi dissidet.

Cæterum, accurate lquendo Lydda civitatibus inseri non debuit. Nescius non sum a Josepho vocari ἄςυ, urbem, sed alibi phrasi exactiori usus, quid rei Lydda esset explicuit? Antiq. l.20. c.5. p.692. Κἀκεῖθεν εἰς κώμην τινὰ παραγενόμενος Λύδδαν πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν. Cumanus *inde profectus in vicum Lyddam, instar urbis amplum.* Civitas muris cingitur, vicus caret. Observatum ab Erudito Leigtfooto, *cum sederet Synedrium in Jabne, floruerunt Scholæ nobiles in Lydda, imo Scholas & Doctos suos habuit Lydda, cum Academia jam migrasset in Galilæam, & Scholaribus vacua lugeret Jabneh. Præfecturam Scholæ illic gessit Rabbi Akiba.* Hic Petrus sanavit Æneam. Ne hoc quidem de Lydda in Diospolim mutata, prætermittendum temporibus Arii Ætium hæretici fautorem pertinacissimum Episcopum habuisse. Teste ad Eusebium Nicomediensem Epistola, *& propterea quod Eusebius frater tuus Cæsariensis, & Theodotus, & Paulinus, & Athanasius, & Gregorius, & Ætius, & Orientales omnes dicunt Deum qui sine principio est praexistere Filio, anathema facti sunt.* Niceph. l. 8. c. 9. Theodotus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanasius Anabarzi, Gregorius Beriti, Ætius *Lyddæ, quæ nunc Diospolis* vocatur, exercebant Episcopos. Quæ de Lydda observationes forsan Lectoribus non displicebunt.

Lighti. Chror. p. 182

EXERCITATIO SEXTA.

ANNO XLI. NUM. I.

De Consulatibus Caligulæ errores Baronii complures. Falsum, Dionem scripsisse, post Consulatum Proculi & Nigrini, Caligulam quotannis Consulatum gessisse. Falsum, non omnes Caligulæ Consulatus a Dione notari; Falsum, ultimos notari a suffectis Coss. Alii levioris momenti errores. Antonius Pagius notatus. Lapsus circa cum Dionem, tum Suetonium. Suetonius ex Dione emendatur. Caligulæ 3.

HIc arcte & graviter dormitabat Chronologia Baroniana: *Annus 41 qui sequitur ordine temporis, a Dione consignatur Consulatu Caji Augusti iterum, & L. Apronii, Anno Caligulæ tertio.* Hactenus vigilabat: nam decessor Caligulæ Tiberius *obiit in villa Luciliana, octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperii decimo septimo Kal. Apr. Cn. Acerronio Proculo, & Caio Pontio Nigro Coss.* Suet. c. 73. Sed tandem Illustrissimi Purpurati oculos somnus oppressit. *Anno 790. ab U. C. post Consulatum Proculi & Nigrini, Caligulam deinceps quotannis Consulatum gessisse,* Dio memorat: quæ ut solide confutentur, ex ipso Dione ascribam Consulum indiculum:

An. U.C. 791. M. Aquila C.F. Julianus — & P. Nonius M. F. Asprenas.
792. C. Cæsar Germanicus 2 — & L. Apronius L.F. Celianus, sive Cestianus.
793. C. Cæsar. 3. solus.
794. C. Cæsar. 4 — & Cn. Sentius Cn. F. Saturninus.

Anno U. C. 791. Jul. 83. Dom. 38. Caligula Consul non processit, nec ordinarius, nec suffectus: quod luculente Suetonio, Dioneque autoribus comprobatur. *Consulatus quatuor gessit: primum ex Kal. Januariis per duos menses: secundum ex Kalendis Januariis per 30 dies: tertium usque in idus Januarii; quartum usque in 7 Idus easdem. Ex omnibus duos novissimos conjunxit.* Suet. c. 17. Sic vetus lectio, qua forsan deceptus Illustrissimus Purpuratus, in animum sibi induxit Caligulam, post Consulatum Proculi & Nigrini, deinceps quotannis Consulatum gessisse. At ex Dione Suetonius emendari debuit, veteri lectione in hanc mutata: primum Consulatum gessit *ex Kal. Juliis*; non vero, ut in antiqua lectione habetur, *Kal. Januariis.* Testem potentissimum suppeditamus Dionem: ἐψηφίσθη μὲν οὖν καὶ παραχρῆμα αὐτὸν ὑπατεῦσαι καταλυθέντων τῶν τε Πρόκλου καὶ Νιγρίνου τῶν τότε ἀρχόντων καὶ μετὰ τοῦτο καθ' ἔτος ὑπατεύειν. *Confestim Consulatus Proclo & Nigrino abrogatus, Caligulæ decretus est, utque eum quotannis gereret. Neque vero ea recepit, sed cum sex mensibus illi Consules fuissent, (ad hoc quippe tempus Consulatum acceperant) Caligula deinde* Con-

Consulatum iniit, assumpto Claudio patruo. Dio.l.59. p.644. Anno igitur U.C.790. Juliano 82. Dom. 37. Primum suum Consulatum gessit Caligula, postea quam Proclus & Nigrinus abierunt Magistratu, quem sex menses tenuerant, initio a Kal. Januar. ducto. Quid clarius? Quo consequens est, annum aperientibus Aquila & Asprenate, nullum hoc ipso anno gessisse Consulatum. Alioquin, non *quatuor*, ut ab Historiæ Romanæ Conditoribus perhibetur, sed quinque Consulatus gessisset Caligula. Sed & iterum fallitur Baronius: *Non omnes illi anni quatuor Caji Consulatu notantur a Dione, sed duo ultimi a suffectis Coss.* Annus quidem secundus imperii Caligulæ, ejus nomine non afficitur; sed nec affici potuit, cum Caligula Consulem non præstiterit exercueritque: sed tertius imperii annus & Caligulæ, & Apronii nomine insignis est. *Gesto per 30. dies Magistratu, ac sex mensibus L. Apronio Collegæ concessis, abiit Consulatu, successore Sabinio Maximo, tum Præfecto Urbis.* Dio.l.69.p.649. Porro, Anno U.C. 793. Jul. 84. Dom. 39. *Tertium Consulatum solus iniit Caligula, non ut quidam opinantur, superbia negligentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem Collegam rescisse absens non potuerat.* Suet.c. 17. quod ipsum & a Dione traditur: Καὶ διὰ ταῦτα ὑπατεύοντος αὐτοῦ τὸ τρίτον, οὐδεὶς τῶν Δημάρχων, οὔτε τῶν στρατηγῶν, ἀθροῖσαι τὴν γερουσίαν ἐτόλμησε: *Itaque eo Consule tertium, nemo Tribunus Plebis, aut Prætor, ausus est convocare Senatum; Collegam enim Cajus non habebat.* Solus igitur annum aperuit, nedum Consulatum suffectum gesserit. Quartum denique cum Saturnino in 7 idus Januarias gessit; quo exiguo temporis intervallo nulli suffectus est.

Tot sane mendis Baronianus ille articulus scatet, ut una litura coargui debeat: atque hæc in memoriam revocant omissum errorem Purpurati. Anno Christi 39. Caji, primo scripserat: *Fuisse dictum a Dione, imperasse Tiberium annis 22, mensibus quinque, diebus tredecim*, quod vero abest. Sic Dio: Μῆνας ζ' ἑπτὰ, καὶ ἡμέρας ἑπτὰ ἐμονάρχησε: *Imperavit annos 22, menses septem, ac dies totidem.* Differunt inter se, opinor, quinque, & septem menses; dies tredecim, & septem. Sed & alibi quem sectarium attendit Dionem deserit sæpius. Sic Claudii annus sextus, Christi octavus & quadragesimus, ascribitur a Baronio, Cajo Valerio Asiatico, & M. Valerio Messala Coss. Marsilanus a Dione. Sic Anno Christi 54. qui Purpurato

rato Silvius Otho, Dioni Salvius dicitur. Sed hæc ultima levia sunt.

Misso nunc Cardinali, ad eruditum Monachum convertam animum: dum carpit alios Criticus ille Antonius Pagius, in errorem & delapsus est: *Erravit*, inquit, l. 58. *qui ait Tiberium mortuum sexto Kal. Apriles.* An. 37. n. 2. fontes non inspexisse Criticum, extra dubitationis aleam ponendum est: Græca Dionis sic habent; οὕτω δὴ μετήλλαξε τῇ καὶ ἕκτῃ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ: *Mortuus est vigesima sexta die Martii.* An vigesimus sextus Martii in sextum Kal. April. incidit? Imo vigesimus septimus 6. Kal. sibi vindicat. Dionianis in fontibus nil ambigui, quippe qui Kalendarum Græcis incognitarum nomine abstinuere. Eodem numero hæc adduntur a Critico: *Caligula Kal. Juliis currentis anni Claudio patruo Collega consul processit, ut habet Suetonius in Cajo, c.* 17. Hoc ut simpliciter & ex natura sua verissimum, sic referri a Suetonio de *Claudio patruo* Caligulæ vero abest, cum hoc capite de Claudio ne μῦ quidem legatur.

ANNO XLI. NUM. III.

De Cornelii Centurionis Cæsaream habitantis vocatione ad fidem. Antonii Pagii de Cæsarea, prius Sebaste dicta, sententia, ex Josepho, Plinio, Eusebio refellitur. An condita Anno Urbis 732? Argumentum in Critici affirmantis opinionem. Cæsareæ maritimæ, non Philippi, Cornelius incola. Nomen Centurionis cum statuarum præfectis communicatum. Quot militibus constabat Centuria? 110. viros comprehendisse ex Vegetio ostenditur, qui & emendatur. Centurioni dotes requisitæ. An ad designandum Centurionem vitis ipsi dabatur. Clar. Casauboni affirmantis opinio, merito rejicitur. Cur primitiæ gentium ex Centurionum genere in Ecclesia colliguntur? Durior de Cornelii vocatione Chrysostomi phrasis. Religiosior Augustini sententia. De Marino & Centurione, & Cæsaream habitante observatio. An Centurio

turio cohortalis, vel Castrensis militiæ? De armata intelligendum esse Eusebium, contra Valesium ostenditur. Quid Lucæ σπεῖρα. An legio? Clarissimi Bezæ sententia rejicitur: Unde nomen Legioni Italicæ partum? An ex Italis quibus constabat: error Baronii circa Dionem de Legione ferrata. Gravissima solvitur difficultas, qui Cornelius Cohortis Italicæ Centurio habeatur a Luca, cum a Nerone Legio Italica nondum fuisset instituta, & post institutionem hyemaret in Mysia?

CÆsaream incolebat Cornelius, nobilis ille Centurio qui ad Christum adductus est. Porro, ut quantum eniti possum, Historiam erroribus purgem, principio de Cæsarea corrigendus mihi videtur Antonius Pagius, Appar. Chronol. n. 113. p. 27. *Quoad Præfecturam Syriacam Varronis, is Anno eam obtinebat Urbis 732, quo Sebastem jam conditam, Herodes Cæsaream appellavit, ut deducitur ex Josepho, de Bell. l. 1. c. 16. & lib. Antiq. c. 13.* An vera prædicat? Sebastem jam conditam, Herodes Cæsaream appellavit. Atqui, ni fallor, Sebaste, & Cæsarea urbes diversæ apud Josephum. Ἐν μὲν γε τῇ Σαμαρείτιδι Πόλιν καλλίστῳ περιβόλῳ τειχισάμενος ἐπὶ σταδίους εἴκοσι τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν. *Nam in Samaritica Regione oppidum muro pulcherrimo per viginti stadia circumdatum, Sebasten appellavit.* Nec Cæsarea, quæ olim Turris Stratonis dicebatur, Sebaste nomen habuit in Josepho, nec addito hoc nomine, ex Sebaste in Cæsaream mutata. Plinius l. 5. c. 13. *Stratonis Turris, eadem Cæsarea, ab Herode Rege condita... Intus autem Samaria oppida Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur, Sebaste.* Discrimen inter urbes accurate in Eusebiano Chronico observatum est. Olymp. 190. *Herodes Samariam olim jam cineribus sedentem, a fundamentis suscitans, in honorem Augusti Augustam, id est, Sebasten appellavit.* Olymp. 191. *Herodes Cæsaream in nomine Cæsaris condidit, quæ prius Turris Stratonis vocabatur.* Quid multa? Josephus de Cæsarea: *Cum autem inter maritimas civitates vidisset unam vetustate jam fessam, quæ Stratonos Pyrgos vocabatur, totam eam candido saxo reparatam, clarissima Regia repara-*

reparavit... Καίσαρι δὲ τὴν τιμὴν τοῦ κτίσματος Καισάρειαν γοῦν ὠνόμασεν: *Delato Cæsari Conditoris honore, civitatem Cæsaris nomine donavit.* (Joseph. de Bell. l. 1. c. 16.) Sebasten fuisse vocatam nullo vestigio reperio. Non incredibile est Procymatium, hoc est, molem Cæsareæ fluctibus oppositam, Augusti nomine fuisse decoratam: conjecturam faciunt hæc Josephi de Antipatro Herodis filio. Καὶ διαπέρασας τὴν Σεβαστὴν εἰς τὸν λιμένα τῆς Καισαρείας κατήχθη. *Cum pertransisset Sebasten, ad Cæsarea portum appulit.* (Idem c. 20.) Contra ostium portus, in colle Cæsaris Templum, in eoque Cæsaris Colossus, non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus est, ab Herode collocatus est.

An jam condita Cæsarea Anno Urbis 732. ut visum Critico, quæstio moveri potest, nec immerito. Annus ille cum 753ª. Olympiade conspirat, siquidem, docente ipso Antonio Pagio, *celebrata prima Olympias Anno tertio & vicesimo ante Romam conditam.* Per. Græco Rom. An. 4718. Quocirca, Anno Urbis 732. condita jam fuit Cæsarea, ab hoc anno ad quinquennale certamen ibi institutum in honorem Augusti, anni undecim interfuere. Πρῶτος αὐτὸς ἆθλα μέγιστα προθεὶς ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς ἐνενηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐν οἷς οὐ μόνον οἱ νικῶντες, ἀλλὰ καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοὺς καὶ οἱ τρίτοι τοῦ βασιλικοῦ πλούτου μετελάμβανον: *Primusque ipse in 192. Olympiade maxima præmia proposuit, ut non solum victores, sed & proximi, & tertii successores eorum Regalibus divitiis potirentur.* (Joseph. de Bell. l. 1. c. 16.) Quod insterstitium ludos inter institutos conditamque Cæsaream, magnum certe nimis est.

Hanc urbem Cornelius incolebat: ibi Romani collocaverant armatos in præsidiis; tum ut Judæorum animos ad seditiones & novarum rerum studia proclives, in officio retinerent, tum ut excursionibus Parthicis obsisterent. Fuit & in Palæstina alia Cæsarea, a Philippo in honorem Tiberii condita. Φίλιππος μὲν πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι Πόλιν ἔκτισε Καισάρειαν: *Philippus juxta fontes ipsos quibus Jordanis flumen exoritur, in Paneade condidit civitatem, quam Cæsaream vocavit.* Mutato, deinde, nomine a juniore Agrippa *Neronias* dicta: sed maritimæ Cæsareæ Cornelium inquilinum fuisse non ponendum in dubio.

Centurionis nomen non solis militiæ cultoribus additum, sed & statuarum cum marmorearum, tum æneարum præfectis imponebatur.

nebatur: hinc illud Marcellini l. 16. p. 69. *Sed specialiter Arbetionem insectabatur Dorus quidam ex medico scutariorum, quem nitentium rerum Centurionem sub Magnentio Romæ provectum retulimus accusasse Adelphium Urbi Præfectum.* De Centurionibus vetus est, multorumque animos pervadens opinio, centum illos imperasse militibus. Atque prima fronte a vero diffidere non videtur, ipso Flavio Vegetio teste, l. 2. c. 14. *Et habet una turma equites 32; huic qui præest Decurio nominatur. Ut enim centum pedites ab uno Centurione sub uno vexillo gubernantur; similiter 32. equites ab uno Decurione sub vexillo uno reguntur.* Sed his aliquid inesse mendi, a Doctissimo Stevechio monemur. *Primus hunc locum persanavi ope librorum veterum; restitui autem sic: Centum & decem pedites ab uno Centurione sub uno vexillo gubernantur. Desiderabantur enim hic in una Centuria decem Decani, qui singuli singulis contuberniis præerant. Vegetius eodem libro cap. superiori, ut decem militibus sub uno papillione degentibus unus præesset Decanus, qui caput contubernii nominatur.*

Ingenii porro corporisque dotes requirebantur in Centurionibus: *Centurio eligendus est qui sit magnis viribus, & procera statura; qui hastas, vel missilia perite jaculetur, & fortiter, qui dimicare gladio, & scutum rotare doctissime noverit; qui omnem artem didicerit armaturæ; vigilans, sobrius, agilis, magis ad facienda quæ ei imperantur, quam ad loquendum paratus.* Vegetius l. 2. c. 14. Quo circa, *nulli vitem nisi robusto, & bonæ famæ, dedisse Adrianum*, in ejus vita a Spartiano scripto proditum. Liceat hic mihi pauca referre ex Viris Clarissimis Casaubono, & Salmasio, quibus & Historia, & Centurionis munus non minimum illustratur. *De vite Centurionum omnia protrita; illud tamen, quod sciam, explicavit adhuc nemo: cur ut diverse ponantur hic a Spartiano, hæc duo; vitem dare, & facere centurionem. Ratio autem est, quia datio vitis, quasi designatio fuit ad Centurionatum, qui tunc postea obibatur, cum erat aliquis vacuefactus locus, morte unius centurionum, aut missione, vel regradatione, cum erant plures vite donati, pro movebatur is qui erat gradu propior, aut esset antiquior ejus loci canditatus.* Cui probando Illustris Casaubonus quem exscripsimus, utitur Eusebio, sibi ut videtur, prospero. Τιμή τις ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις τὸ Κλῆμα οὗ τοὺς τυγχάνοντας φασὶν ἑκατοντάρχους. τόπου σχολάζοντος ἐπὶ τοῦτο προκοπῆς τὸν Μαρῖνον ἡ τοῦ βαθμοῦ τάξις ἐκάλει. Ἤδη τε μέλλοντα τῆς τιμῆς ἔχεσθαι. Παρελθὼν Euf. l. 7. c. 15.

θὼν ἄλλος περὶ τοῦ βήματος κατηγόρει. *Honor quidem est vitis apud Romanos, quam qui adepti sunt, Centuriones dicuntur. Hic locus cum vacaret, Marinus ordine gradus sui ad eam promotionem vocabatur. Verum cum honore illo jam jam potiturus esset, quidam ad Tribunal accedens, Marinum accusare cœpit.* Casauboni observationem vexavit censura Salmasiana: *De vite autem Centurionum tam multa dicta sunt, ut quædam etiam dicta nolim; ut Doctissimo Viro ad hunc locum quam temere excidit, aliud esse vitem dare, aliud Centurionem facere, qui quasi rem novam nos docere voluit, dationem vitis esse veluti designationem Centurionatus, ad quem aditus tunc esset illi qui vitem gerebat, cum locus vacaret. Res sane nova, & ad discendum præclara, siquidem vera esset. Sed magis mirum quod scripsit, ut diversa poni hæc duo a Spartiano.* Fatendum quidem est, neque in Spartiano, neque in Eusebio, ullum esse Casaubono præsidium, de datione vitis, quasi designatione ad Centurionatum: *Nulli vitem nisi robusto, & bonæ famæ (daret Adrianus) nec Tribunum nisi plena barba faceret*, quæ Spartiani verba sunt, in quibus non magis quam in Eusebio apparent ulla dationem inter, & designationem, discriminis vestigia; ut non immerito urgeat, instetque Salmasius: *Quis in legitima militia, designatorum Centurionum meminit? Quo nomine vero dicebantur illi designati Centuriones? An milites vite castigabant? At hoc ipsum Centurionum proprium fuit, quibus propterea vitis in manu data verberando militi qui deliquisset.*

Salm. Notæ in Spart.

Non injucunda Quæstio movetur, cur ex Centurionum genere Gentium primitiæ in Ecclesia Christi colliguntur? Eo Cornelium militem cœlestem, & admirando modo ad fidem vocatum esse existimamus, quo clarior gloriosiorque Dei gratia fieret. Notum omnibus atque obvium, militari vitæ summam, ut plurimum, esse licentiam, horrendam morum corruptionem, nihil non audendi libidinem:

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Quod summus olim poeta cecinerat: & certo certius est, a pristinis moribus Romanos milites pridem descivisse. Majorem itaque admirationem habuit Cornelii pietas, quam immerenti Deus instillaverat, ex inexhausto benignitatis suæ fonte. Chrysostomus quidem de vocatione Cornelii verba faciens, Hom. in Ps. 115. dixit: *Si*

Pater

Pater trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat, quid peccant, qui neque tracti sunt, neque deducti, neque illuminati? Quoniam non præbent se dignos, ut eam suscipiant illuminationem. Vide ergo hoc evenisse Cornelio: neque enim hoc ille domi apud se invenit, sed cum Deus vocavit: quoniam ipse præoccupans seipsum dignum, etsi enim ejus est trahere & inducere, animam tamen requirit quæ morem gerat; ei tunc suum adhibet auxilium: quæ paulo duriora sunt. Religiosius Gratiæ divitias commendavit Augustinus, ad Sixtum Epistola 105. *Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant Pelagiani, si credant quod sine ullis præcedentibus meritis cujus vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit; parum attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato: ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur. Atque ibi potius acceptionem nullarum fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi Gratia subveniret.* Christi igitur favor secundus Cornelio bifariam fuit: & quod arcana Spiritus impulsu prævio, tacitam inspirarit pietatem homini non tantum Ethnico, sed etiam de illorum mortalium grege, qui frequenter nimis ea vitia quæ e natura habent, etiam studio atque artificio quodam malitiæ condiunt; & quod præ aliis quibus etiam aliquid pietatis instillaverat, Cornelium tam gloriosa vocatione dignatus est, ut Gentium salutem dedicaret.

Cæterum hæc illa Cornelii & Centurionis, & Cæsareæ inquilini, Religio, revocat ad memoriam & nobilem Centurionem, Marinum nomine, apud ipsam Cæsaream Martyrio coronatum. Felicem urbem, & pietate Virorum militari dignitate ornatorum insigniorem, quam amplitudine sua. Theotecnus, civitatis Episcopus, ad Marinum accedens, prehensa manu ad Ecclesiam perduxit; cumque interius ad ipsum altare eum statuisset, reducta tantisper ejus chlamyde, gladium illi quo præcinctus erat ostendens, mox sacrorum Evangeliorum Codicem ex adverso locat, jubens ut ex duobus utrum mallet eligeret. Marinus nihil cunctatus, protensa dextra Codicem cum apprehendisset, his eum verbis Theotecnus compellavit: Adhære igitur, adhære Deo ejusque virtute roboratus consequere quod elegisti? vade in pace. De Marini Centurionatu

Eusеb. Hist. l. 7. c. 15.

inter Eruditos non convenit. *Cohortalis militia hic videtur intelligi, ut ex sequentibus licet colligere: Fit enim mentio Achai judicis, & fori ac judiciorum; qua de armata & Castrensi militia dici non possunt. Certe si de armata militia hic sermo esset. Marinus coram duce, aut coram legato Casaris causam dixisset, Habebant autem ordinarii judices, etiam centuriones suos & cornicularios in officio suo.* Ab illa docti Valesii mea diffidet variatque sententia. Militarem centurionem satis aperte designat Eusebius. Μαρῖνος τῶν ἐν στρατείαις ἀξιώμασι τετιμημένων γένει τε καὶ πλούτῳ περιφανὴς ἀνήρ. *Marinus quidam militari dignitate decoratus, ad hac generis splendore, atque opibus clarus.* Cohortali-ne militiæ Vir tanta dignitate ornatus inferi debuit? De hujusmodi militia Valesius ipse sic censet, *Constat Tertullianum domo Carthaginensem fuisse, Patre Centurione Proconsularis officii: Qua quidem militia non admodum fuit honorata: Quippe cum ejusmodi milites nudum nomen militum haberent, reipsa autem Apparitores essent Proconsulum, & vilibus ministeriis fungerentur.* Nonne honor vitis apud Romanos germanis Centurionibus deferebatur qui militia castrensi meruerant? Quo jure cohortalis militiæ homo, Ῥωμαίων μετέχειν ἀξίας κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους, *Romanam dignitatem capessere secundum antiquas leges* postularet, atque peteret? Qua vero de causa Tribunal militare, δικαστήριον, & Achæus qui illud occupabat δικαστὴς dici non possit, nullus video. An-non Veteres omnem magistratum cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt? unde & Prætorium Tabernaculum, & in Castris porta Prætorici, & Præfectus Prætorio. Quidni quoque & *Achæus* δικαστὴς dici potuit, cum tristem in Marinum sententiam pronunciaverit?

Annot. in Euseb. l. 2.

Patriam Cornelii Centurionis quod attinet, in assuetas conjecturarum artes Baronius delabitur: *Centurionem vero e Romano nomine Romanum genere fuisse conjectura facile persuadet.* Quasi vero Claudius ille Lysias Tribunus militum, quæ dignitas major quam Cornelii fuit, sanguine Romano ortus esset! *Ego*, inquit, *multa summa civitatem istam acquisivi*. Act. 22. Hic ergo Baronius jecit talos tesserasque. Nobilis autem ille centurio erat ex σπείρας τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς: *ex cohorte qua vocatur Italica.* Clarissimus Beza vertere maluit ex legione, *quoniam in Romani imperii militia, & alibi,*

fit

ſit mentio Legionis Italicæ. Chryſoſtomus tamen, & ſecundum Chryſoſtomum Oecumenius, *σπεῖρα cohors eſt, quæ nunc vocatur numerus.* Sic Matt. 27. 27. congregarunt ad eum univerſam σπεῖραν cohortem, nec diſcriminis quod inter Cohortem & Legionem intercedit, Autores ſacri inſolentes fuere, cum ſæpius Legionis nomen uſurparint. In una Legione decem cohortes erant; quarum prima reliquas & numero militum & dignitate alias præcedebat; quocirca, Viri genere atque inſtitutione literarum inſignes, ipſi præficiebantur: ſed & aquilam quæ præcipuum Romani exercitus ſignum, & imagines Imperatorum geſtabat. Primæ cohortis Centurionem fuiſſe Cornelium, ejus cum virtus, tum nomen, utcunque innuunt.

Quæritur quid ſit, cum Cohorti *Italicæ* nomen inditum? Baronii reſponſio in promptu eſt, *non a Legione, ſed a natione inditum eſſe nomen, ut Italica diceretur; nec dubium ejus nationis illos fuiſſe milites, ex qua tota Cohors erat denominata, nempe, Italos.* Quod vigilantis ſomnium eſt. Num etiam tota Legio, cui *Italicæ* nomen, fuit conſtans ex Italis? Solis-ne ex Italis conſtabant Legiones a Marco Antonino inſtitutæ, quæ etiam *Italicæ* vocabantur? In Legione quidem Ferrata Cornelium militaſſe, cenſit Annalium parens: *quia, Dione autore, liquet Judæam ad hyberna fuiſſe traditam Legioni, Ferratæ vocabulo inſignitæ.* Sed germanus Dionis ſenſus abfuit a Purpurati oculis: *Alebantur eo tempore Legiones viginti tres, aut, quem alii numerum ponunt, viginti quinque; noſtro tempore ſolæ 19. reſtant.* ἕκτα δύο, ὧν τὸ μὲν ἐν Βρεταννίᾳ τῇ κάτω τὸ τῶν Νικηφόρον, τὸ δὲ ἐν Ἰουδαίᾳ τὸ Σιδηροῦν τέτακται. *Sextæ duæ, una in inferiori Britannia victrix, altera in Judæa, Ferreæ vocabulo inſignis.* Quod ævo Dioniano obtinebat, ad Neronis tempora a Baronio relatum eſt. Argumentis tamen cauſam ſuam viriliter defendit. *Poſt tempora vocati Cornelii, prima Italica, a Nerone, ſecunda & tertia a Marco Aurelio inſtitutæ eſſe noſcuntur.* Sed illuſtriſſimus purpuratus, tempus quo Lucas acta Apoſtolica exaravit, attendiſſe non videtur, imperante jam Nerone in lucem edita ſunt, hac teſte Clauſula. *Manſit Paulus biennium totum in proprio conductu.* Miſſus verò Romam fuit a Porcio Feſto, qui Felici ſucceſſor a Nerone eſt. Itaque etſi Legioni in qua centurionem agebat Cornelius, Italicæ

Dio. l. 55.

Italicæ nomen nondum gereret, cum ille vocatus est ad fidem, nil obstat quod eam Cohortem in qua militabat, *Italicæ* nomine designarit, quo jam donabatur cum scribendæ Historiæ Apostolicæ Lucas manum admovit. Jure longe potiori divinus Scriptor phrasim suam adhibuit, quam hanc Virgilius, *Lavinaque venit littora.* Addito *Italicæ* nomine, certis signis eam descripsit Legionem, cujus pars Cornelius fuit, quo major Historiæ fides adjungeretur. Est & aliquid difficultatis, quod cum veri specie a Baronio objici potuit. ὅτε γὰρ Νέρων τὸ πρῶτόν τε καὶ Ἰταλικὸν ὀνομαζόμενον καὶ ἐν τῇ κάτω Μυσίᾳ χειμάζων: *Nero Legionem primam Italicamque nuncupatam instituit in inferiori Mysia hyemantem.* Atqui nil obstat quod pars illa Legionis cui Nero imposuit nomen *Italicæ*, habitaret apud Cæsaream eo tempore quo Christi Religione Cornelius imbutus est, sive tota Legio exiret hyberna, sive Legionis pars aliqua distraheretur, quod non raro contigit: Suetonius in Augusto c. 49. *Neque tamen unquam plures quam tres Cohortes, in Urbe esse passus est Augustus; easque sine Castris, reliquas in hyberna, & æstiva circa finitima oppida dimittere assueverat.* Nec Legio, sed Cohors erat Hierosolymis, cujus Lysias Tribunus. ἀνέβη φάσις χιλιάρχῳ τῆς σπείρης: *pervenit rumor ad Tribunum Cohortis.* Act. 21. 31.

AN. XLI. NUM. V.

Baronii incuria circa discrimen δώματος *&* ὑπερῴου. δῶμα *solarium est,* ὑπερῷον *Cœnaculum: quæ inter se discrepant. Erasmus & Tremellius notati. Cur Petrus ascendit in solarium orando Deo? Facti ratio ex antiqua disciplina deducitur. Mandata Judæis data de oculis, inter orandum, templum versus dirigendis. Ritus causa aperitur. Spencerus refutatur. Cur Petrus orabat circa horam sextam? Id ex Judæorum antiqua disciplina manasse probatur multis. Ratio mysterii ex Cypriano. Ex certis, more Ebræorum, orandi temporibus deductæ horæ Canonicæ apud Christianos.*

ſtianos. An ab Apoſtolicis viris obſervatæ? Affirmantis Caſſiani ſententia inſigni Clementis Alex. loco refellitur: necnon ex ritu Ægyptiorum Monachorum. De orandi tempore aurea verba Clementis. An die Sabbati legati Cornelii Petrum convenerint? Ajentis Baronii opinio rejicitur.

GRæcæ Linguæ peritia Conditori Annalium multo uſui fuiſſet, atque emolumento: cujus ſane ignorantia laborans, & in errores labitur, & quæ diſtinguenda ſunt non ſatis accurate ſecernit. δῶμα & ὑπερῷον quæ inter ſe diſcrepant, Baronio idem ſonant; videlicet, *domus partem ſuperiorem*. At ὑπερῷον ſuperior & ſecretior pars domus eſt; ab ὑπὲρ & ῷον, quod Spartanorum lingua declarat domicilium, habitationem; δῶμα vero *ſolarium* eſt. Judaicarum domorum plana fuiſſe tecta, norunt vel pueri qui nondum ære lavantur. Hic meditabantur, ambulabant, aera ſerenum naribus captabant. Diſcrimen non obſcurum pate Luc. 5. ibi ferentes Paralyticum, aſcenderunt ἐπὶ τὸ δῶμα, *in ſolarium, & perfoſſo teſtaceo pavimento, demiſerunt eum cum lectulo in medium, ante Jeſum.* Aſcendit Petrus in δῶμα *ſolarium*, orandi cauſa. De ὑπερῴῳ Eutyches præ ſomno deturbatus eſt. Uſitatum erat Judæis cum de Lege, aut Religione diſceptarent, in Cœnaculum aſcendere. Ibi & Lucernæ & θυρίδες feneſtræ, quæ fruſtra quærerentur in ſolario, quod ſola Cœli convexa tegebant. Erravit itaque Eraſmus in ſua Paraphraſi, *Petrus ex more aſcenderat in cœnaculum*: nec ſimili de cauſa probanda eſt Tremelliana hæc libri Judith verſio, fecit ſibi tentorium ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ οἴκου, *in cœnaculo domi ſuæ.* 8. 5. Malim in ſolario, ut proſpectum verſus Templum ac in agros caperet. Sic corpus Dorcadis poſitum legitur in ὑπερῴῳ, non in δώματι, in cœnaculo, non in ſolario.

Diſcrimine inter utrumque verbum conſtituto, quæritur cur Petro ſua erat ſic ratio, & ſic animum inducebat ſuum ut in ſolarium aſcenderet orandi cauſa? Moſaico quidem jugo laxatum ſe Petrus noverat; interea, ut honorate, & honorifice Cæremoniæ ſepelirentur, ſcandalique occaſio omnis a Judæis ad jura Moſis attentis

tis removeretur, Petrus in orando super solarium, antiquam disciplinam coluit. Judæis datum in mandatis fuit, ut ubicunque terrarum agerent, inter precandum oculorum aciem versus Templum dirigerent. Quod genus officii, ne vel a deportatis extra Terram intermissum. *Cum plaga affectus fuerit populus tuus Israel coram hoste, eo quod peccaverint in te, si conversi ad te celebrabunt nomen tuum, & orabunt ac deprecabuntur te, versus Domum hanc, tunc exaudito e cælis, condonans peccatum populi tui*: 1 Reg. 8. 33. Nec Regia mandata, aut mortis imminentis timor, hoc ritu decedere Danielem impulerunt. More suo ingressus domum cujus fenestræ apertæ erant, e regione Hierosolymæ procumbebat in genua, adorando Deo. Quo, ni fallar animi, palam ostenditur, *præcipuam* instituti divini rationem, quamobrem ad certa loca Judæorum Sacra restringerentur, non eam esse, quæ ad sensum opinionemque Spenceri penitus penetravit: *Quid autem Deus legem illam; Quicunque e domo Israel mactaverit bovem, & ad ostium Tabernaculi non adduxerit eum, sanguis imputabitur illi viro: tam serio, tam frequenter inculcaret, ejus violationem tam moleste ferret, nisi quod eam velut obstaculum populo, in Idolatriam ruituro, objecisset?* Hanc, inquam, non esse vel solam, vel præcipuam instituti causam eo apparet, quod Templum versus, oculos ex omnibus locis circumferebant; imo ad Hierosolymitana rudera conjiciebant: quæ Ceremonia quid obstaculi populo in Idololatriam ruituro obiecerit, nullus video? Hic igitur ille ritus indicabat Christum, vivens, mysticumque templum, quod inter precandum attendi debet, Si Deum orationibus nostris non surdas aures præbere velimus. Idcirco, graviter peccabant Samaritani qui absque labe Idololatriæ, in monte Garizim vero Deo sacrificabant, quod Sacras illas imagines, Christum vivum verumque Templum, omnia nostra sanctificans, adumbrantes, contemnerent, ac pro nihilo haberent; quæ injuria prototypo inurebatur. Retenta adhuc veteri hac disciplina, Petrus ascendit in solarium, ut Templum adversus, oculos attolleret inter orandum.

Spen. l. 1. c. 6.

At qua de causa Sanctus ille Apostolus *orabat circa horam sextam?* Hic & antiquam observasse Judæorum disciplinam, cui a teneris unguiculis assuetus fuerat, mihi persuasissimum, Tria erant stata orandi tempora apud Judæos: mane, vespere, noctu: Hebraice, שחרית ערבית

ערבית.מנחה: . *Dicunt illas orationes suam originem ducere a tribus Patriarchis. Abrahamum instituisse precationem matutinam, sicut dicitur; & surrexit Abraham mane ad locum ubi steterat coram Domino: Isaac vespertinam; sicut dicitur; & egressus est Isaac ad orandum in agro, cum appeteret vespera: Jacob nocturnam, sicut dicitur;* ויפגע *hoc est, ut Rabbini explicant; & intercessit, vel oravit in loco illo.* Tria hæc tempora observaverat Daniel; imo ipse David eo antiquior: *Vespere, mane, & meridie, loquor & tumultuor, & exaudit vocem meam.* Ps. 55. 18. Matutina precatio incipiebat hora ipsis tertia, quæ nostræ matutinæ nonæ respondet: vespertina incidit in meridianam horam, vel circiter, quia sol tunc declinare in vesperum incipit. Quocirca oratio hæc תפלת צהרים *Precatio meridiana* vocatur. Oratio vero nocturna, hora nona, quæ nobis tertia est, fundebatur. Apparet atque extat, Petrum suas preces statis hisce horis illigasse, tenendo mori patrio & pervetusto; una cum Joanne ascendebat in Templum sub horam precationis nonam. Act. 3. 1. Meridianam vero orationem peragit in solario, qua hora ipsi legatio ad Cornelium injuncta est.

Buxtorf. Syn. Jud. c. 10.

Quodnam fuerit observatarum in oratione horarum Judaicarum mysterium, aperuit Cyprianus, de Orat. p. 197. *In orationibus vero celebrandis, invenimus observasse, cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores, horam tertiam, sextam, nonam; Sacramenta, scilicet, Trinitatis, qua in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit: itemque ad sextam 4ª. procedens, declarat alteram Trinitatem, & quando a septima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur.* Quid rei sit, *declarat alteram Trinitatem,* juxta scio cum ignarissimis. Ab antiqua hisce horis precandi disciplina, nondum deflexerant Judæi Epiphaniano ævo; hæc enim de Judæis, Nazaræos diris devoventibus, scripto prodidit, Hæres. 29. n. 9. *οὐ μόνον γὰρ οἱ τῶν Ἰουδαίων παῖδες πρὸς τούτους κέκτηνται μῖσος, ἀλλὰ ἀνιστάμενοι ἕωθεν, καὶ μέσης ἡμέρας, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν, τρὶς τῆς ἡμέρας ὅτε εὐχὰς ἐπιτελοῦσιν ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς, ἐπαρῶνται αὐτοῖς, καὶ ἀναθεματίζουσι, φάσκοντες ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ θεὸς τοὺς Ναζωραίους: Neque enim Judæorum posteri solum capitali odio prosequuntur, sed & mane, ac meridie, & ad vesperam ter de die cum*

in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos devovent, ac solemni imprecatione proscribunt: ac Nasaraeos, inquiunt, Deus execretur.

Tres illæ horæ orationi illigatæ, Canonicarum horarum extitere fons atque principium: Cassianus l. 3. c. 3. *Nec immerito hac specialius tempora religiosis sunt officiis deputata. In his si quidem promissionum perfectio, & Summa nostra salutis est adimpleta. Hora namque tertia repromissus olim per prophetas Spiritus Sanctus super Apostolos; in orationum officio constitutos, descendisse primitus comprobatur — Hora autem sexta, immaculata hostia, Dominus noster atque Salvator oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit — Eadem quoque Petro hora in excessu mentis vocatio Gentium omnium per submissionem vasis Evangelici delati cælitus, & purificatio omnigenum animantium in eodem consistentium, delata ad eum voce, divinitus revelatur, dicente ei: surge Petre, occide, & manduca — alio quoque loco, de eodem tempore in Actibus Apostolorum ita narratur: Petrus autem & Joannes ascenderunt in Templum, ad horam orationis nonam. Quibus liquido comprobatur, non immerito a Sanctis & Apostolicis viris, has horas religiosis obsequiis consecratas, a nobis quoque observari similiter oportere.* Ut ex his Cassiani longe certissimum est antiquam esse Canonicarum horarum disciplinam, & Judæorum ritibus ortam; sic ab Apostolicis viris observatam esse, ut sibi in animum inducit Cassianus, non existimamus. Qua de causa Petrus hunc orandi morem tenuerit satis superque diximus. Christianis vero Petrum injunxisse ad fundendas preces suas, tertiam, sextam, nonamque horam, aut Viros Apostolicos hanc coluisse disciplinam, nullis testimoniis secundi, tertiive seculi, ducimur ad consentiendum. Imo, argumenta in Cassianum suppeditantur ex Clemente Alexandrino; ut mirari satis nequeam, Viros doctissimos, nec Antiquitatis imperitos, scripsisse de horis a Petro orante observatis, *nihil hac in parte mutarunt Christiani*; quæ sententia insigni hoc Clementis Alex. loco refellitur atque coarguitur: Εἰ δέ τινες καὶ ὥρας τακτὰς ἀπονεμέμησιν εὐχῇ, ὡς τρίτην φέρε, καὶ ἕκτην, καὶ ἐνάτην, ἀλλ' οὖν γε ὁ γνωστικὸς παρὰ ὅλον εὔχεται τὸν βίον δι' εὐχῆς συνεῖναι μὲν σπεύδων Θεῷ. *Quod si nonnulli certas ac definitas horas constituunt precationi, ut verbi causa, tertiam, sextam, nonam: at is qui est cognitione praditus, per totam orat vitam, dum per preces suas cum Deo stu-*

Clem. Alex. Strom. l. 7.

studet versari. Notabilis est hæc Clementina phrasis, τινὲς *nonnulli*, tertiam, sextam, nonam horam constituunt orationi: quo constat & promptum est, paucorum hanc fuisse disciplinam, non Ecclesiæ totius, quæ dubio procul, ad eam adhæsisset, si vel ab Apostolis instituta, vel ab Apostolicis viris observata fuisset. Stata hæc precum tempora, Marcum, Petri discipulum, nec voce, nec exemplo suo, nobilem Alexandrinorum Ecclesiam, cujus conditor habetur, docuisse, argumento est, non solum testimonium Clementis doctissimi, & antiqui Alexandrini Presbyteri, sed etiam ritus Ægyptiorum Monachorum, qui sine horarum discretione, per totam diem cum operis adjectione, & orationibus jugiter insistebant, & Psalmis: teste vel ipso Cassiano, horarum Canonicarum magno alioquin Patrono. *Apud Ægyptios etenim hæc officia quæ Domino solvere per distinctiones horarum & temporis intervalla cum admonitione compulsoris adigimur, per totum diei spatium, jugiter cum operis adjectione spontanea celebrantur. Ita namque ab eis incessanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut Psalmorum quoque, vel cæterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omittatur, cui preces, & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt. Quamobrem exceptis vespertinis horis, ac nocturnis congregationibus, nulla apud eos per diem publica solemnitas, absque die Sabbati, vel Dominica celebratur, in quibus hora tertia Sacræ Communionis obtentu conveniunt; plus enim est id quod incessanter offertur, quam quod per temporis intervalla persolvitur.* l. 3. c. 2. de Canon. Cass. l. 3. c. 2. de Canon.

Ordinis gratia, statas orationi cum publicæ, tum privatæ horas constitui, facile largimur; imo necessarium est: sed pars nonnulla superstitionis est quod & Apostolorum hora sexta, & nona ex Mosaica disciplina, orantium exemplum adducitur ante oculos, & preces hisce horis conceptæ gratiores Deo esse credantur. In mandatis Christiano datum est: *Indesinenter orate*: Thess. c. 5. Aurea sunt verba Clementis Alex. Strom. l. 7. p. 503. *Universa autem Gnostici vita, tanquam quidam celebris ac Sanctus dies festus est. Atque ei quidem Sacrificia, sunt ipsæ preces, & laudes, & quæ ante cibum fiunt Scripturarum lectiones: Psalmi autem & hymni, dum cibus sumitur: Antequam autem eatur cubitum, sed & noctu rursus orationes,*

 per

Per eas se ipsum unit choro Divino, ex memoria continua in memoria æterna positus contemplatione — sed nec ea quæ fit ore, utitur verbosa precatione, ut qui quæ petere a Domino oporteat didicerit, in omni loco orabit, sed non aperte ut populo appareat. Quin vero & inter ambulandum, & in sermone, & quiete, & lectione, & iis quæ fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin si in ipsius animæ penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit, ille prope adest, eo adhuc loquente: Recte atque sapienter.

Incredibilis est ad investigandum diem quo, & divinitus Petro oblata visio fuit, & illum legati Cornelii convenere: Baronianarum sagacitas narium, An. 34. n. 244. *Fuisse autem eam diem Sabbatum, qua nonnisi hora sexta prandere liceret, illud in primis persuadet, quod tunc pararentur quæ apponenda essent mensæ, quæ videlicet die Parasceves, erant ad esum accomodata — quod insuper dicat Angelus ad Petrum; Surge, descende, & vade cum eis, nihil dubitans: & inferius, Lucas; Sequenti autem die surgens, profectus est cum eis; plane demonstrat illa ipsa die ob festum id facere minus licuisse.* Atqui vis odora Purpurati hic in mari venatur apros. *Factum est autem ut valde Petrus esuriret, voluitque capere cibum* παρασκευαζόντων δὲ ἐκείνων; *præparantibus igitur illis, incidit in eum mentis excessus.* An Judæi cibum die Sabbati præparassent? die Veneris parabantur quæ cibo erant festo Sabbati: quocirca Veneris dies dicitur παρασκευὴ, *Parasceve.* Mensam *sternunt* (verba sunt doctissimi Buxtorfii) *linteis mundis & albis mantilibus, quadris Cyathis, pulvinaribus, scamnis, & reliquis rebus necessariis ut Regina adveniens, Sabbatum nempe, omnia rite disposita & magnifice lauteque præparata inveniat. Panis mappa imponitur, & alio mantili tegitur in memoriam mannæ, quod ita descendit, ut rorem substratum, & superstratum habuerit.* Synag. Jud. c. 15. p. 299. Ciborum sane præparatio Sacro hoc die, districte prohibita: *Quies Sabbatum sanctum est Jehovæ cras: quod cocturi estis, coquite hodie; & quod elixaturi essetis, elixate.* Exod. 16. Nec παρασκευάζειν cibum, significat hesterna die parata alimenta apponere. Nauci non est, quod Petrus πρόσπεινος, *valde esuriens* fuisse dicitur, quo indicatur longo jejunio fuisse maceratum, quod disciplinæ Judaicæ non una consentit. Ineunte etenim Sabbato vespera Veneris, mensæ accumbebant: *Cui sal appositum sit, cum pleno vini cyatho, & duobus panibus mantelio tectis.*

tum

tum Pater familias priusquam aliquid comederet, vini cyatho accepto, Sabbatum consecrabat: deinde, laute cœnam agitabant. Denique, incredibile est postridie, quæ Dominica dies fuit, si Chronologiæ Baronianæ fides, Petrum iter confecisse ad urbem Cæsaream, cum solemnibus sacrisque conventibus dicata ea dies ageretur a Christianis, atque celebraretur.

AN. XLI. NUM. VII.

Quid rei sit linteum è cœlo demissum Act. 10. v. 11. An Patribus omnibus Ecclesiam significarit? Temeraria ajentis Baronii refellitur ex Chrysostomo, Cassiano, Gregorio Magno, aliisque. Lapsus Purpurati circa Augustinum sententia. Linteo Ecclesiam, sive internæ, sive externæ formæ respectu, non significari, probatur. Animalia immunda Gentium effigies, quod ex Scriptura, Clemente Alex. & Augustino, declaratur. Linteum status Ethnicorum in peccatis mortuorum symbolum. Quænam mactatio Petro mandata? Qui manducavit immunda? Spencerus notatus. Jocularis Bellarmini verborum, macta & vescere, *interpretatio.*

ORanti Petro objicitur ante oculos descendens ad se vas quoddam, ut linteum magnum, quatuor extremis devinctum, quod demittebatur in terram, in quo erant quævis quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia, & volucres cœli. Quid rei fuerit illud mysterium, sic aperuit Baronius: *Per linteum, quod tinea non corrumpitur, & nitore splendet, Ecclesiam significari, non habentem maculam, neque rugam, Ambrosius, Augustinus—ac cæteri, denique, Patres sunt interpretati; eadem quoque Cyrillus Alex. Gregorius, & alii.* Videte quo vultu, qua confidentia hæc dicantur a Purpurato; *At cæteri, denique, Patres.* Hem cæteri Patres! atqui hoc non dixit Chrysostomus, non minorum gentium Pater, cui linteum *Ecclesiam non significat.*
Quidnam

Quidnam hoc est inquit facundus ille Chrysostomus? *Symbolum totius Orbis fit — hoc videtur quidem ad illum dici; totum autem Judæis dicitur. Nam si magister increpatur, multo magis hi. Itaque linteum, hoc est, terra: Bestia autem in illa, Gentiles: Macta vero & comede, quod ad illos accedere oporteat; tertio autem fieri Baptisma significat.* Hom. 22. in Act. Jam vero *terra*, ni fallor, non est *Ecclesia*. Oecumenius, qui sæpius Chrysostomum vestigiis insequitur, geminam mysterii explicationem affert: Τὸ δὲ φανὲν σκεῦος τὸν παχύτερον κόσμον σημαίνει ἢ ἵνα σαφέστερον εἴπω σινδὼν ἡ Ἐκκλησία: *vas autem apparens crassiorem designat mundum — aut ut apertius dicam, sindon est Ecclesia.* Sed tandem se applicat ad Chrysostomum: Γῆ μὲν ἡ Σινδὼν, τὰ δὲ ἐν αὐτῇ θηρία, οἱ ἐξ ἐθνῶν: *terra quidem sindon est; Bestia vero quæ in ea erant, Gentes sunt.* Non dixit Cassianus per linteum significari
Cassian. l. 3. c. 3. de Canon. Ecclesiam: *Quod vas quatuor initiis de cœlo submissum non aliud quam Evangelium designare, manifeste cognoscitur. Licet enim quadriforme Evangelistarum narratione distinctum, quatuor videatur habere principia, unum tamen Evangelii corpus est, ejusdem, scilicet, Christi nativitatem, pariter & Deitatem, miracula quoque, passionemque complectens.* Non dixit Gregorius Magnus, l. 33. Moral. c. 16. quem testem suppeditavit Baronius: *Quid enim significatur per linteum sindonis* (verba sunt Gregorii) *nisi subtilis intextio Sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa Fidelium spe superna refovetur; unde & Petro animalia in linteo demonstrantur, quia peccatorum animæ misericorditer aggregata, in blanda fidei quiete continentur.* Non dixit Cyrillus, vel potius Origenes in Levit. l. 7. qui multa quidem de animalibus, eorumque occisione habet, de lintei vero significatione verbum quidem non habet. Hoccine, *cæteri*, *denique*, *Patres*? Quin etiam Baronius nonnihil peccavit in Augustino, cujus sententiam indicat lib. de diver. Serm. ubi laudata verba desiderantur: sed reperiuntur libro 50. Homil. Hom. 45. Castigata Baroniana temeritate, ad mysterii enodationem explicationemque nunc procedendum.

Quicunque in linteo aut Ecclesiam, aut Evangelium designatum fuisse existimant, rem acu tetigisse non videntur; cum huic explicationi, aliquid rationis obsit: animalia quippe non sunt Ecclesia, hoc est, homines illi impuri qui nil nisi terrena capiunt, & curant.

Conſtat corpus Chriſti membris vivis & Deo plenis, non immundis mortuisque. Sed nec Eccleſia ſecundum formam externam, quæ utrumque mortalium genus, Reproborum, Electorumque nimis ſæpe complectitur, Linteo deſignari poteſt, cum vel hypocritæ; qui ſibi fidei larvam imponunt, in Eccleſiam non introducantur, niſi prædicato Evangelio, quod nondum Gentibus auditum, antequam Petrus occidere, & edere juberetur. Profecto, ſi vox Cæleſtis Apoſtolo mandabat, ut ad Religionem Chriſti amplectendam Ethnici invitarentur, hactenus extra Eccleſiæ lineas conſtitutos pernegari neque debet, neque poteſt: alioquin fuiſſent in Eccleſia, antequam, ſuſcepta Religione, ad Eccleſiam acceſſiſſent.

Alia igitur in ſententia verſamur: nulla apparent in Linteo pura mundaque animalia: impura, immunda omnia, quæ apte atque concinne, Gentes Dei expertes, & a Republica Iſraelitica alienas, ſignificant. Petro peccatores dicuntur ἄλογα ζῶα φύσικα; *animantia rationis expertia*, quæ naturali cœcoque animi affectu feruntur in delectabilia corporis. Binis conditionibus, ut omnibus obvium, ab immundis munda diſtinguebantur: *Quidquid habet ungulam ſciſſam, & revocans ruminis cibum, ex quavis beſtia, illud comedetis.* Quod myſterium non illepida explicatione Clemens Alex. aperuit Stromat l.3.p.188. Πᾶν γὰρ διχηλοῦν καὶ μαρυκώμενον, καθαρόν ἐστιν. Ὅτι τὸ διχηλοῦν δικαιοσύνην ἐμφαίνει τὸν ἰσοστάσιον, μηρυκάζουσαν τὴν οἰκείαν δικαιοσύνης τροφὴν τὸν λόγον. *Quidquid enim biſidam habet ungulam & ruminat, eſt mundum: quod biſidam enim habet ungulam, juſtitiæ oſtendit æquilibrium: quod ruminat autem proprium juſtitiæ nutrimentum, nempe verbum, quod extrinſecus quidem ingreditur per Catecheſim, quemadmodum nutrimentum: ex cogitatione autem, tanquam a ventre ad, rationalem reminiſcentiam intrinſecus revocatur. Ruminat autem juſtus ſpiritale nutrimentum cum verbum habet in ore.* Clementi conſentit Auguſtinus l. 6. contra Fauſtum: *Non revocant cibum ruminis illi qui etſi libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his non cogitant.* Verbum Dei cibus animæ eſt, de quo meditate cogitandum; quod a Rege Davide factum, qui diurna nocturnaque cogitatione Dei Legem revocabat in animum. Linteum ſtatum Gentium videtur ſignificaſſe: ὀθόνη & ὀθόνιον quandoque cadaueris indu- 1 Petr.2.12.

menta

menta designant: *Acceperunt corpus Jesu, & obvinxerunt illud ὀθονίοις, Linteis*: Joan.19.n.20. Mortui, porro, Gentiles in suis peccatis teterrimum exhalabant odorem, non secus ac putrida cadavera. Illigatum quatuor angulis Linteum, ostendit statum illum coecum non esse casum, regentisque Numinis expertem; sed & hic suas partes curare Providentiam, nonnulla Spiritus vi atque efficacia prohibentem ne gens humana effusis habenis rueret. Per vetitum nefas, omni virtutis & vitii confuso discrimine. E Coelo vas demittebatur in terram, ostendendo ad Gentes Legationem Petrum obire, auspice Deo. Admirante Petro quid hoc spectaculam sibi vellet, sonuit vox: *Surge, macta, & vescere*, quo indicaretur disciplinam Mosis, qua immundorum animalium Judæi prohibebantur, tandem abrogari, ut Gentes Hebræique suavissima Religionis communicatione copulati, colerent inposterum amicitiam, animorumque conjunctionem; quæ non inconcinne usurpati alimenti similitudine designatur. Itaque, tenera illa Christi & Fidelium coagmentio, arctissima illa copulatio, cibi & potius notione consignatur in Scriptura. Mactabat Petrus gladio Spiritus, sacrificans Ethnicos Deo: vescebatur, cum illos sibi fide & Religione conjunxit; ut bini olim populi longissime diversi, in unum corpus coalescerent, eodem veluti sanguine perfusum, mente eadem agitatum.

Spencer. l. 1. c. 5. Gratulor hic Erudito Spencero, qui a mysticis interpretationibus maxime abhorrens, hæc tandem scripto mandavit: *Deus animalia quadam munda, quadam immunda pronunciavit, ut Judæos quidem mundos, Gentiles hic immundos esse, mystice significaret— Postquam enim S. Petrus Oraculum illud coelitus immissum accepisset, statim infert; ostendit mihi Deus ne quem hominem communem, vel immundum vocarem.* Recte; sed hac concessione Viro Docto gravissimum infligitur vulnus, cum causas Mysticas rationi, Scripturæque non minus illa explicatione quam admittit consentaneas, cum fastidio sæpius spernat, atque rejiciat. Cæterum, omnes Pontifici Romano obnoxios nugis suis atque facetiis superavit Bellarminus; *Capitis est*, inquit, *manducare, & per manducationem trajicere cibum in stomachum, & illum sibi incorporare: significatur enim hac metaphora, Petro convenire ut, tanquam Caput, infideles convertat.* Hem! capitis

pitis est manducare; atqui hactenus putaveram id officii esse oris. Sed nec in his, *macta, & vescere*, Augustinus viderat Ecclesiæ Caput: *Quod autem dictum est Petro, macta & manduca, hoc significatum est quod Ecclesia Catholica omnes qui in Christum credunt prius occisura est, & postmodum manducatura: hoc est, occisura esset infidelitatem, ut postea insereret fidem.* Hom. 45. in 50. Hom.

AN. XLI. NUM. IX.

An Cornelius Cæsareæ Episcopus? Martyrologii Rom. sublesta fides, quod argumentis docetur. Quem Zachæo sufficiunt successorem Constitutiones Clementinæ, a Cornelio Centurione diversum esse, ostenditur. Fictus ille Episcopatus refellitur ex Eusebio, Hieronymo, ratione.

NEscio quo fato Viri aliquanto illustriores apud Scripturam, sive Togæ, sive Militiæ munus exercuerint, mutati sunt in Episcopos. Lazarus modo Citiensem, in Cypro; modo Massiliensem, in Provincia, præstat Episcopum; quem, ut mea memoria est, primus ante omnes Latinos Honorius Augustodunensis Episcopali titulo ornavit; ac secundum Honorium Reinerius contra Waldenses, omisso loco cui Pastor impositus est. Josephus nobilis ille Decurio, ex Judæa navigavit in Britanniam, exercendo Episcopatui apud Barbaras gentes, toto Orbe divisas. Crescit Baronio Episcoporum numerus, ense Cornelii Centurionis in pedum pastorale converso. *Porro, factum fuisse, sed post Zachæum, Cornelium Episcopum Cæsariensem, Romanum Martyrologium testatur; quod & apud Clementem legitur: licet sine autore alibi feratur creatus Episcopus Ilii.* At Martyrologii autoritas apud Eruditos non plurimum valet. Quæ ad Divi Cypriani Martyrii Acta observavit Amplissimus Rigaltius, fidem Martyrologii non minimum levant: *Multa alii pro captu quisque suo adjecerunt, aliena seculo, aliena seculis; quædam etiam detraxerunt valde bona; ut jam pauca supersint, quæ præstare possimus sincera.* Illi quibus veritas est cordi, hodie fidem non addent dicto martyrologii,

Mart. 18. *Nicomediæ* 51. *decem millium Martyrum, qui pro Christi confessione gladio percussi sunt.* Hem: decem millia gladio percussi! Hæccine strages Lactantium latere potuit? *Potentissimi quondam Eunuchi necati per quos Palatium & ipse constabat. Comprehensi Presbyteri, ac Ministri, & sine ulla probatione, ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti: nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur; domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur.* Quibus apparet paucos *gladio* fuisse percussos.

Subditus Constitutionum Autor l. 7. c. 46. *Cæsareæ Palestinæ primus ordinatus est Zachæus, olim Publicanus; post eum, Cornelius; tertius, Theophylus.* An Cornelius ille Centurio fuerit, nec dicit, nec certis signis descripsit. Commune multis *Cornelii* nomen fuit: Antiochenis Præsulibus Cornelius inseritur, Euseb. Hist. l. 4. c. 20. τετάρτου μὲν τῶν ἐκεῖσε μετὰ Ἥρωνα κατάσταντος Κορνηλίου: *quippe Cornelius, Heronis successor, quartus ab Apostolis eidem Ecclesiæ præsederat.* Ex milite Cornelius Centurio si Præsul fiat, mallem Antiochenæ, quam Cæsariensi Ecclesiæ imponi; cum germana Antiquitatis monumenta nullum Cæsareæ Episcopum, nomine Cornelium, hisce temporibus exhibeant. Concedatur ergo post Zachæum Cornelium quendam Cæsariensem egisse Episcopum, an satis pro Cornelio Centurione recte conclusum videtur? Minime gentium. Argumentoque est, quod discrimini faciendo, *Centurionis* Epithetum non sit additum: ut Zachæum certa *Publicani* Nota, sic Cornelium non obscuro *Centurionis* signo Pseudoclemens ille descripsisset. Vim intendit argumenti, quod Metaphrastes, cui Clementinæ Constitutiones erant probe notæ, diversum a Centurione Cornelium intelligat, cum Centurionem à Petro baptizatum Iliensi Ecclesiæ præficiat, ex Traditione ævo hoc obtinente. Nutat ergo, iterumque nutat Episcopalis Cornelii Centurionis Sedes, ni in stabiliori loco ejus fundamenta locentur.

Multa, porro, fide evertunt fictum hunc Episcopatum: Martyrologii verba sunt: *Cæsareæ in Palæstina,* passio *Sancti Cornelii Centurionis, quem Beatus Petrus Apostolus baptizavit, & apud præfatam urbem Episcopali honore sublimavit.* Gemino igitur ornamento & Episcopi, &

Mar-

Martyris, insignis Cornelius procedit. Fingemus-ne animo & cogitatione Eusebium, qui paulo illustriorum Episcoporum & gesta, & mortem ad memoriam sempiternam commendavit, silentio prætermissurum esse Cornelium, decessorem ejus, si martyrologio fides? Quæ felicior occasio fuit & pastorale munus, & mortem Cornelii in Annales referendi, quam illa quæ Eusebio data fuit, l. 2. Historiæ c. 3. *Cum ergo Dei Gratia jam in reliquas quoque nationes se diffunderet, primusque in urbe Palæstinæ Cesarea Cornelius cum universa familia, visione quadam divina, Petrique ministerio fidem in Christum esset amplexus.* Addi huc congruum non modo, sed pene necessarium fuit, actum Episcopatum, gloriosamque pro Christo mortem oppetitam. Profecto, ambo hæc incredibilia sunt, & Eusebium illustris Martyris, Episcopique cui successerat insolentem fuisse, si revera Martyrem Episcopumque egerit; & silentio prætериisse, si noverit. Eusebio accedat Hieronymus, cujus hæc leguntur in Paulæ Epitaphio: *Mirata ruinas Dor, Urbis quondam potentissimæ, & versa vice Stratonis Turrim ab Herode Judæa in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelii domum Christi vidit Ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor Virginum Prophetantium.* Minus etiam credere est, ut de Virginum Prophetia, sic de Episcopatu Cornelii mentionem non agitasse Hieronymum, si quæ a Martyrologio & Romano, & Adonis de Cornelio narratiuncula scripto prodita est, jam opplevisset Ecclesiam. Denique, non sane quadrat, Cornelium ethnicum origine, & a circumcisione alienum, Ecclesiæ præcipue ex Judæis constanti, Pastorem fuisse impositum: cum vel ex recutitorum grege qui Christo nomen suum dederant, disciplinæ Mosaicæ pertinacius adhærerent, non sine aliquo Gentium fidelium contemptu, qui discordiæ faces frequenter subdidit, ad faciendum incendium. Ecclesias Judaicas Circumcisos sibi imposuisse Episcopos, docent monumenta Antiquitatis: Euseb. l. 3. c. 20. de propinquis Servatoris Τοὺς δὲ ἀπολυθέντας ἡγήσασθαι τῶν Ἐκκλησιῶν: *illos vero ad hunc modum dimissos, Ecclesiis post hac præfuisse narrant.* Epiphanius, Hæres. 70. n 16. ἅμα δὲ καὶ πεντεκαίδεκα Ἐπίσκοποι γεγόνασιν ἐκ περιτομῆς: *Porro, quindecim e Circumcisione Episcopi fuerunt, idque Hierosolymis.* Cujus dubio procul ad exemplum, vicinæ urbes Palæstinæ tunc componebantur. Itaque, cum eligendorum Episcoporum facultas Ecclesiis tum compete-

 ret,

ret, ad veri similitudinem non accedit quod repudiatis suo sanguine cretis, circumcisis, disciplinæ quam tenebant addictis, Cornelium, præputio gaudentem, tot Judæis pietate insignibus, Cæsariensis Ecclesia antetulisset.

AN. XXI. NUM. II.

De Cerintho: utrum in Petrum concitæ ad baptizatum Cornelium litis Autor fuerit? affirmantis secundum Epiphanium Baronii sententia reiicitur. 1°. Nullus præcipuus seditionis incentor fuit. 2. Sibi non consentit Epiphanius. 3°. Pugnat cum antiqua Chronologia. 4°. Affingit ea Cerintho, quæ cum Judæorum moribus pugnant. An ille ipse Cerinthus, motæ apud Antiochenam Ecclesiam seditionis, de Circumcisione Gentibus imponenda, Autor fuerit? Communis opinio refellitur 1°. ex Scriptura. 2°. ex vi indita Apostolis discernendi Spiritus, qui ducem turbarum infamia notassent, 3°. ex disciplina Pharisæorum Cerinthi moribus adversante, 4°. ex amore Pharisæorum erga Legem Mosis, quam ex parte Cerinthus rejiciebat. 5°. ex Chronologia. Utrum lavantem Cerinthum, vel Ebionem Joannes Apostolus fugerit? vero similiorem esse Epiphanii quam Irenæi narrationem, ostenditur. Ex subdita Pii Epistola Baroniana Chronologia dissipatur.

INviso dente Baronianam diligentiam non carpo; imo, majorem in colligendis Antiquitatis monumentis dari non potuisse, fateor atque profiteor. Hoc dolendum, quod non satis acri judicio Traditiones expenderit. Audito Cornelium ad Christi fidem fuisse perductum, cum Petro tunc Hierosolymitani litigarunt; *dicentes, ad viros præputium habentes introisti, & una edisti cum eis*: Act. 11.

Quis,

Quis-nam fuit horum omnium *inventor*, *& instigator*, verba sunt Purpurati, *nullus quidem Apostolorum*, *sed qui post Simonem primus omnium fuit Hæresiarcha*, Cerinthus: *id sane Epiphanius testatur.* Ut longe verissimum id esse dictum Epiphanii, sic motæ seditionis in Petrum, Cerinthum egisse ducem, pace Epiphanii, vero non est simillimum. Nec tam levi argumento, audacter a Purpurato affirmari debuit, primas partes Cerinthum egisse in litibus quas Hierosolymitani in Petrum intulere. Hanc in Traditionem Epiphanii nos hostes intendimus, eo acrius quod illam opinionem ab Epiphaniano fonte in Commentaria Eruditorum manasse, certe & certo novimus.

Scripturam quod attinet, Hierosolymitani tumultus certus incentor, duxve nullo vestigio in ea reperietur. Neque profecto necesse fuit ut turbator aliquis Hierosolymitanos conjiceret in tumultum, cum liti movendæ satis virium habuerit hinc zelus Judæorum, illinc antiqua consuetudo qua Petrus ipse turbatus fuerat: *Vos scitis judæo nefas esse propius adjungere se, aut accedere ad alienigenam.* Act. 11. Nec furore impio, sed amore Legum, conjecta in tumultum Hierosolymitana Ecclesia. Quocirca, subito compressa seditio est, postea quam introspecta fuit voluntas Dei, cui suam litigantes accomodavere: *Quieverunt, & glorificaverunt Deum: dicentes, nempe, etiam Gentibus resipiscentiam dedit.* Act. 11. 18. Quid hic facem seditionis redolet? Similiter Antiochenæ seditionis dux alios supereminens, nullus apparet. Non igitur Cerinthus: *descenderant quidam ex Judæa.* Nec egebant duce aliquo qui turbarum faces ipsis subderet, cum jam satis amore disciplinæ Mosaicæ accenderentur, ac præcipue Dei oraculis circumcisionem *Dei fœdus* esse, masculum incircumcisum *extindendum* fore perhibentibus; quæ prætendebantur errori.

Facti dux aliquis fuerit; an Cerinthus? multa repugnant. Primum omnium Epiphanius non sibi consentit, quæ in testem legitima exceptio est. Narrata quippe Carpocratis nefanda hæresi, hoc addit, Κήρινθος δὲ αὖθις: *sequitur Cerinthus.* At si Carpocratem Cerinthus excipit, qua ratione incentor esse potuit seditionis in Petrum excitatæ. Ut Anno Dom. 39. dux fieret seditionis, prudentia, auctoritate, ætate maturus esse debuit. Carpocras autem

tem

tem ad ætatem usque Antonini pervenit. Clem. Alexandrinus Strom. l. 7. p. 549. *κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ Βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντονίνου τοῦ Πρεσβυτέρου διετεῖναν ἡλικίας· inferius autem circa tempora Adriani Imperatoris, fuerunt qui hæreses excogitarunt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris.* Quos hæreticos inter, Basilides & Valentinus eminebant; his coevus Carpocras, teste Eusebio secundum Ireneum, *γράφει δὲ Εἰρηναῖος συγχρόνισαι τούτοις Καρποκράτην ἑτέρας αἱρέσεως τῆς τῶν Γνωστικῶν ἐπικληθείσης Πατέρα: sed & Carpocratem quendam iisdem vixisse temporibus scribit Irenæus, alterius Sectæ, quæ Gnosticorum dicitur, conditorem.* Euseb. Hist. l. 4. c. 7. Itaque, si Carpocratem excepit Cerinthus, quod ab Epiphanio perhibetur, floruerit imperante Antonino Pio, centum post annos quam in Petrum seditionem conflasse dicitur: quæ Chronologia non capit fidem. Certe homo qui centesimum & trigesimum annum evasit, iis & corporis & animi viribus non pollet, quæ excogitandi hæresibus, discipulisque suo errore imbuendis, sunt idoneæ.

Nec Epiphaniana Chronologia de Cerintho, Carpocratem excipiente, ab illa quæ Patrum fuit, variat atque diffidet. Sic Tertullianus de Præscript. c. 41. *Post Carpocratem Cerinthus erupit.* Nec vulneri remedium sua solertia Pamelius attulit, n. 312. p. 381. *Istud intelligendum; ut post non ordinem temporis, sed narrationis significet, cum multo ante, & sub Apostolis eruperit Cerinthus. Nam in primis Philastrius & Epiphanius dicunt a Cerintho seditionem motam, dicentes, Gentes debere circumcidi; contra quam hæresin decretum promulgatum est in primo Concilio Hierosolymitano.* Siccine, Pameli, tam facile prisca Chronologia dissipatur ac disturbatur? non unus Tertullianus, sed Irenæus, sed Clemens Alexandrinus, sed Philastrius, quem testem excitas, sed Augustinus, sed Theodoretus, sed Isidorus, nominibus aliorum recensendis temperandum, ne Lectori fastidium creent atque molestiam; illi omnes, Pameli, Carpocratem Cerintho præponunt, ut nulla historia sit, aut Chronologia in monumentis Antiquitatis, quæ majore aut robustiore cingatur autoritatum præsidio. Profecto, error Cerinthianus, cum sanie Carpocratis adeo conspirat, ut ovum ovo non sit similius. Ambo dixere esse quidem unum universorum Deum, qui tamen non sit mundi Creator: ambo dixere con-

ditum fuisse mundum a separatis quibusdam Potestatibus, Deum nescientibus. Ambo prædicarunt Jesum natum esse secundum naturam humanum ex viro & muliere; temperantia autem, & justitia excelluisse. Quibus colligendum videtur, Cerinthum progeniem Carpocratis esse, aut Cerinthi Carpocratem. Atqui, Patres qui ad Hæreticorum tempora propius accessere, ætate paulo majorem Cerintho fuisse scripto prodidere. Quæ Chronologia subvertenda non est, ut fides narranti Epiphanio, Philastrioque quæratur, de Cerintho Ecclesiæ Apostolorum turbatore. Reiicienda potius est illa Narratiuncula, quæ cum Chronologia tam constanti discrepat, non vero Chronologia respuenda, ut fides astruatur Narratiunculæ a solo Epiphanio & Philastrio proditæ: quanquam Philastrius de lite ob Cornelii Baptismum a Cerintho in Petrum concita, nil habet; hoc tantum habet; *Cerinthus sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens, debere circumcidi homines; cujus causa contra illum & hæresim ejus decreverunt de suis Apostoli sententiam, non debere jam homines Judaismo, id est, Circumcisioni, aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de Gentibus venientes, credebant in Christum.* Grave in hanc Epiphanii Philastriique Traditionem argumentum est, quod Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Philastrio Epiphanioque antiquiores, hujusce Traditionis insolentes fuerint; qui vero juniores Epiphanio Philastrioque, Augustinus, Theodoretusque, illam, veluti a veri specie diffidentem, omiserint.

Denique, nec Cerinthi nomen Judaicum quid sonat, nec ejus facta cum Hebræorum moribus conspirant. *Cerinthus cum in Ægypto plurimo tempore esset versatus, & in Philosophicis scientiis esset eruditus, venit postea in Asiam, & suos discipulos ex suo nomine appellavit.* Quæ Theodoreti verba sunt, l. 2. Hæret. fab. Hem! hominem & Judæum, & Hierosolymitanum Ægyptum petiisse, in eaque multis annis constitisse addiscendæ Idololatrarum sapientiæ? An deerat Hebræis sua Philosophia? numquid in scholis, Sapientibus, Rabbinis non abundabant, ut Cerinthus ab Ethnicis, quibus non familiariter utebantur Judæi, scientiam hauriret? Cerinthus, scilicet, ægre tulit Petri momentaneum cum Cornelio commercium, & se in Ægyptiorum disciplinam ad multos annos tradidisset? Hæccine conspirant? Si Philosophiæ adeo cupidus erat Cerinthus, facile animum explere

potuit in Judæa. Τρία γὰρ παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται: *tria sunt apud Judæos genera Philosophiæ.* Imo, Judæis præ sua fordebat Ethnicorum sapientia: audiatur Josephus: Καὶ Χοιρίλος μὲν οὖν μέμνηται ἡμῶν. Ὅτι δὲ οὐ μόνον ἠπίσταντο τοὺς Ἰουδαίους, ἀλλὰ καὶ ἐθαύμαζον ὅσοις αὐτῶν ἐντύχοιεν οὐχ οἱ φαυλότατοι τῶν Ἑλλήνων, ἀλλ' οἱ ἐπὶ σοφίᾳ μάλιστα τεθαυμασμένοι ῥᾴδιον γνῶναι. *Et Choerillus quidem ita nostri meminit, quod autem non solum sciebant Judæos, sed etiam in quotquot inciderent, admirabantur non qui inter Græcos indocti sunt, sed ob sapientiam celebres, ostendere facile est.* Itaque, Judei illi qui zelo Legis suæ cum Petro litigarunt, multum in moribus & affectibus Cerinthi fuere dissimiles.

Joseph. cont. Appion. l. 1.

A tractata quæstione hæc non est divellenda: Utrum Cerinthus ea fax fuerit qua Antiochena Ecclesia deflagravit? quod Clarissimis Viris visum. Usherius An. 51. de professoribus Christiani nominis qui Christianos ex Gentibus circumcidi oportere dicebant, eos inquit, παρεισάκτους ψευδαδέλφους: *irreptitios fratres appellat Paulus, Gal. 2. 4. eorumque antesignanum Heresiarcham fuisse dolet Philastrius & Epiphanius.* Sic censent & Curcellæus, atque Heideggerus, qui Philastrium & Augustinum, quos laudat, vix attendisse videtur: *Cerinthum nominat Philastrius, Lib. Heret. 8. c. 8. Aug. in Catal.* Nominat quidem Cerinthum Augustinus, sed ut hæreticum, non ut *incendiarium*, qui quæstione de observanda lege mota bellum Ecclesiasticum apud Antiochiam adornarit. Id quidem & primi & soli testificantur Philastrius, Epiphaniusque, qui compluribus suam opinionem instillavere: sed pace Sanctorum cinerum, res vacillat & claudicat, ut vix in dubio sit, nimia credulitate bonos illos Viros commentitiæ fabulæ faciles aures præbuisse. Epiphanius, hær. 28. n. 2. Οὗτος δέ ἐστιν, ἀγαπητοί, εἷς τῶν ἐπὶ τῶν Ἀποστόλων ὁ τὴν ταραχὴν ἐργασάμενος, ὅτε οἱ περὶ Ἰάκωβον γεγράφασιν εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἐπιστολήν. *Atque idem ille, charissimi, fuit, qui Apostolorum tempore tumultum illum excitavit, cum Jacobus, cæterique Apostoli literas Antiochiam scripserunt.*

Rem Lucas sic exequitur: *Quidam surrexerunt ex Secta Pharisæorum qui crediderunt, dicentes, quod oporteat ipsos circumcidere, & eis mandare ut observent Legem Mosis.* quo fonte ruunt argumentorum flumina. Tantum erat studium, tantus amor Pharisæorum

erga

erga ceremonias Legis, ut ad zelum ardoremque suum accedere nil potuerit; proindeque Cerintho incendiario nil opus fuerit. Summa Apostolorum fuit in obscuris animi motibus evolvendis, ac discernendis, divinitus infusa sapientia, cujus experimentum dederat Petrus, ferens hanc in Simonem Magum sententiam: *Video te in felle amarissimo, & nexu injustitiæ positum.* Hæc & illa *διάκρισις Πνευμάτων*, *discretio Spirituum*, in dona extraordinaria relata; id est, motuum interiorum alicujus, quantumvis mentem dissimulantis; vel errorum a falsis Prophetis disseminandorum, quantumvis suis in seminibus involutorum, aperta notitia. Itaque, impurum Cerinthum nominatim, non minus quam Simonem Magum, Ananiam, Alexandrum, Hymenæum, Philetum, impuros & hypocritas vexasset Apostolica censura. Nec Cerinthum fontem & caput perturbatorum, probe notum ob concitas jam & Hierosolymis, & Antiochiæ lites, una cum seditiosorum grege involvissent sua Epistola: *quoniam quosdam a nobis egressos audivimus vos turbaße verbis.* Salutis communis Ecclesiæ intererat, ut detracta pietatis larva, omnium coram oculis adduceretur. Ducem motæ seditionis præcipue feriissent Apostoli, si novissent nullum nominatim ferierunt, nullum igitur noverunt. Quibus consequens est, neminem tumultui faciendo se ducem præbuisse, sed innatum Judæis, ac præcipue Pharisæis, Legis amorem, fecisse Antiochenum incendium. Si Cerinthum Apostoli novissent autorem turbarum, utique Lucas seditioso non pepercisset, quin ei meritam infamiæ notam inureret: si non noverunt, quis hoc Philastrio Epiphanioque annos post tercentum id revelavit, quod Apostolis incognitum fuit?

Accurate animo percipiendum, & memoria custodiendum, autores Antiochenæ seditionis de grege *Pharisæorum* esse; Pharisæus igitur Cerinthus: atqui hoc non est verosimile. Pharisæis solemne fuit pallentes radere mores, ac temperantiæ exemplis vitam suam regere: longis jejuniis, ac victu inopi corpora domabant, ut Christus qui nonnunquam lautioribus epulis utebatur, audiret helluo apud Pharisæos. Josephus de hujus Sectæ hominibus, magna temperantiæ exempla præbentibus, admirationi omnium in se convertendæ, sic memorat: Οἵτε γὰρ Φαρισαῖοι τὴν *δίαιταν ἐξευτελίζουσιν, οὐδὲν εἰς τὸ μαλακώτερον ἐνδιδόντες: ergo pharisæorum victus simplex est, nullis mollitus deliciis*; nec ullus unquam hunc Joseph. Ant. l. 18 c. 2.

in gregem accusationem instruxit, quod Curios simularent, & Bacchanalia viverent: multo magis Pharisæorum incentor Pharisæus, omne frugalitatis punctum tulisse debuit. Jam vero Cerinthum ut cincinnatum ganeonem pingit Historia. Euseb. l. 3. c. 28. Τοῦτο γὰρ εἶναι τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ τὸ δόγμα, ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν: καὶ ὧν αὐτὸς ὠρέγετο φιλοσώματος ὤν, καὶ πανὺ σαρκικὸς, ἐν τούτοις ὀνειροπολεῖν ἔσεσθαι; γαστρὸς καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα πλησμοναῖν: *hæc enim fuit illius opinio, Regnum Christi terrenum futurum: et quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, ut pote voluptatibus obnoxius, carnique addictus, in iis Regnum Dei situm fore somniavit; in ventris, & earum quæ infra ventrem sunt partium, explenda libidine.*

Pertinaci erga disciplinam Mosaicam amore flagrasse seditionis Antiochenæ autores, testificantur illa Lucæ: *Quidam qui descenderant a Judæa docebant Fratres, & dicebant; Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari Act.* 15. Itaque, litigiosam cum Paulo & Barnaba ingressi disputationem, eo redegerunt Ecclesiam, ut de hac quæstione legatos mitteret Hierosolymam: atqui Legis non adeo tenax Cerinthus, qui ex parte Mosis disciplinam respuebat, ipso docente Epiphanio: Οὐδὲν γὰρ οὗτος παρὰ τὸν προῶτον διήλαξε τῇ εἰσαγωγῇ τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας, ἀλλ᾽ ἐν τούτῳ μόνον ἐν τῷ προσέχειν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ἀπὸ μέρους: *Neque ulla alia re discrepantem a Carpocrate doctrinam invexit, nisi quod Judaicos etiam ritus adscivit.* Quæ versio Petaviana non immerito sollicitari potest, quippe quæ ἀπὸ μέρους neglexerit, quod tamen etiam atque etiam est observandum, cum ex hoc colligatur, Cerinthum dissimilem esse autorum tumultus Antiocheni, qui totius disciplinæ Mosaicæ tenaces erant, non partis solummodo: mallem igitur vertere, quod *rituum Judaicorum partem asciverit.* Præterea, insto, urgeo, atque insector Adversarios. Cerinthus, quem, Ægygtum Philosophiæ addiscendæ causa, petiisse certum est, adiit ad ea loca, vel ante, vel post tumultus Antiochenos. Non ante, cum ex Theodoreto constet atque certum sit, Cerinthum postea quam in Ægypto plurimo tempore versatus esset, & in Philosophicis scientiis fuisset eruditus, venisse postea in Asiam: non post tumultus Antiochenos; quis enim in animum sibi inducat Pharisæum Hierosolymitanum amore disciplinæ flagrantem, in Ægyptum se contulisse Philosophiæ sibi comparandæ? Concedamus tamen id factum

esse;

esse; nonne rationi consentaneum videtur, ut Cerinthus postea quam animum expleverat suum, rediret in Patriam, commentis apud suos Hierosolymitanos disseminandis. Atqui docemur & ab Epiphanio, non secus ac Theodoreto, Asiam campum fuisse quem peragravit infelix ille errorum malorumque omnium seminator: Ἐγένετο δὲ οὗτος ὁ Κήρινθος ἐν Ἀσίᾳ διατρίβων κἀκεῖσε τοῦ κηρύγματος τὴν ἀρχὴν πεποιημένος: *porro Cerinthus iste in Asia versatus, doctrinam suam proferre istic coepit.* Profecto, qui sedulo Cerinthi & nomen, & mores, & studia attenderit, fatebitur multum dissimilem esse illorum Antiochenæ Ecclesiæ turbatorum, qui rigidos Pharisæos exercebant: Pharisæum Hierosolymitanum Cerinthi habuisse nomen, inauditum in omni memoria.

Ultimum argumentum in communem sententiam Chronologicum est, eoque accuratius tractandum, quo recte constituto quibus temporibus floruerit Cerinthus, perorata non solum ea quæstio est, de qua jam fusius disputatum; sed etiam aliquid luminis infertur in obscura Historiæ. Trajano rerum Domino, Cerinthum floruisse Eruditissimis persuasum hactenus. Unum vero hujusce Chronologiæ fundamentum, prodita de Cerintho historia apud Irenæum l. 3. quam exscripsit Eusebius: Ἐν τῷ τρίτῳ καὶ ἱστορίαν οὐκ ἀξίαν λήθης τῇ γραφῇ παρέδωκεν: ὡς ἐκ παραδόσεως Πολυκάρπου φάσκων Ἰωάννην τὸν Ἀπόστολον εἰσελθεῖν ποτὲ ἐν βαλανείῳ ὥστε λούσασθαι, γνόντα δὲ ἔνδον ὄντα τὸν Κήρινθον, ἀποπηδῆσαί τε τοῦ τόπου, καὶ ἐκφυγεῖν θύραζε: *sed & in tertio libro historiam quandam, plane dignam quæ memoriæ mandetur, scriptis prodidit: ait enim se a Polycarpo accepisse, Joannem Apostolum, cum aliquando in Balneum lavandi causa introisset, & Cerinthum intus esse didicisset, statim ex eo loco fuga se proripuisse—Fugiamus, inquit, ne Balneum corruat.* Euf. l. 8. c. 28. Hac ex Chronologia primum differam, atque argumentabor in pervulgatam sententiam. Post editam Apocalypsim Cerinthum floruisse eo constat, quod inter figmenta sua, Hæreticus prædicavit mille annorum spatium in Nuptialibus festis transactum iri: quocirca, in ea opinione Veterum nonnulli versabantur, teste Dionysio Episcopo Alexandrino, ipsum Cerinthum Apocalypseos librum condidisse. Jam vero, si Cerinthus ducem se præbuit Antiocheno tumultui, circa annum Christi 49. creditu difficillimum est, homi-

nem qui pene nonagenarius fuit, ea vi polluisse corporis, ut in voluptate Venerea Baccharetur.

Et jam leve caput, madidique infantia nasi,
Frangendus misero gingiva panis inermi. — *Juven. Satir.*
Non eadem vini atque cibi, torpente palato;
Gaudia.

Hæc tamen, verum ut fatear, Chronologia de Cerintho Joannis temporibus hæresim suam spargente, magnis difficultatibus afficitur: sequitur enim necessario Cerinthum ante Carpocratem floruisse, quod non modo cum Clemente Alexandrino, Tertulliano, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, non una consentit; sed & cum Irenæo, pugnat, lib. 1°. Adversus Hæreses, ubi ordinem temporum secutus, Carpocrati Cerinthum postponit: quod ingenue fatetur Baronius, An. 166. p. 2. *Dicunt Irenæus Tertullianusque post Carpocratem hæreses docuisse Cerinthum.* Itaque, apud Irenæum hæc inter se pugnant, quod Joanne vitam protrahente, Cerinthus Asiam de nefanda hæresi docuerit; & Carpocatrem, qui non nisi jam defuncto Joanne virus suum spargere cœpit, nihilominus exceperit. Deinde, ab Irenæo de Cerintho discrepat Epiphanius, qui Joannem ad Ebionis, non ad Cerinthi nomen, fugam agitasse scripto prodidit, Hær. 30. n. 24. Σπεύσατε ἀδελφοι, ἔφη, ἐξέλθωμεν ἐντευθὲν, μὴ πέσῃ τὸ βαλανεῖον καὶ ἀπολώμεθα μετὰ Ἐβίωνος: *properate fratres, inquit, abeamus hinc, ne Balnea concidant, & cum Ebione pereamus.* Atqui erroris damnant Epiphanium Bellarminus, Pamelius, Danæus, Petavius: *Sed Cerinthum, non Ebionem, Hæreticum illum fuisse, consentiunt omnes, quare μνημονικὸν est Epiphanii nostri*; inquit ille Animad. p. 59. Viderint tamen quibus de causis tam subito dicam erroris scribant Epiphanio. Irenæus quidem antiquior est, sed non ideo memoria magis valebat. Et juvenem valde Irenæum, & senem grandævum Polycarpum fuisse constat, cum auribus Irenæanis commissa est historia. Ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ, ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε: *Polycarpum & nos vidimus in prima nostra ætate, multum enim perseveraverat.* l. 3. c. 3. Hac in ætate labantem aut Polycarpi, aut Irenæi memoriam quis mirabitur? Duo sunt quæ narrationem Epiphanianam verisimilitudine induunt: alterum, quod

illa

illa de Cerintho narratio pugnet cum Chronologia & Irenæi, & Antiquorum; alterum, quod Traditio Epiphanii ad decentiam accedat propius. Quod Joannes Apostolus senio multo jam confectus, ad publicas se Balneas contulerit, habet nescio quid asperi apud Irenæum, quod mollescit apud Epiphanium. Cum enim vitæ institutum Joannes teneret plane admirabilem, eique quam gerebat Apostolicæ dignitati consentaneum, adeo ut nunquam omnino lavaret; aliquando tamen Spititus Sancti impulsu ad Balneas prodiens; Capite, inquit ad suos, quæ ad Balneum necessaria sunt: mirantibus illis, ad lavationem perrexit; tum ad eum qui lavantium vestimenta servabat, accedens, quis intra Balneum esset interrogavit? Olearius Joanni respondit Ebionem intus esse: *quo audito, statim intellexit quorsum illuc ipsum Spiritus Sanctus adduxisset.*

Subdita Pii Papæ ad Justum, Viennensem Episcopum, Epistola, gravissimum suppeditabit argumentum in communem de Cerintho Antiochenæ seditionis duce sententiam: *Saluta fratres qui tecum vivunt in Domino. Cerinthus Primarcha Satanæ multos avertit a fide.* ac Baronius quidem, qui Epistolam germanam esse existimat, in miram Chronologiam descendit: *Cerinthum vero, quem Primarcham Satanæ nominat, quemque Apostolorum temporibus innotuisse diximus, haud quis mirari debet in hanc usque diem fuisse superstitem, nam & Polycarpus adhuc his temporibus superstes erat.* Credat Judæus apella, non ego, Cerinthum, Anno Christi 164. adhuc ea corporis & animi sanitate ac robore viguisse, ut multos averteret fide, si seditionis in Paulum & Barnabam apud Antiochiam conflata ducem se præbuerit, cum spatium annorum 116. interesset. Nec tam insanæ Chronologiæ remedium affert exemplum Polycarpi, qui ab ea ætate quam Annales Cerintho contribuunt, plurimuum abfuit, ipso teste Polycarpo, dicente: *Sex & octoginta continuos annos Christo ministravi*, Quæ licet in multos annos porrecta ætas, ab illa Cerinthi discrepat: cum Anno Christi 164. Hæreticus ille ad annum pene centesimum & quinquagesimum accedere debuerit. Itaque, apparet Autorem Epistolæ Pii ad Justum in ea non fuisse opinione, Cerinthum adversus Apostolos litem intendisse ante Synodum Hierosolymitanam; sed illum multo juniorem existi-

timasse, quem, Sedente Pio, grassantem, *multosque a fide avertentem*, scripto prodidit.

AN. XLI. NUM. XIV.

De ordine Evangeliorum. An Anno Caligulæ tertio Matthæi Evangelium conditum sit? Baroniana Chronologia hoc affirmans, ab illa Antiquorum diversa; quod multis exemplis illustratur. An Matthæus primus ad scribendum animum appulit? Opinio Veterum id affirmantium, ad examen revocata. Insignis Clementis Alexandrini locus, quo Evangelistarum Lucubrationes, quæ Christi Genealogiam texuerunt, aliorum libros antiquitate vincere demonstratur, & rationibus confirmatur. Uter, Lucas an Matthæus antiquior? Pluribus argumentis Lucæ antiquitas asseritur, cum ex ejus præfatione, tum ex Genealogia Dominica; quo constituto ordine, facilius nodus expeditur, quomodo Matthæus consilium suum recte executus sit, cum Josephi Genealogia ad Christum non pertineat? An Lucas e numero Discipulorum fuerit? Affirmantem opinionem verosimiliorem ostenditur. Egregia hac de re verba Petavii. An Paulus Lucam indicarit, 2 Cor. 8. v. 18. Clarissimi Hueti dicentis ex Hieronymiana explicatione opinio rejicitur. Vero proprius non de Luca, sed de Sila; nec de Evangelio scripto, sed de prædicato, locum esse capiendum. De Matthæi Evangelio. Traditio de Bartholomæo, Hebraicum Matthæi Evangelium ad Indos deferente, falsi suspicione respersa. Valesii contradictio. Anno Claudii 3°. Marcum non exarasse Evangelium suum ostenditur in Baronium. Romæ

mæ, an Alexandriæ conditum sit, incerta Traditio. An Antiquorum sententia sit Joannem in Patmo scripsisse Evangelium? Affirmantis Combefixi sententia reiicitur.

INeptus de anno conditi Evangelii Matthæi inveniendo labor ab Illustrissimo Purpurato susceptus, exclamare cogit:

O curas hominum! quantum est in rebus inane?

Hoc eodem anno, Olympiade ducentesima quarta, Anno 3°. Matthæus Evangelista primus omnium, ut autor est Eusebius, Hebraico sermone Evangelium scripsit. Insignem epocham, cui unum solum deesse videtur, nempe quod Eusebius nusquam dixit, quæ ab eo dicta perhibentur. Nec si corrupta Eusebiani Chronici Editione Baronius usus est, ideo vitium librarii in autorem est transferendum. Melioris notæ exemplaria ab accurato Historico consuli debuere: Eusebius secum componendus fuit. Assutam esse Eusebio laciniam, verba illa quibus Purpuratus innititur, testis est cum Eusebius ipse, qui in Historia insolens est anni a Matthæo exarati Evangelii; tum Hieronymus, qui hanc observationem qua Chronologia non minimum illustraretur, ex fontibus Eusebianis in Matthæi vitam non derivavit.

Profecto, Baroniana hæc illa conditi Evangelii epocha, placitis & sententiæ Patrum infense adversatur. Disertissima sunt Eusebii verba, Hist. l. 3. c. 24. Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι, Πατρίῳ γλώττῃ φραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν Ἐυαγγέλιον τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου: *nam Matthæus cum Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum Patrio sermone conscribens, id quod præsentia sua adhuc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat, supplevit*: quibus Baronio affirmandum necessario est, aut falsam esse sententiam suam, aut Matthæum ad Gentes abiisse, Hebræis relictis, Anno Caligulæ 3°. quod communi Patrum sensu & opinione rejicitur. Opplevit totam Antiquitatem percelebris illa Traditio, Christum in mandatis dedisse Apostolis, ne annos ante duodecim Judæam exirent: Clem. Alex. Strom.

 l. 6.

l.6.471. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν: *post 12 annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Cui consentit Apollonii, Clemente antiquioris, Bedæque sententia. Sed & Nicephorus in Chronologiam ab illa Baronii longe diversam descendit, l. 2. c. 45. *Primus Matthæus publicanus Hebræis salutifero verbo prædicato, quandoquidem alio ad Gentes ire maturabat, sermone Patrio Evangelium suum, decimo quinto post Christi ascensionem Anno, scripsit*: hoc est, Æræ Dom. 48. Claudii 7. Explodenda igitur est temeraria illa sententia, quæ nullo Antiquorum suffragio ornatur, nulla ratione comprobatur, quamque Baronium ex Sixto Senensi haustam, animis imbibisse merito suspicamur. Sic enim doctus ille Monachus Biblioth. Sanctæ l. 1. *Scriptum est hoc Evangelium Matthæi, ut Eusebius refert, Anno 3°. Caji Caligulæ Imperatoris.*

Ad majora nitimur: in eam mentem impellimur ut de ordine Evangeliorum tractemus. Quæstio perjucunda est, non quod in spe quidem habeamus & annum, & locum quo Sacri Evangeliorum Libri scripto exarati sunt, declarari posse atque patefieri: id viribus mortalium omnium editius esse existimamus, Valesioque assentimur: *De Sacrorum Evangeliorum scriptione nil fere certi habemus, nisi quatuor tantum esse, & a quatuor autoribus scripta.* Sed hoc Evangeliorum, ut ad verum accedit propius, ordine constituto; & lætior defæcatiorque Chronologia procedet, & ab erroribus evelletur Historia. Insita penitus opinio & vetusta est, Matthæum primum omnium ad scribendum animum appulisse: deinde Marcum: postea, Lucam; Joannem denique Sacræ Historiæ colophonem imposuisse. Quo etiam ordine in Sancto Novi Testamenti volumine Evangelistarum libri disponuntur. Ad hanc sane sententiam Eusebium accessisse, non est negandum; quem & Hieronymus secutus est. Satis sit hic Augustinum exscribere de Consensu Evang. l. 2. c. 3. *Isti igitur quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe utilissimi, & ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes Orbis Terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodam modo declararunt; hoc ordine scripsisse perhibentur. Primum Matthæus, deinde Marcus, 3°. Lucas, ultimo Joannes. Unde alius fuit ordo cognoscendi atque prædicandi; alius autem scribendi: ad cognoscendum quippe & prædicandum, primi utique fuerunt qui secuti Dominum, in carne præsentem*

Vales p. 83. Annot. in Eus.

ſentem audierunt, facientemque viderunt. Sed in conſcribendo Evangelio quod divinitus ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum quos ante paſſionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt: primum Matthæus, ultimum Joannes: ut reliqui duo qui ex illorum numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tanquam filii amplectendi, ac per hoc in medio loco conſtituti, utroque ab eis latere munirentur. Quæ & ſale leporis ſpargi, & acumine ingenii abundare concedendum.

Verum enim vero, Antiquorum magis ſententiæ ſum, qui conſtitutum ab Euſebio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque bene, multis ordinem invertunt. Inſignis ille Clementis Alexandrini locus etiam atque etiam eſt obſervandus apud Euſebii Hiſtoriam, l. 6. c. 14. Αὖθις δ' ἐν τοῖς αὐτοῖς ὁ Κλήμης Βιβλίοις περὶ τῆς τάξεως τῶν Εὐαγγελίων παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν Πρεσβυτέρων, τέθειται τοῦτον ἔχουσαν τὸν τρόπον: προγεγράφθαι ἔλεγεν τῶν Εὐαγγελίων τὰ περιέχοντα τὰς γενεαλογίας: *ſed & in iiſdem libris Clemens Traditionem quandam de ordine Evangeliorum quam a vetuſtioribus Presbyteris acceperat, refert in hunc modum: Dicebat ex Evangelio prius ſcripta eſſe illa quæ ſeriem generis Dominici continent.* In ea quæſtione qua verſamur, teſtium antiquitas maximi eſt ponderis, cum ad fontes Apoſtolicos propius acceſſerint; tum præcipue, cum in ſuo teſtimonio, nihil eſt quod rationi non videatur conſentaneum. Potentiſſimum eſt meo judicio, hoc Clementis argumentum ex deſcriptione genealogiarum petitum, ut qui iis deſcribendis operam navarunt, illi ſint qui primi ad hiſtoriam Chriſti condendam animum appulerent. Priorum quippe Evangeliſtarum antiquiſſima cura eſſe debuit, ut notionem genealogiæ Dominicæ Lectorum animis conſignarent, quò demonſtraretur Chriſtum Regia ſtirpe Davidis eſſe ortum; id enim cognitu neceſſarium fuit; cum fides in Meſſiam hoc ſtabili fundamento locaretur. Nec ſapientis Hiſtorici officio functi fuiſſent, omiſſa circumſtantia quæ & Hiſtoriæ legibus, & notitia rerum ad ſalutem pertinentium, hominibus inſtruendis adeo apta fuit, atque connexa. Si quæratur cur Joannes Chriſti genealogiam non texuit, quid aliud reſpondebitur, quam quod Lucas & Matthæus, hoc onere ultimum Evangeliſtarum Joannem jam levarant? Atqui hoc ipſum de Marco, perinde ac de Joanne, ſi verum volumus, dici debet; Marcus in condenda

 Chriſ-

Christi genealogia non sudavit, quia hanc provinciam Matthæus & Lucas occuparant.

Disputandum nunc est, atque examinandum uter, Lucas an Matthæus, primus calamum intinxerit Evangelio scribendo. Legitur Euseb.Hist. l.5.c.8. apud Irenæum: Ὁ μὲν δὲ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ, καὶ γραφὴν ἐξένεγκεν Εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ Εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν: *Matthæus apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum Evangelium edidit, dum Petrus & Paulus Romæ Christum prædicarent, & Ecclesiæ fundamenta jacerent.* Quibus necessario sequitur, Lucam ante Matthæum operam dedisse Evangelio exarando, cum Apostolorum Actuum liber, qui Lucæ Evangelium excipit, scriptus sit Paulo apud Romanos agente, nec Petrus & Paulus una jecerint Ecclesiæ Romanæ fundamenta, nisi circa annum Dom. 64. Neronis 10. Basso & Licinio Crasso Coss. Nolim tamen affimare hanc stetisse Irenæo opinionem; quod in recensendis Evangelistis, Lucam Marco postponat. Sed ex præfatione Lucæ desumuntur argumenta, non omnino vana, quibus ejus Evangelio antiquitas, non Matthæo vindicetur: *Quoniam multi aggressi sunt componere narrationem rerum quarum plena fides nobis facta est, visum est etiam mihi, omnia alte repetita penitus assecuto, ordine ad te scribere, præstantissime Theophile, ut agnoscas certas esse res quas auditione accepisti.* Quamvis porro vox ἐπιχειρεῖν media sit, quæ vel in laudem, vel in vituperium ex substrata materia sumi possit; fallor, aut præfationis scopus & contextus, culpam frustrati conatus continet: ut hæc non parva ratio sit, cur ad scribendum Lucas manum admoverit. Sic Act. 19. 13. ἐπεχείρησαν, *aggressi sunt vero quidam ex Exorcistis*; quod multa temeritate factum est. Profecto, satis superque a Luca indicatur, Evangelium quod mittebat Theophilo, fuisse & aptissimum, & commodissimum omnium scriptorum de Christo hactenus editorum instrumentum, inserendæ animis ἀσφαλείας, quam suo Theophilo optabat. Quæ ne vel cogitasset, nedum scripsisset Lucas, si jam editi vel Matthæi, vel Marci Evangelii notitiam habuisset.

Præterea, quis animo finget atque cogitatione, Lucam ne verbum quidem dixisse de Matthæi Apostoli Lucubrationibus, si jam usitatæ & tritæ erant, cum mens ejus ad scribendum impulsa est? Annon

Annon autoris, & ætate antiquioris, & dignitate ſe præſtantioris aliquam mentionem agitaſſet? Quin etiam phraſis hæc; *quoniam multi aggreſſi ſunt*, indicio eſt quod autori ante oculos Matthæus non obverſabatur, quem his *multis*, nullo & honore habito inſeruiſſe, non eſt veroſimile. Eo majori neceſſitate Lucas aſtringebatur mentionem de Matthæo injiciendi, conceſſo pervulgatum jam fuiſſe ejus Evangelium, ne de tanto Apoſtolo frigide nimis locutum eſſe crederent. Quid Lucæ ſignificent illi *multi*, in dubio eſt. Epiphanius, Hær. 51. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν, ἵνα τινὰς μὲν ἐπιχειρήσαντας δείξῃ, φημὶ δὲ τοὺς περὶ Κήρινθον, καὶ Μήρινθον, καὶ τοὺς ἄλλους: *quoniam multi conati ſunt, ut nonnullos qui id conati fuerant indicaret, Cerinthum dico & Merinthum*; peſſime cum nullæ adhuc vigerent Cerinthianæ Lucubrationes. Auguſtinus l. 4. de Conſenſu Evangeliſtarum, *verbis conati ſunt*, innui eos arbitratur, qui ſuſceptum munus non impleverant. Recte: Profecto, non poſſum in mentem mihi inducere deſignatos fuiſſe Marcum & Matthæum: quibus noſtrum & illuſtratur argumentum. Nec enim phraſim ejusmodi uſurpaſſet, quæ hoſce Evangelicæ Hiſtoriæ Conditores perſtringebat, niſi de multis qui aggreſſi erant ejusmodi componere narrationem, nominatim Sacros Autores, Matthæum & Marcum, excepiſſet. Itaque hæc optime fluunt: Complures ita conati ſunt contexere ſeriem Evangelicæ narrationis, quemadmodum alii Scriptores rerum ab hominibus geſtarum ſolent, ſæpe falſa veris admiſcentes, quæque ex incertis vulgi rumoribus hauſerant, pro compertis narrantes: nonnunquam ex ſe comminiſcentes, quod memorent, ſive mentiendi libidine, ſive alio quopiam affectu corrupti. Proinde Spiritus Jeſu vellicavit & animum meum, ut excluderem autoritatem cæterorum, qui vel ſua commenta, vel populari rumore, non optimo rerum autore cognito, pro certis & compertis prodiderunt. At non ſane quadrat illa Lucæ præfatio, ſi jam Chriſtiani habuiſſent certam regulam, Matthæi, ſcilicet, & Marci Evangelium, quo vera & falſa judicarentur.

Denique, ſi Lucas Evangeliſtarum agmen ducit, commode & facile exhaurimus exinanimusque difficultatem, quomodo Matthæus recte exſecutus ſit id quod ſibi propoſuerat; Chriſti ex Davide ortum declarare, cum ad Jeſum genealogia Joſephi non pertineat,

ſed Mariæ? Dicunt quidem, *Beatum Virginem vi Legis, Num. ultimo, nubere coactam fuiſſe viro, non tantum ejuſdem Tribus, ſed & familiæ, hoc eſt, cognato ejuſdem Tribus*: quam ſolutionem totis & ingenii & eruditionis ſuæ viribus, tuetur Clariſſimus Spanhemius, Dub. Evang. Dub. 14. Metuo ut hæc reſponſio nodum expediat: cum B. Virgo nec ἐπίκληρος fuerit, pauper nimirum & egena, fabro in matrimonium collocata, & defuncto Chriſto domum Joannis recepta: nec ex Joſephi familia niſi remotiſſime, qua ex communi Parente Davide orta, ſed diverſa linea, quæ diſſimilem familiam conſtituebat: Joſephus a Salomone; Virgo a Nathane deducta; quæ præterea geminæ ſtirpes plurimos in ramos, volventibus annis, diffuſæ ſunt; ut cauſæ promulgatæ Legis de non permiſcendis hæreditatibus, locus hic nullus fuerit. Imo, vi hujuſce decreti Joſephus in familia non Nathanis, ſed Salomonis, uxorem quærere debuit. Denique, ſi Matthæus primus ſcribendi Evangelii ſuſceperit provinciam, ſemper erit aliquid quæſtionis, cur a germana directaque Chriſti genealogia ortus ejus non deduxerit, ſed ab aliena indirectaque; cum illa huic merito eſſet anteponenda, ex omnibus ſapientiæ regulis, utpote ad ſcopum recta collimans: evaneſcit autem difficultas atque diffluit, ſi Lucas agmen ducit Evangeliſtarum. Gemina quippe eſt Chriſti genealogia; altera vera, apparens altera: illa rerum naturam ſequitur; hæc judicium hominum. Quam duplicem genealogiam his aperte Lucas indicat, *Jeſus, Filius, ut exiſtimabatur, Joſephi*: quibus conſtat & promptum eſt, in Tabulis genealogicis, quas maxima cura Judæi parabant atque ſervabant, Chriſtum in loco numeroque germani ſanguinis filiique Joſephi fuiſſe ductum. Alioquin, ſi certum Chriſto parentem Joſephum non fuiſſe exiſtimaſſent, horreſco referens, Chriſtum notis ſpuriiſque adſcripſiſſent. Itaque, aut in nullas genealogicas Tabulas relati ſunt Dominici Natales, quod incredibile eſt ex more perpetuo & conſtanti Judæorum; aut ad Joſephum relati. Nondum quippe in apertum prolatum erat Virginei partus myſterium, quod ludibrio fuiſſet, donec ex glorioſa Chriſti Reſurrectione, miraculis, dono Spiritus extraordinario, oraculorum explicatione, res ipſa palam fieret. A germana Chriſti genealogia Matthæus non incepit, quia jam hoc officio functus Lucas fuerat; incepit ab apparente, ut vel argumento ex hypotheſi

Judæo-

Judæorum ducto, atque Tabulis, Christi ex Regio Davidis sanguine ortui infense adversantibus, os obstrueretur. Tota sane Historiæ contextura, præludia ad Virginis conceptum partumque pertinentia, vestigia sunt atque indicia Lucam exarando Evangelio ante omnes calamum suum intinxisse, cum ab ejusmodi circumstantiis narratio Ortus Dominici rite incipere debuerit.

Circa hoc disputatum est, an Lucas e numero Discipulorum fuerit?. Ac negatur quidem ab Hieronymo; *Et Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed a cæteris Apostolis, quod ipse in principio sui voluminis declarat, dicens: Tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, & fuerunt Ministri sermonis. Igitur Evangelium, sicut audiverat, scripsit: Acta vero Apostolorum, sicut viderat, composuit.* Nec communem Patrum sententiam ab illa Hieronymi dissidere certum exploratumque est. Verum si rationem consulamus, Lucam e numero Discipulorum fuisse a veri fide non dissidet. Pulcherrima sunt Eruditissimi Petavii verba, ac quæ menti committantur dignissima: *Quod Lucas e Discipulorum numero fuerit, asserit & Dorotheus in Synopsi, quamvis id ipsum ab eo negari Maldonatus scripserit. Sed contra sentiunt plerique, & id ex ipsis Lucæ verbis colligunt, cum ait ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι. Sed, tantum abest ut hæc Discipulum Christi fuisse, ac non pleraque, cum ab eo gererentur, oculis usurpasse negent, ut contrarium potius hinc elici possit: verbum enim παρακολουθεῖν nonnunquam ad eam notitiam refertur, quæ oculis ipsis ac propria intelligentia comparatur; non aliorum sermonibus: ut cum Demosthenes: Ἐν τῷ περὶ Παραπρεσβείας de Æschine, cujus in Legatione comes fuerat, sic loquitur: Καὶ ὁ τούτου πονηρεύματα εἰδώς, καὶ παρηκολουθηκὼς ἅπασι κατηγορῶ.* Sic igitur Lucæ ἄνωθεν παρηκολουθηκέναι πᾶσιν ἀκριβῶς dicitur, *hoc est comperta explorataque ac spectata etiam habuisse. Ac videri potest & nonnulla hic antithesis esse, ut cum superiore versu dixerit, quandoquidem multi res a Christo gestas scribere aggressi sunt καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς*, statim subjiciat, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι; *hoc est, qui non, ut illi ἐκ παραδόσεως, sed ex propria id scientia compererim.* Rationi consentaneum videtur munus Historiam Dominicam exarandi, injungi Testi oculato Miraculorum & Operum Christi. Licet enim verbum Domini

Petav. Anim. ad Hær. 51.

mini sit ἀνύπτητον, eo tamen admiranda ejus συγκατάβασις se demittit, ut incentivis utatur commovendo mortalium animo. Apud omnes plurimum valet hoc axioma, unus testis oculatus præstat auritis decem. Quocirca Petrus apud Ecclesiam, hunc de sufficiendo in vicem Judæ Apostolo sermonem habuit: *Oportet ex iis Viris qui nobiscum convenerunt toto tempore quo Dominus Jesus versatus est inter nos, exorsus a Baptismo Joannis ad eum usque diem quo sursum receptus est a nobis, unum fieri nobiscum testem Resurrectionis*, quæ ratio & militat pro autore scribendi Evangelii. Tanta quippe mysteria complectitur, ut flagitent Scriptorem constitutum testem & spectatorem suæ narrationis, removendo omni incredulitatis prætexui, ne Liber non ad Historiæ fidem scriptus haberetur; quem eluebat colorem autor αὐτόπτης. Nec ulla vis inest argumento, quo sibi Patres in animum induxere Lucam e numero Discipulorum non fuisse, quod his præcipue innititur: *Prout tradiderunt nobis qui a principio spectatores ipsimet fuere ipsius rei.* Quibus prima fronte colligitur, non oculis, sed auribus ea hausisse quæ retulit in Annales. Rationi huic nil esse virium illi deprehendent, qui Scripturæ phrases animo imbiberunt. Solemne est Sacris Autoribus, adhibere pronomen ἡμεῖς, de iis hominibus qui tamen illis non inseruntur de quibus sermo est: sic 1 Thess. 4. 17. ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες: *deinde nos vivi qui reliqui erimus, rapiemur cum mortuis.* & Hebræorum 13. *proinde nos quoque cum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto peccato, propositum nobis stadium decurramus.*

An Lucæ Evangelium Paulus ipse Elogio consecraverit in Epistola posteriore ad Corinthios, his verbis: *Misimus etiam cum illo Fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*, quæstionis est; id affirmatur pro certo a Clarissimo Hueto, Demonstr. propos. 1. p. 30. n. 4. Cujus explicationis fons esse videtur Autor ille qui audit Ignatius ad Ephesios: Μαρτυρεῖ Λουκᾶς οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ: *testificatur Lucas, cujus laus est in Evangelio.* p. 132. Quem dubio procul sequitur Hieronymus: *De quo idem Paulus; Misimus, inquit, cum illo Fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: & ad Colossenses; salutat vos Lucas medicus charissimus.* At pace Clarissimi Hueti dixerim, nullo argumento demonstrari potest, de *scripto* Evangelio Paulum esse intelligendum, non de *prædicato*; quod verif-

riſſimum exiſtimamus : cum non ſatis conſtet Evangelium Lucæ, jam tum editum fuiſſe, quando hæc ad Corinthios Epiſtola exarata eſt. Sed & in hanc ſententiam argumentum objicitur, nec vanum aut frigidum; *Fratrem illum, cujus laus erat in Evangelio*, ſuffragiis delectum eſſe ab Eccleſiis Paulinæ peregrinationis ſocium; quod de Luca conſtitutum nullo veſtigio reperitur. Longe igitur veroſimilius eſt, non Lucam, ſed Silam indicari. Quod non obſcure innuunt illa Actorum 15. 40. *Paulus vero allecto Sila abiit, commendatus Gratia Dei a Fratribus, peragravitque Syriam ac Ciliciam, confirmans Eccleſias.* Sed & in prima commendatione poſitum fuiſſe Silam apud Chriſtianos eximie his declaratur: *Judas quoque & Silas cum eſſent & ipſi Prophetæ, multo ſermone adhortati ſunt & confirmarunt Fratres.* Act. 15. 32. Quocirca, inſigni huic Viro multæ laudes conceſſæ ab Eccleſiis.

Matthæus Lucam excepiſſe videtur. Quonam porro anno Dom. aut ubi editum ſit Matthæi Evangelium, juxta ſcio cum ignariſſimis. Antiqua Traditio eſt, Bartholomæum ad Indos proficiſcentem ſecum Matthæi Evangelium detuliſſe. Hyppolitus de 12. Apoſtolis Libello: Βαρθολομαῖος δὲ Ἰνδοῖς, ὄις καὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον ἐνδεδοκὼς, ἐσταυρώθη κατακεφαλῆς: *Bartholomæus cum Indis prædicaſſet, eisque conſcriptum a Matthæo Evangelium expoſuiſſet, crucificus eſt & ipſe capite deorſum verſo.* Combef. in Hiſt. Monot. p. 331. quam & opinionem animo familiarius affixere Euſebius, ac Hieronymus. Atque ex hac Traditione Baronius annum conditi Evangelii expiſcari voluit. *Ad hæc*, inquit, *illud eſſe conſcriptum antequam ad externas Provincias Evangelium prædicaturi proficiſcerentur Apoſtoli, nulla eſſe poteſt dubitatio.* At nec tam cito contigit profectio Apoſtolica ad Gentes, ac ſibi fingit Illuſtriſſimus Purpuratus; cujus in Chronologiam ſe intendit adverſarium Magnus ille Chryſoſtomus, Hom. 25. in Acta. *Quandiu Paulus Romam non pervenit, illic erant*: Hieroſolymis, ſcilicet. Nec ante condi a Matthæo potuit Evangelium, ſi fides Irenæo, quam una Paulus & Petrus inſtituendæ Eccleſiæ Romanæ laborem ſuum impendiſſent, quod contigit Neronis imperio jam longius provecto: quæ antiqui hujuſce Patris Traditio cur in contemptum venire debeat, nullus video. De Bartholomæo ad Indos Matthæi Evangelium deferente, fides ſit penes autores; ſed vel admiſſa hac

hac Traditione, constat ex Hyppolyto Petrum sero se Romam contulisse: Πέτρος μὲν ἐν Πόντῳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ Καππαδοκίᾳ, καὶ Βιθυνίᾳ καὶ Ἰταλίᾳ καὶ Ἀσίᾳ, κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, ὕστερον ὑπὸ Νέρωνος ἐν Ῥώμῃ σταυροῦται. *Petrus quidem cum prædicasset Evangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia, atque Asia, postea a Nerone Romæ crucifigitur.* Ex Actibus sane Apostolorum, vel judice Valesio, constat, Petrum in Judæa ac Syria mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ Regis, qui quarto Claudii Anno mortalitatem explevit.

Cæterum, fama delati a Bartholomæo Apostolo apud Indos Evangelii Matthæi Hebraice exarati, suspicione falsi aspergitur: Αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφήν: *Indis Evangelium Matthæi, Hebraicis conscriptum literis, reliquerat.* Euseb. l. 5. c. 10. Illa igitur Traditio fama nititur, quæ *tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.* Profecto, famæ hujusce fidem multa levant: primo, quod Evangelium Matthæi Hebraice fuerit conditum, qua de re deinceps fusius agendum. 2°. quod Bartholomæus secum illud detulerit. Apostoli quidem viva fuere Evangelia, ipsomet Spiritus exarata digito; gerebant in animis inscripta cœli mysteria, non in chartis atramento descripta: nec quo fine consiliove secum Evangelium Hebraicum detulisset ille Bartholomæus, nulla conjectura assequi possum. Ut ab Indis legeretur? Atqui Hebraice nesciebant. Ut labenti memoriæ esset auxilio? Hoccine sonat hominem θεόπνευστον? ut ipse vix a contradictionis angustiis sese expediat Clarissi. Valesius: *Nicephoro non assentior, in eo quod dicit Evangelium illud Matthæi, quod apud Indos reperit Pantænus, a Bartholomæo ibi dictatum fuisse: crediderim potius codicem illum Evangelii a Bartholomæo illuc e Judæa delatum fuisse.* Atqui, Valesi, nuper scripseras; *An Matthæi Evangelium Hebraico sermone fuerit exaratum, parum constat.* Parum igitur & constat, an Matthæi Hebraicus codex a Bartholomæo e Judæa in Indiam delatus sit. Credidistine quod *parum constat?* certe credere non debuisti. Locus quo Matthæi Evangelium editum est, urbs Hierosolyma esse perhibetur ab Athanasio: Τὸ μὲν οὖν κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον ἐγράφη ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Ματθαίου τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, καὶ ἐξεδόθη ἐν Ἱερουσαλήμ. *Evangelium secundum Matthæum ab ipso Matthæo, Hebraica Dialecto conscriptum est, & editum Hierosolymis.* Synop. p. 155. Sed, ut de anno, sic

Vales. Annot p. 85.

de

de loco conditorum Evangeliorum, jaciuntur tali. Nil his circumstantiis incertius.

Ad Marcum nunc accedimus, quem Anno Claudii tertio suum exarasse Evangelium Baronius existimat. *Plane compellimur* (verba sunt Purpurati) *dicere hoc ipso anno post scriptam a Petro eam Epistolam Marcum Sacrum Evangelium scripsisse.* An. 45. n. 29. Atqui Baroni, nulla Antiquorum autoritate compelleris, non argumentis e ratione petitis, non consequentiis ex bona Chronologia ductis; ut temeraria sit tua illa assertio. Concesso quidem Anno Claudii tertio Dom. 43. Marcum ad scribendum animum appulisse, incredibile est Irenæum in hanc descendisse sententiam, quod Petro Pauloque jam defunctis, Marci Evangelium editum sit: Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ Μαθητὴς καὶ Ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγεγράφως ἡμῖν παραδέδωκε: *post horum vero interitum, Marcus discipulus atque interpres Petri, quæ a Petro prædicata fuerant, perscripta nobis tradidit.* Euſ. Hist. l. 5. c. 8. Nec Sancti hujusce Patris narratio Baronio ludibrio esse debuit, quasi somniantis delirium: pugnat quidem cum Clementis Hieronymique Chronologia; Sed quis præstabit Hieronymianam Chronologiam illa Irenæi esse meliorem? Quibus testibus comprobatur Marcum *mortuum esse Anno Neronis* 8°? Irenæus vincit autoritate Eusebium, atque Hieronymum; & quod memoria custodiendum, Sedente Eleutherio, Romam missus est, ubi de Marci Evangelio inquisitionem & agere potuit, & illa audire quæ scripsit. Hanc quidem in Traditionem jurare nolim: Sed ægre patior antiquissimi Patris sententiam rugosis sannis excipi; cum nil obstet Evangelium Marci Anno Neronis 13. editum esse, & hac ex Irenæi Chronologia refigi Baroniana, & Hieronymiana magis debeat, quam ex Chronologia Hieronymiana illa Irenæi.

De loco conditi Evangelii multa variant & Antiqui. Diserta est Clementis, ac secundum Clementem Hieronymi sententia, Romanos enixe rogasse Marcum, ut Doctrinæ illius quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum relinqueret: nec prius destitisse, quam hominem expugnassent. Euſ. Hist. l. 2. c. 15. Cui Traditioni accedit Baronius, eo pertinere creditur Athanasius: Τὸ δὲ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ἐν Ῥώμῃ, ἐξεδόθη δὲ ὑπὸ Μάρκου τοῦ Μακαρίου Ἀποστόλου, καὶ ἐκη-

ρύχθη ὑπ' αὐτοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ: quæ ſic vertit Wolphangus Muſculus: *Evangelium ſecundum Marcum Romæ quidem ab Apoſtolo Petro dictatum eſt, editum vero a Marco, & prædicatum ab eo Alexandriæ.* Synopſ. Scrip. p. 155. At aliud forſan Græca innuunt. Si dictatum Romæ, quidni & editum? An non Matthæi Evangelium eo ipſo loco quo ſcriptum eſt, divulgatum ab Athanaſio perhibetur, videlicet, Hieroſolymis? An veroſimile eſt opus agente Spiritu exaratum, in tenebris jacuiſſe; nec quam primum lucem inſpexiſſe? Quidni ſic vertetur Athanaſius? *Evangelium ſecundum Marcum, Romæ quidem a Petro annuntiatum eſt, editum vero Alexandriæ.* De Lucæ Evangelio idem ille Athanaſius: Τὸ δὲ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Παύλου: συνεγράφη δὲ καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ Λουκᾶ: *Evangelium ſecundum Lucam prædicatum eſt ab Apoſtolo Paulo, conſcriptum vero & editum a Luca.* Quæ Paulus prædicaverat, Lucam ſcripto exaraſſe, apud Irenæum legimus: Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον Εὐαγγέλιον, ἐν Βιβλίῳ κατέθετο: *Lucas quoque ſectator Pauli, Evangelium a Paulo prædicatum, literis mandavit,* Euſ. l. 5. c. 8. Lucam vero Pauli dictantis Amanuenſem fuiſſe, apud neminem legimus. Profecto Scaligeri collectanea in ea ſententia verſantur, quod & Alexandriæ Marci Evangelium ſcripto mandatum fuerit. Ἐπὶ τούτου Μαρκὸν Πρῶτον ἴσμεν ἐν Αἰγύπτῳ Εὐαγγέλιον συγγεγραφέναι: Sed & Chryſoſtomus, Hom. 1ª. in Matth. *Marcus quoque in Ægypto id ipſum rogantibus traditur feciſſe diſcipulis.* In quæſtionem adducitur, utrum Marcus e numero Diſcipulorum Chriſti fuerit, necne: Ac negabat olim Papias; οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ: *Neque enim ipſe Dominum audiverat, aut ſectatus fuerat unquam.* Qua ſententia variat diſſidetque illa Epiphanii, Hær. 51. n. 6. *Itaque poſt Matthæum ſtatim Marco, qui Romæ Sancti Petri comes fuerat, ſcribendi Evangelii provincia committitur. Quod cum feciſſet, a B. Petro in Ægyptum mittitur. Erat hic unus e 72 diſcipulis, qui ob ſermonem illum diſperſi ſunt, quem Dominus elocutus fuerat*: Niſi quis manducaverit carnem *&c. verum ille Petri opera reverſus, ac Spiritu Sancto repletus, conſcribendi Evangelii munus accepit.* Unde hauſerit Epiphanius, Marcum tam turpiter Chriſtum deſeruiſſe, me prorſus ignorare fateor, nec eſt mihi veriſimile. Diſcipulorum porro Chriſti comprehenſum fuiſſe numero, probabiliter ab Epiphanio dictum, Chriſtus mortis fauci-

faucibus elapſus *viſus eſt*, *amplius quam quingentis Fratribus*, quos inter extitiſſe viros illos, qui ſcribendo Evangelio operam daturi erant, rationi ſatis conſentaneum, quo facilius ad animum Lectorum, Hiſtoria Evangeliſtarum admitteretur. Non me quidem latet, Clariſſi. Caſaubonum maximi facere Gregorii teſtimonium, l. 1. Dial. *Mihi luce clarius conſtat, quod Lucas & Marcus Evangelium quod ſcripſerunt, non viſu ſed auditu didicerunt.* Sed nec mihi, nec Petavio tanta vis ineſt oculorum, ut quod Gregorio luce clarius, nobis manifeſto compertum ſit, atque deprehenſum.

De Joanne unum eſt quod dicam; cum Antiqui omnes mente atque ore conſentiant, illum Evangeliis impoſuiſſe colophonem. At de loco quo ſuas Lucubrationes condidit diſcreparunt olim Patres, & hodie differunt inter ſe Eruditi. Hippolyti verba ſunt Libello de 12 Apoſtolis: Ἰωαννὴς δὲ ἐν Ἀσίᾳ ὑπὸ Δομετιανοῦ τοῦ Βασιλέως ἐξορισθεὶς ἐν Πάτμῳ τῇ Νήσῳ, ἐν ᾗ καὶ τὸ Ἐυαγγέλιον συνεγράψατο, καὶ τὴν Ἀποκαλυψίν ἐθεάσατο: *Joannes vero in Aſia a Domitiano Imperatore in Patmos Inſulam relegatus, ubi etiam Evangelium conſcripſit, ac Apocalypſim vidit.* Quibus emendandus eſt Baronianus error An. 99. n. 2. *Fertur de eadem re ſententia Hippolyti, Portuenſis Epiſcopi & Martyris.* Nempe de Evangelio conſcripto a *Joanne*, *Epheſum* revocato. Perſpicuum eſt omnibus, Baronium falli ex laudato Hyppoliti teſtimonio. Eruditus Franciſcus Combefix, Hiſt. Monoth. p. 857. n. 3. Multis probare nititur, antiquam Patrum Traditionem, opinioni Hyppoliti prorſus conſentire: *Sit proinde conſtans*, inquit, *hac Antiquorum Traditio, ut per otium quod in Patmo egit Vir Beatiſſimus, & Evangelium ſcripſerit, & Apocalypſim, publicato duntaxat Evangelio poſtquam Epheſum rediiſſet.*

Sed, meo judicio, opinio Viri, cætera eruditi, plena eſt inconſideratiſſimæ temeritatis, quod palam eſt attendenti locos quos Hyppolito accomodare tentavit. Primus legenti occurrit Hieronymus: *Hieronymus de Scriptoribus Eccleſ. in Joanne tradit, ſcripſiſſe rogatum ab Aſia Epiſcopis, ſed non ait ſcripſiſſe in Aſia, & Epheſi.* Hem! non tradit? An ſibi vel nobis illuſit Vir Eruditus? Hæc Hieronymus: *Joannes Apoſtolus — noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium, rogatus ab Aſia Epiſcopis, adverſus Cerinthum aliosque Hæreticos, & maxime Ebionitarum dogma conſurgens — quatuor decimo igitur Anno, ſecundam poſt*

 Neronem

Neronem persecutionem movente Domitiano, in Pathmon Insulam relegatus, scripsit Apocalypsim. Utique continuo addidisset Hieronymus, *& Evangelium*, si in exilio utrumque librum a Joanne scripto exaratum fuisse existimasset; nec de sola Apocalypsi mentionem agitasset. Sed causa qua permotus Apostolus suum Evangelium scripsisse perhibetur, dubitare non sinit scriptum esse post ejus exilium. An rogatus ab Episcopis Asiæ, ut adversus Cerinthum Hæreticorumque dogma consurgens in Patmo, componeret Evangelium, cum regnante Domitiano, nullus adhuc Cerinthus, nullus Carpocrates venena sua sparserant? Quid est dicere in Asia scriptum esse, si hoc non est?

Epiphanius Hæres. 51. n. 12. Διὸ ὕστερον ἀναγκάζει τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸν Ἰωάννην παραιτούμενον δι' εὐλάβειαν καὶ ταπεινοφροσύνην Εὐαγγελίσασθαι, ἐπὶ τῇ γηραλέᾳ αὐτοῦ ἡλικίᾳ, μετὰ ἔτη ἐννενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου ἐπάνοδον ἐπ. Κλαυδίου γενομένην Καίσαρος, καὶ μετὰ ἱκανὰ ἔτη τοῦ διατρίψαι αὐτὸν ἐπὶ τῆς Ἀσίας, ἀναγκάζεται ἐκθέσθαι τὸ Εὐαγγέλιον: *cogit S. Spiritus Joannem detrectantem præ modestia animi ac humilitate, ad scribendum Evangelium cum jam senex esset, post exactos nonaginta annos vitæ, post reversionem ipsius a Patmo, quæ facta est sub Claudio Cæsare; ac ubi multos annos in Asia egisset, Evangelium scribere coactus est.* Vim argumenti ut exeat combefix, ἐκθέσθαι vertit *edere*, id est, jam in Patmo *dictatum*, *& conscriptum* Evangelium publicare. Argutam sane explicationem, sed cujus acumen illudimus. Εὐαγγελίσασθαι significat Evangelium vel ore prædicare, vel literis consignare: hoc ultimum, dubio procul, in mentem veniebat Epiphanio. An invitum, ac Religione animi defugientem, ad prædicandum Evangelium Spiritus Sanctus Joannem impellebat? Quænam est nova illa Religio quæ Apostolum incessebat Ephesi, ne Præconem ageret Evangelii, quod ex ejus ore auditum fuerat? Sed, quod nulla ratione eludi potest, an cogi potuit Apostolus ad publicandum Evangelium, si jam scriptum fuisset ab exule? Annon impellente Spiritu literis consignatum, ut fieret palam tum erroribus coarguendis, cum Ecclesiæ ædificandæ? Cui bono igitur aut consilio, hæc illa Joannis coactio, ut compositum a se clam, & inter privatos parietes, Librum publici juris faceret, cum eo animo scripsisset,

quo

quo in apertum proferretur, jubente Christo? Fingemusne cogitatione, Apostolum in clauso scrinio Evangelium recondidisse suum, donec ab Episcopis Asianis rogaretur de opere suo edendo? Id quidem sæpius libris prophanis accidit, quippe qui humana animi motione scribuntur: at Sacri Codices, qui a Viris divino motu concitis exarantur, statim creduntur Ecclesiæ, ut in ejus commodum cedant. Sicuti nulla coactione opus fuit ad divulgandum Librum Apocalypseos; Ita vis nulla necessaria permovendo Joanni, ad edendas Evangelicas Lucubrationes, si jam in Patmo fuissent adornatæ.

Disertissima sunt apud Eusebium verba Irenæi: Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ Μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων: *Joannes denique Domini discipulus, qui etiam in ejus sinu recubuerat, Evangelium edidit cum Ephesi in Asia moraretur.* De scripti jam Evangelii publicatione Irenæum non esse intelligendum, constat ex tota orationis serie: conditorum ab Autoribus suis Evangeliorum tempus apertissime tractat: *Matthæus apud Hebræos, propria eorum lingua conscriptum Evangelium edidit, dum Petrus & Paulus Romæ prædicarent: Marcus discipulus atque interpres Petri, quæ a Petro prædicata fuerant, perscripta nobis tradidit: Lucas, sectator Pauli, Evangelium a Paulo prædicatum literis mandavit,* Hoc omnibus certum est atque planum, non conditorum jam Lucæ, Marci, Matthæi Librorum declarationem, sed veram ac propriam Evangeliorum in chartis consignationem intelligi ab Irenæo. Consentaneum igitur est, in his quæ de Joannis Evangelio prodidit, eundem sensum inesse & intelligentiam, ut illud Ephesi, non modo publicatum, sed etiam scripto exaratum sibi voluerit. Absurdum sane ut παρέδωκε Marci Evangelium compositum significet: ἐξέδωκε vero in eadem orationis serie Joannis Evangelium scripto exaratum non significet. Hic Librum confectum, ibi non confectum declaret.

Utinam, iterumque utinam, Evangeliorum Conditores illa suis locis temporibusque distinxissent! Pura certe Lux & largas umbras Historiæ incubantes, atque Chronologiæ pepulisset. At tanquam si utrique offusa sempiterna nox esset, ruimus in tenebris, omniaque miscemus: sed vota corrigere pietas jubet. Obsequamur

mur igitur Sapienti Deo, qui animi famem, non curiositatem explere voluit. At non injustis adversus Traditionem querelis assurgimus, quod incolumem nobis notitiam, & ordinis Evangeliorum, & temporis non servaverit, atque custodierit, ut nil fere certi habeamus, nisi quatuor tantum esse & a quatuor Autoribus scripta. Consensus omnium vindicavit antiquitatem Matthæo: testimonii pondus elevat cum decantata omnibus Traditio, de Evangelio Matthæi Hebraicis literis exarato, tum rationes a nobis allatæ. Unum argumentum suppeditatur ab Epiphanio, veteris Traditionis ordini servando: *Matthaus igitur primus Evangelii scribendi provinciam nactus est, ut diximus; idque ei jure merito contigit: oportebat enim eum ipsum, qui ad conciliandam humano generi salutem advenerat, quique ita dixerat, non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, ad eorum qui servandi erant exemplum, ei homini potissimum prædicandæ salutis munus injungere, qui ab innumeris peccatis conversus, & a Telonio suscitatus fuerat, ac se omni scelere & injustitia revocarat, ut ab illo, quanta sibi esset adventu Christi humanitas collata, mortales discerent.* Haccine ratione ducemur ad consentiendum ordini Evangeliorum pervulgato? Quid est injuria Matthæi, si hæc non est? Publicanum quidem Matthæum & peccatorem novimus; ab omni scelere & injustitia revocatum non novimus. Nec si quid habet virium argumentum Epiphanianum, Matthæo primum, sed Paulo & Blasphemo & Persecutori provincia exarandi Evangelii committi debuit. Post Petri Martyrium editum esse Joannis Evangelium, consensus est Patrum omnium: fit tamen in ea re scrupulus. Petro Christus mortem diserte portendit c. 21. v. 4. *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas quo volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles.* Quæ si scripta sunt jam misso ad mortem Petro, injici de ea re mentio debuit, ut & completi oraculi cognitio caperetur; & Martyri Christi, laus sua concederetur. Sane, Liber ille qui vulgo Pontificale Damasi audit, quatuor Evangelia a *Petro confirmata* memorat. *Post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem & testimonium ejus, hoc, est Petri firmata sunt, dum alius Latine, alius Græce, alius Hebraice consonant, tamen ejus testimonio sunt firmata.*

An

AN. XLI. NUM. XVIII.

An Evangelium Matthæi Hebraice conditum? Negantium Cajetani Chamierique argumentum ab interpretatione vocum Hebraicarum ductum, inefficax esse demonstratur. Aliis rationibus perantiqua sententia impugnatur. Quæritur an antiquo, vel novo sermone Hebraico Matthæus scriptus sit? Veteri conditum non esse eo ostenditur, quod vel ipse Josephus Historicus, antiquæ Linguæ Hebraicæ insolens fuerit, ut apparet exemplis compluribus. Clar. Buxtorfius notatus. Novo sermone Hebraico sive Syriaco, Matthæum editum non esse, probatur contra illustrissimum Grotium. Patres antiquiores non nova, sed veteri Hebraica Lingua scriptum existimasse Matthæum, rationibus astruitur. Non Syriace, sed Græce editum fuisse ostenditur. Argumentum Lightfooti de ingrata Judæis Lingua Syriaca rejicitur. Traditio suppeditata a Baronio, de reperto codice Hebraico Matthæi in sepulchro Barnabæ, refellitur, ac Purpurati errores deteguntur. Hebraicus Matthæi codex versio fuit adornata adducendis ad fidem Hebraicæ Linguæ peritis. An Marcus Latine suum Evangelium ediderit? Temeraria affirmantis Baronii opinio rejicitur. Ejus rationes solvuntur.

APerte Patrum omnium consensione, quæ quasi Lex veritatis existimatur, Evangelium Matthæi Hebraice exaratum fuisse traditur. Quis vero nisi pallida manu, menteque frigida, tam adultæ autoritati ausit obniti? At salva res est: Facti quæstionibus non illigatur Ecclesiæ ἀναμαρτησία; & in his, quæ a sensuum testimonio

 non

non pendent, Ratio semper humanæ præstat autoritati. Nec magnus ille Patrum Chorus, qui de Matthæi Evangelio Hebraice exarato, Traditionem defendunt numero, junctisque umbone phalangibus, impedimento fuerunt Clariss. Valesio, quominus rotunde hoc fateretur: *An Matthæi Evangelium Hebraico sermone fuerit exaratum, parum constat.* Superiori seculo Vir doctus Cajetanus, cum innumera priscorum turba, audaces manus conseruit, argumentoque usus est, quod Viris Eruditissimis placuit: *Cajetanus* (verba sunt Magni Chamieri) *initio suorum Commentariorum, severe monet Evangelium non fuisse scriptum Hebraice, argumento non inepto ab interpretatione vocum Hebraicarum; ut c. 1°. Emanuel, quod est, si interpreteris, nobiscum Deus; c. 27. Eli, Eli, Lamma Sabactani, id est, Deus mi, Deus mi cur me deseruisti: non poterat enim Hebraica editio sic interpretari.* Hoc etiam addi potest, nullam fuisse rationem, cur hæc duo Hebraica nomina, potius quam omnia alia interpretaretur, si omnia fuerunt condita Hebraice. Imo, non poterat interpretari, concesso Hebræorum Linguam adhibuisse consignandis in charta Evangelii Mysteriis. His similibus argumentis dum voluto animum, non multum valere subruendam Antiquorum Traditionem fateri cogor, atque profiteri. Respondebunt enim facillime qui Patribus suffragantur, nec sine aliqua veri specie, vocum explicationes non Autoris esse, sed Interpretis. Nam & in Veteri quoque Testamento, Hebraica Græce nonnunquam explicata legimus: 1 Sam. 7. 12. *Et vocavit nomen ejus Eben* ויקרא יהו שמה אבן העזר *Heser* quæ Lingua sua Lxx. verterunt cum nominis proprii interpretatione: *Καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀβενέζερ, ὃ σημαίνει λίθος τοῦ βοηθοῦ.* Nec idcirco colligendum Hebraica lingua conditam esse septuaginta Virorum Editionem; sequitur tantum in sua Versione quædam Hebræa retenta esse vocabula. Idem existimari potuit de Matthæi Græca Editione, in qua phrases Hebraicæ nonnullæ reperiuntur, ad Lectorum Hebraice nescientium commodum explicata Græce. Similiter in Apocalypsi Græce scripta, Hebraica quædam disseminantur: *ὄνομα αὐτῷ Ἑβραϊστὶ Ἀβαδδών, ἐν ᾗ τῇ Ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων: nomen illi Hebraice Abbadon, Græce vero Appollyon.* Profecto nil impediret, quominus Hebraici codicis Matthæi interpres, solemnia quædam verba Hebræa dispersisset sua in versione,

Cham. de Can. l. 12. c. 1. 2. 4.

versione, quorum sensum aperuisset, ne lectoribus essent obstaculo. Quocirca, ariete solidiori antiquus ille murus subruendus est.

Ac primum omnium Divinæ sic Providentiæ non minimæ inuritur labes incuriæ, quippe quæ sacrum Editionis Authenticæ Thesaurum adeo neglexerit, ut hodie desideretur ab Ecclesia, frustra confugiente ad vota, recuperandis Hebraicis Matthæi exemplaribus. Quonam scopo vel fine Spiritus Sanctus animum Amanuensis sui impulit ad scribendum Hebraice? Ut cederet, opinor, in Ecclesiæ commodum; quem in finem Libri omnes sacri editi sunt: aberravit ergo a scopo sapientissimus ille, Ecclesiæ Rector, cum Editio Authentica Matthæi animo, oculis, precibus, frustra requiratur. Nec enim Hebraicum illud Evangelium, quod Anno Dom. 1537. opera Sebastiani Munsteri lucem inspexit; itemque aliud a Joanne Tilio Episcopo Briocensi editum, pro germano Matthæi fœtu habendum est. Nec dolorem amissorum fontium solari possunt, Versionis Græcæ rivuli, quasi ejusdem pretii atque autoritatis. Sapienter quippe dictum ab Isidoro Claro, Abbate Benedictino, nec non ab Andræa Vega, de Franciscanorum grege, audientibus Tridentinis, *Divum Hieronymum palam profiteri nullum Interpretem Spiritu Sancto afflante locutum; dotem Interpretis non esse Spiritum Prophetiæ, quod efficiat ut ille errare non possit in interpretando.* Itaque, Providentiæ magis consentaneum fuit, nunquam Hebraice edi Sacrum Matthæi Volumen, quam exaratum tam male perdi. Eo magis, quod docemur a Hieronymo ignotum esse Autorem Græcæ Versionis: *Matthæus*, inquit, *Evangelium Christi Hebraicis literis verbisque composuit, quod quis postea in Græcum transtulerit non satis certum est.* Profecto, æstimanti ac suo momento rem ponderanti, Editio Authentica Hebraica Matthæi ad munus huic Apostolo injunctum quadrare nulla ratione videbitur. Hæc fuit Apostolica Legatio; *Docete omnes gentes.* Nec Matthæus insolens oraculorum, quæ futuram Ethnicorum conversionem portendebant: *Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & discubituros cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo in Regno Cœlorum: filios vero Regni ejectum iri in tenebras illas extimas.* Matth. 8. 11. An prudentiæ fuisset, eam in scribendo Evangelio usurpare Linguam, qua nec Gentes Christi Religione instrui poterant, nec fusa impleri oracula? Ope Græci sermonis

monis, Matthæus ad propositum sibi finem, longe facilius perveniebat.

Graviori argumento urgebo Adversarios. Hebræa Lingua, aut puram illam qua usi sunt Prophetæ significat, aut vulgarem, quæ Judæis vernacula fuit Matthæi Temporibus, quæ & Hebræa dicitur, etsi antiquæ multum dissimilis. Sic titulus cruci a Pilato impositus scriptus est *Hebraice*; & Paulus Ἑβραΐδι διαλέκτῳ Judæos allocutus est, Act. 22. 2. hoc est, Lingua Syriaca, sive Hierosolymitana: hac ne an illa veteri scriptum sit Matthæi Evangelium, examinandum. Matthæi ævo antiqua Lingua Hebraica, Judæis nec vernacula fuit, nec familiaris, quocirca in Chaldaicam Linguam versi sunt a Jonathane Prophetæ, quod Sacra Lingua a vulgi captu tum remota fuit. Nec immerito quidem in dubio ponitur, utrum Josephus nobilis ille Historicus Hebraice sciverit: quo de vulgi peritia in Hebraicis Judicium haberi potest. Scilicet, tonsoribus, textoribus, sartoribusque, fons Hebræus notus erit, atque pervius, si erudito Sacerdoti inaccessus fuit, atque incognitus? Scio Eruditorum nonnullos vix credere Josephum Sacræ Linguæ ignorantia laborasse, cum asserat se idiomate Hebraico Historiam scripsisse suam. Quorum etiam opinioni plurimum hæc favere videntur: Καὶ ὁ Ἰωσήππος ὡς ἂν εἰ μὴ τῷ Ἰωάννῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς ἐν ἐπηκόῳ στὰς τά τε τοῦ Καίσαρος διήγγειλεν Ἑβραΐζων. *Itaque Josephus, ne soli Joanni hæc intimarentur, sed etiam pluribus, unde exaudiri posset constitit, & mandata Cæsaris Hebraico sermone disseruit.* Sed vanum est, fallaxque argumentum: Josepho Hebraicus sermo ille est, qui Judæis tum erat in usu, quo vernaculo Cæsaris mandata Josephus aperuit, ut a popularibus suis intelligeretur. Sermo autem ille Syriacus erat, cui Lucas Hebraicæ Linguæ nomen imposuit, Act. 21. 40. Paulus προσεφώνησε τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ: *locutus Lingua Hebræa*; non vero illa quæ Prophetis olim familiaris communisque fuerat.

Joseph. de Bell. l. 7. c. 4.

Hebraice nescivisse Josephum, id argumento nonnullis est, quod specie validissimum judicatur: Ὁπόταν σχασθείη τὸ ὄργανον καὶ ἡ πέτρα φέροιτο, τῇ πατρίῳ γλώσσῃ βοῶντες, ὁ υἱὸς ἔρχεται. *Quando impelleretur machina saxumque ferretur, Patria lingua clamantes, Filius venit.* Quasi hoc a voce perperam intellecta fluxerit, cum אבן *lapidem*, בן vero *filium* significet. Clamabant igitur Custodes, *lapis*,

Ibidem l. 6. c. 7.

pis, non quod Josephus habet, *Filius* venit. Argumento tamen plus pompæ quam ponderis inesse videtur; nec enim verosimile est Custodes antiqui sermonis Hebraici fuisse peritos, aut lingua hac incognita vulgo, civium implevisse aures, exeundis lapidum ictibus. An populi, Custodesque periti Patriæ Linguæ, cujus Josephus insolens? Etsi eorum sententiæ magis sum, qui Linguam Hebraicam Josephi notitiæ substractam fuisse existimant, verum tamen facilis largior Josepho quarumdam vocum Hebraicarum peritiam; verbi graria, τῦ אבנט Baltei, quæ remotioris est cognitionis quam אבן. Sed alia sunt quæ Linguæ Hebrææ peritiam abjudicant Josepho: Ἐπὶ δὲ τούτῳ λιναῖον ἔνδυμα διπλῆς φορεῖ σινδόνος βυσσίνης, χεθομένη καλεῖται. Λίνεον τοῦτο σημαίνει. Χεθὸν γὰρ τὸ λινὸν ἡμεῖς καλοῦμεν. *Super hoc induit linteam interulam Byssinam, ex duplicata tela confectam; Chetomene Nostris vocatur, significatque ea vox lineam; linum enim vocamus Cheton.* At כתנת Hebræis *tunicam* significat, non *linum*, quod cum פשתה, tum בד dicitur: Quocirca, Protoplastorum vestes quæ pelliceæ erant, non lineæ, vocantur a Mose כתנות עור. His accedit, quod Antiquitatum l. 3. c. 3. legitur: Τῇ Πεντηκοστῇ ἣν Ἑβραῖοι Ἄσαρθα καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο Πεντηκοστήν. *Pentecoste quam Hebrai Assarta dicunt, Assarta quippe Pentecosten significat.* Papæ! Pentecosten Assarta significat? Atqui עצרה feria est, a עצר clausit, cohibuit, Deut. 16. 8. *Sex diebus comedes infermentata, & in die 7ª.* עצרה *festum Domino.* Quin etiam festum a Jehu Rege Israelitarum indictum, Asarta vocatur 2 Reg. 10. 20. *Sanctificate* עצרה *festum Bahal.* An Pentecosten? Ut in errorem geminum Josephus lapsus sit: & quod Asarta *quinquagesimam* significare existimarit, & quod vocem festis communem, veluti Pentecostes celebritati propriam aptarit. Hebraice doctissimus Buxtorfius עצרה *feria proprie ultima*, festi solemnis quasi clausula. Viro quidem magno libenter in omnibus assurgam: verum tamen ejus annotatio accurata non videtur, cum עצרת vox sit festis omnibus communis. Joël 1. 14. Proclamate fest. עצרה. Amos 5. 21. *Non odorabo* בעצריכם *dies festos*; Esaiæ 10. 13. *Non possum ferre iniquitatem*, neque עצרת *quemcunque festum diem.* Quin etiam Pentecoste quæ una feria constabat, Assarta dicebatur, teste Josepho. Lapsus & memoria est Doctissimus ille Buxtorfius Levit. 23. 36.

Alia vox occurrit, מקרא videlicet, non עצרית. Ex Josepho & Docto & Sacerdote Hebraice nesciente, gravissimum ducitur argumentum in pervetustam de Evangelio Matthæi Hebraice exarato Traditionem. An Linguam hanc usurpasset Evangelista, quæ nec Gentibus cognita fuit, nec ipsis Judæis, nisi paucis doctioribus, qui studio & labore Linguæ Sacræ notitiam sibi comparaverant? quod argumentum si attendisset Eruditus Sebastianus Munsterus, in pervulgatam Patribus opinionem non concessisset: *Illud obiter adnotandum, Matthæum Genealogiæ recensionem accomodasse iis quibus scripsit hoc Evangelium, scripsit enim Hebræis, nimirum, ut creditur, Hebraice.* Quæ Viri Docti verba sunt, Crit. M. p. 5.

Antiquam Patrum Traditionem ut ad veri speciem accederet, incrustarunt Viri præstantissimi: Grotius, *par credi est scriptam a Matthæo Evangelicam Historiam, eo sermone qui in ea frequentabatur*; quæ & Widmanstadii, Guidonis Fabricii, Stapletonis sententia fuit, teste Doctissimo Anglo Wittakero, Contr. 1. *Quod vero Patres asserant Matthæum Hebraice scripsisse, id de illo sermone Hebraico intelligendum est, quo tunc Judæi utebantur, qui non erat purus Hebraicus, sed Syriacus, id est, ex Hebraico Chaldaicoque mixtus.* Cautior quidem hæc sententia, qua absurdum illud atque alienum ab omni sapientia vitatur, quod Lingua Judæis peregrina, ac hominum pene nulli cognita, Evangelium a Matthæo traditum sit. Sed Grotio & ὁμοδόξοις prius constituendum fuit atque videndum, num sua sententia ad Patrum Traditionem accesserit. Fatendum quippe est illos ab antiqua opinione, cui tamen adhærere velle videntur, diffidere plurimum, si Patres non *Syriacum* sermonem, qui in Judæa frequentabatur, sed *Hebræum* animo cogitarunt. Jam vero de Syriaca Lingua Patrum Traditionem non esse intelligendam eo apparet, quod Irenæus Linguarum Orientalium imperitus, gemini sermonis Hebraici, antiqui, scilicet, & novi, prorsus insolens fuit. Proindeque non alia quam V. Testamenti Lingua, Matthæum conditum esse existimare potuit. Ac fuerunt quidem non pauci, qui confuse saltem Syriacam ab antiqua Lingua Hebraica discrepare tenerent. Sed illi ipsi Matthæum Hebraico sermone vulgari scriptum esse non perhibent, imo utramque Linguam non obscure distinguunt, ut vix simile vero esse

videatur

videatur Hebraico sermone Syriacum intellixisse. De Bardesane Syro ab Eusebio narratur ἐν τῇ Σύρων φωνῇ διαλεκτικώτατος. *Vir disertissimus Syriaco sermone.* De Epistola Abgari: Καὶ τὸν δ' αὐτοῖς ῥήμασιν ἐκ τῶν Σύρων φωνῆς μεταβληθεισῶν τὸν τρόπον: *e Syrorum Lingua fideliter transtulimus in hunc modum.* Hebraice Linguæ nomen Syriacæ non imponunt: de Hegesippo, l. 4. c. 22. Ἔκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ, καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν: *nonnulla item ex Hebræorum Evangelio & Syriaco, & ex Hebraica Lingua profert in medium.* Ecce iterum inter utramque Linguam obscura discriminis vestigia. Veterum sermonem Hebræorum, non novum Epiphanio significari aperte ostendit eximius ille locus de Nazaræis: Ἑβραϊκὴν δὲ διάλεκτον ἀκριβῶς εἰσὶν ἠσκημένοι. Παρ' αὐτοῖς γὰρ πᾶς ὁ νόμος, καὶ οἱ Προφῆται, καὶ τὰ ἄλλα πάντα Ἑβραϊκῶς ἀναγινώσκεται, ὥσπερ ἀμέλει καὶ παρὰ Ἰουδαίοις. *Hebraica vero Lingua scientissimi sunt, ac cum universa Lex apud illos, tum Prophetæ & Hagiographa, cæteraque id genus Hebraice, ut & a Judæis, leguntur.* Quis, nisi captus sit oculis, Hebraicam veterem puramque Linguam, his pingi non videt, minime vero vulgarem, sive Syriacam? An de sermone qui vernaculus Nazaræis fuit, proditum fuisset ab Epiphanio hujusce Linguæ illos esse scientissimos? Nonne hoc ad mortuam Linguam referendum? Annon Sacra V. Testamenti Biblia, pura antiquaque Lingua Hebraica legebantur? Hanc igitur & Linguam in animo habebat Epiphanius: ὁ Ματθαῖος Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν γράφει Εὐαγγέλιον. *Matthæus Hebraica Lingua scripsit Evangelium.* Quod ergo Clarissimus Grotius, sermoni qui *in Judæa frequentabatur*, dicta Patrum accommodat, inventum esse videtur atque figmentum, a sensu communi Patrum & opinione alienum, ut sub larva Antiquitatis, nova nobis sententia obtrudatur: saltem incerta pro certis habet, vel Petavio judice; *Num Hebraica veteri puraque Lingua, an Syriaca, sive Hierosolymitana, vulgarique Matthæus Evangelium scripserit, nonnisi ex conjecturis pronunciari potest.* Animad. p. 55. unus Hieronymus aliquid coloris sententiæ Grotianæ spargit in 12. Matthæi.

Eufeb. Hist. l. 4.

Esto; Doctissimis adversariis concedatur, certum esse atque exploratum, Patres de vulgari Syriacoque Hebræo cepisse perantiquam Traditionem, argumento non fallaci huic & sententiæ insurgimus. Illabente

in

in illos Spiritu, conditum esse Matthæi Evangelium, Christiani omnes mente, voceque profitentur. Usurpasset-ne igitur tradendis fidei Mysteriis, Linguam gentis invisæ, quam mox flammisque delere jam habebat in animo? Ecclesiam præcipue e Græcis esse colligendam Matthæus sciebat, atque tenebat; itaque retulit in Historiam suam Christi oraculum, Judæis horribilia minitantis; *tolletur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti, quæ edat ejus fructus*: 21.43. Quapropter Matthæi sapientiæ, atque utilitati Ecclesiæ consentaneum fuit, ut scribendo Evangelio eam Linguam adhiberet, qua Liber ejus Ecclesiæ esset emolumento. Quem quidem fructum ex Syriaco sermone decerpere non potuit, nisi ope Versionum Græcarum; quo consequens est, satius fuisse ut primum Græca Lingua, quæ omnes pene Orbis regiones repleverat, Evangelium Matthæi, non secus ac reliquæ partes N. Testamenti conderetur. Atque hic cœlestis & Sapientia Dei, & Charitas aperuit se, cum Linguam, pene dicam omnibus notam, ac familiarem usurparit, ad promenda Religionis Mysteria. Cantatum pueris illud Ciceronis pro Archia; *Græca leguntur in omnibus fere gentibus*; *Latina suis finibus, exiguis sane, continentur.* Tantos fecerat progressus Lingua Græcorum, ut Roma in Græciam concessisse videretur. Mordaci sale risum quærebat ille Satyricus, qui Matronas Romanas etiam Græce concumbere luserat: quæque Græcis blandimentis Maritos suos blande palpabant. ζωὴ καὶ ψυχή. Sed & impurus ille Nero proximus morti, suam sic increpabat segnitiem: Vivo deformiter, ac turpiter, οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει νήφειν, δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Quin etiam admissa Irenæi Traditione, Judæorum causa scripto exaratum esse Matthæi Evangelium, eorum qui Græce sciebant Judæorum numerus longe major esse videtur, quam qui tantum Hebraice: cum & Ægyptus, & Asia, & Europa innumera Judæorum Turba scaterent, qui Linguæ Syriacæ, ut verosimillimum, erant insolentes, atque ignari, non vero Græcæ. Proindeque, si communis boni, si utilitatis Ecclesiæ, si decentiæ atque ordinis rationem habere convenientissimum est, Lingua omnium notissima, & ad Christianorum ædificationem magis conducente, scribi debuit Evangelium, Græca scilicet, non Syriaca. Si veri speciem arripit de Matthæo Hebraice exarato

to Traditio Patrum, utique Evangelium secundum Hebræos, germanus codex Matthæi existimandus est, ex antiquæ Traditionis decreto: quo de codice sic Hieronymus, in Matth. c. 22. *Evangelium quo utuntur Nazareni, vocatur a plerisque Matthæi Authenticum.*

Atque hæc in Clarissimi Grotii sententiam, quam novo telo agere Doctissimo Lightfooto placuit; *Mireris, ô Lector, Canonem istum audiens, qui hominem singularem permittit in quavis Lingua orationes suas fundere, dum ea petit quæ sibi sunt necessaria, excepta solum Lingua Syriaca*: יחיד שואל צרכיו אומר בכל לשון חוץ. *Dum necessaria sibi petit, utatur quavis lingua* מלשון ארמי *excepta solum Lingua Syra.* Hinc colligit Vir ille Doctus, *Matthæum, nec alios novi fœderis Amanuenses Syriaca Lingua scripsisse; nisi Lingua ingrata gentis ingratæ eos scripsisse arbitremur, quod certe non est arbitrandum.* Apostolorum temporibus ingratam fuisse Judæis Syriacam Linguam, figmentum est Rabbinorum somniantium ineptias. An somniculoso hominum generi major adhibenda fides, quam Lucæ; Act. 22. 2. *Cum audiissent autem Paulum Hebræa Lingua ipsos alloqui, magis præbuerunt se quietos.* Hoccine silentium plura audiendi cupidum signum est ingratæ Linguæ? Quonam vero sermone suos Christus orare docuit? Quanam Joannes, magnus ille pœnitentiæ Præco? Quibus verbis vota sua concipiebant Judæi illi qui duntaxat vernacule sciebant? An gratior illis fuit Lingua, vel Romanorum quorum jugo premebantur, vel Græcorum, quos contemnebant, ac pro nihilo putabant? Merito quidem Jonathan Onkelosque Syriacæ Linguæ Chaldaicam antetulerunt, ut usui esset & Judæis Babyloniam habitantibus, quorum numerus longe maximus fuit; Sed hinc non recte colligitur Linguam Syriacam Judæis in Palæstina degentibus odio fuisse.

Lightfoot. Hor. Heb. in Matth. c. 1. 23

Probandæ antiquæ de Matthæo Hebraicis literis exarato Traditioni, Baronius Traditionem adhibuit, n. 18. *Refosso Barnabæ corpore, Anno 4°. Zenonis Imperatoris, una cum eo illique inhærens inventum fuisse Evangelium secundum Matthæum Hebraice conscriptum, Historicorum illorum temporum vera assertione constare suo loco dicemus.* Atqui memoria, non minus quam judicio Purpuratus lapsus est. Testis mihi Nicephorus l. 16. c. 37. *Sub Anastasii imperio corpus Barnabæ Apostoli in Cypro, sub arbore quæ siliqua dicitur, inventum est:*

super cujus pectore sacrum & divinum Evangelium Matthai Evangelista repertum fuit, ipsius Barnaba manibus scriptum. Matthæi Evangelium Barnabæ pectori recubuisse legimus, *Hebraice* scriptum non legimus. Testis etiam mihi Baronius, An. 475. n. 10. *Invenerunt venerandas Sancti & venerabilis Apostoli Barnaba reliquias, suavem gratia spiritualis odorem spirantes; invenerunt etiam Evangelium supra Barnaba pectus impositum*: de Matthæi Evangelio Hebraice conscripto ne verbum quidem. Sed ut memoria, sic & judicio lapsus est; nec monstrosæ mendacique fabulæ, illustrissimus Purpuratus benignas aures accommodare debuit. Evagrius Nicephoro longe antiquior, de invento in sepulchro Barnabæ Matthæi Evangelio Traditionis ignarus fuit: quam dubio procul silentio non prætermisisset, cum ad affanias ejusmodi inclinatior Evagrii animus fuerit. Horrendo quidem sacramenti abusu, viguit olim hic mos consepeliendi mortuis Eucharistiam; sed Sanctissimum Apostolum eo superstitionis processisse, ut sacrum Matthæi codicem secum condi sepulchro voluerit, absurdissimum otiosorum figmentum est, contemptu quam fide dignius. Edita certe Scriptura est hominibus Dei notitia imbuendis; *hac scripta sunt ut credatis*; non ut in tenebris sepulchri, pulvere & squalore obsita jaceat. Nihil ad Barnabam rediisset ex tam præpostero facto. Itaque Eruditissimo Stephano Lemoinede hac Traditione non assentior: *Voluit vero secum humi condi quasi ἐπιτάφιον, ut omnibus innotesceret se ad mortem usque Evangelii doctrinam esse professum.* Proleg. t. 1. Var. Sacr. Eadem de causa debuisset & Paulus, debuissent & Apostoli, simili cum ἐπιταφίῳ condi sepulchro. Si cum Evangelio sepeliri Barnabas voluit, quamobrem nullus Veterum tanti Apostoli exemplum imitatione prosecutus est? Barnabæ instar hoc se *viatico* munivissent, significando *se animam Deo reddidisse, corpusque expectare Beatam Resurrectionem.*

Hieronymum quidem mendacii postulare nolim: *Mihi quoque a Nazaræis qui in Bocrea, Urbe Syria, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* Exemplar Hebræum Matthæi Hieronymum trivisse, nullus dubito: Sed & hanc in partem errasse, ut vidisse Autographum Evangelistæ existimaret, mihi non est in dubio, cum perantiqua illa Irenæi, Eusebii, Nazianzeni Præceptoris sui Traditione esset imbutus. Quantum ex ipsa re conjecturam facio, Hebraicum illud exem-

exemplar versio fuit in usum doctiorum Hebræorum adornata, ut Lingua quæ ipsis sacra fuit, atque pergrata, ad Evangelium legendum facilius allicerentur. Ac conjecturæ quidem fidem facit Epiphanius Hær. 30. n. 3. 127. Ἤδη δὲ πού καὶ τινες πάλιν ἔφασαν, καὶ ἀπὸ τῆς Ἑλληνικῆς διαλέκτου, καὶ τὸ κατὰ Ἰωάννην μεταληφθὲν εἰς Ἑβραΐδα, ἐμφέρεσθαι ἐν τοῖς τῶν Ἰουδαίων Γαζοφυλακίοις... ὡς τινες τῶν ἀπὸ Ἰουδαίων πεπιστευκότων ὑφηγήσαντο ἡμῖν κατὰ λεπτότητα: *nec defuere qui de Joannis Evangelio confirmarent illud Hebraice translatum Tiberiade in Judaorum Gazophylaciis asservari... id quod nonnulli mihi qui se ad Christi fidem e Judaismo transtulerant, accuratissime declararunt... & qui nobis ista narrabant, indidem Christiana amplectenda fidei occasionem acceperunt.* Joannis Matthæique Evangelium similem arripuisse sortem vero proprius est.

Latine conditum fuisse Marci Evangelium audaci manu scriptum fuit a Baronio, An. 45. n. 38. Hoc unum quippe deerat gloriæ Ecclesiæ Rom. quod adornandæ Editioni authenticæ, Lingua sua inserviret: *Grace-ne, an vero Latine scripserit, dubitatum est a pluribus*: Quæ magna est in scribendo temeritas; cum plures illi ex Antiquis, in unum Pontificalis Damasi autorem confluant. Adversis sane frontibus, nulla de causa Purpuratus Hieronymo concurrit, Ep. ad Damas. 123. *De Novo nunc loquor Testamento, quod Gracum esse non dubium est; excepto Apostolo Matthao, qui primus in Judaa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit.* Quid disertius? Hieronymo consentit & Augustinus de Consen. Evang. l. 1. c. 2. *Horum sane quatuor, solus Mattheus Hebrao scripsisse perhibetur eloquio, cateri Graco.* Exaratum quidem Hebraice Matthæi Evangelium ab omnibus Antiquis dictum; Marci vero, Lingua Romanorum editum fuisse, ab autore Pontificalis si discesserimus, a nemine dictum: non a Clemente, non ab Origene, non ab Eusebio, non ab Epiphanio, non ab Augustino, qui non minus in Marco quam in Matthæo mutatam Linguam Græcam subnotassent.

Non igitur autoritate vincet Cardinalis; sed melioribus, ut putat, ominibus, Rationem induxit in pugnam: *Suadet hoc ipsum & ea potissimum ratio, quod Marcus cum esset Petri interpres, si in gratiam Romanorum Evangelium scripsit, quenam suberat causa, ut Grace potiusquam Latine scriberet?* Hoccine est grave illud argumentum,

Ddd 2 quo

quo Antiquitatis consensus impeti debuit? Atqui jam auditum Patres multa variare de loco editi primum Evangelii Marci: & nonnullos in ea versari sententia, quod in Ægypto conscriptum fuerit. At concesso Romæ fuisse editum, quid tum præterea? An Pauli ad Romanos Epistola, Latine exarata fuit? Qua igitur de causa Marcus, omisso Græco sermone, Romanum usurpasset, cum Græca Lingua esset notissima? De Claudio narratur; *Splendidum virum Graciaque Provincia principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Quibus luce clarius est, Linguam Græcam magnum Romæ fecisse progressum, cum judices ipsi Latine nescirent. Tritum pueris illud Juvenalis.

Nam quid rancidius quam quod non se putat ulla
Formosam, nisi qua de Thusca Gracula facta est.

Verum tamen imperante Trajano, fata Linguæ Latinæ longe feliciora fuere, Plutarcho teste. Quæst. p. 1010. *ὡς δοκεῖ μοὶ περὶ Ῥωμαίων λέγειν ὧν μὲν λόγῳ νῦν ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται:* *id quod de Romana Lingua dicere possum qua fere omnes hodie homines utuntur.* Marci Autographum Latinum Venetiis adservari volunt, in Thesauris Marcianis: sed commentum opinionis tandem deleat dies! fabulæ puduit Eruditum Jansenium, Iprensem Episcopum, cujus verba ascribere non piget: *Baronius putat Marcum Romanis scripsisse Romana, id est, Latina Lingua, Evangelium suum, cujus Autographum adservari volunt Venetiis, in Thesauris Marcianis: & hoc claris verbis dicit textus Syriacus, in fine Euangelii. Sed omnes antiqui Scriptores alicujus nota, videntur sentire quod scripserit Grace; ut Augustin. l. 1. de Consensu cap. 2. Hieron. Ep. 123. ad Damas. Ita ut dicat excepto Matthao, hoc de ceteris Evangelistis non esse dubium. Et sane certissimum videtur Latinum textum quo nos utimur, non esse a Marco compositum, sed esse versionem ex Graco, & quidem ejusdem interpretis cujus sunt catera Evangelia. Idem est enim vertendi modus, eadem phrases: iidem subinde soloecismi. Quare si Marcus Latine scripserit, simul & Grace, ut quidam volunt, dici debebit Latinum Autographum, quod valde mirum periisse, sicut Matthai Hebraicum.* Recte atque candide doctus ille Præsul præfat. in Marcum. Sed interea suam sententiam de Matthæi Evangelio Hebraico, sermone scripto, argumento

to non inerti concutient, cum non minus mirum fuerit Autographum Matthæi Hebraicum, quam Latinum Marci desiderari. Non illum quidem Autographum exaratum Matthæi manu, atque calamo: sed ἀπόγραφον, eandem sententiam, eadem verba complectens. Valde, inquam, mirum est tot exempla ab illo Matthæi Autographo descripta, funditus periisse.

AN. XLI. NUM. XIX.

Baroniana incuria in laudandis Patribus. Ejus error de Ebionæis. A Genealogia Christi apud Matthæum quam resecabant, suam hæresim non hausisse, ostenditur. An Nazaræi Christum Divinitate sua abdicarent? Affirmantis Theodoreti opinio falso simillima. An Nazaræis Jessæorum nomen imposuit Epiphanius? Lapsus Lamberti Danæi. An Jesu nomen, a quo titulus Jessæorum ortus, curatorem significet? Scaliger a Petavio hic immerito vexatus, defenditur. De Nazaræorum Evangelio Petaviana sententia. Sit-ne depravatum Matthæi Evangelium? Compilationem fuisse variarum Traditionum, Paraphraseωn, ac desumptorum ex Evangeliis textuum, ostenditur. An Patres Evangelium secundum Hebræos, esse Evangelium Matthæi depravatum, crediderint: verosimile Nazaræis & Matthæi versionem, & Evangelium secundum Hebræos in usu fuisse.

Viri candidi est, atque abundantis in amore veri, Autores Fideliter repræsentare; quod officium, licet æquissimum, probe sæpius a Baronio non curatum est. En hujusce incuriæ specimen: *Nec hoc tantum Nazaræi & Ebionæi, sed Cerinthus & Carpocras, Matthæi Evangelium descripserunt, sed eo plane abusi, e Genealogia Salvatoris a*

Matthæo contexta, sic Christi humanitatem tantummodo didicerunt, ut Divinitatem negarent. Siccine Epiphanius? Κήρινθος καὶ Καρποκρᾶς τῷ αὐτῷ χρώμενοι δῆθεν παρ᾽ αὐτοῖς Ευαγγελίῳ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ κατὰ Ματθαῖον Ευαγγελίου, διὰ τῆς γενεαλογίας βούλονται παριστᾶν ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας εἶναι τὸν χριστόν: *Cerinthus enim & Carpocrates, eodem Matthæi, ut quidem volunt, Evangelio freti, ex ejus initio Christique genealogia probare nituntur, Christum e Josephi & Mariæ semine esse procreatum.* Hæc quidem lævia: at licentius errat, & gravius de Ebionæis. An e genealogia Christi a Matthæo contexta, Servatoris humanitatem didicerunt, si hanc ipsam genealogiam de suis codicibus exterminarunt? Atqui pro certo hoc affirmatur ab Epiphanio, quem Baronius testem suppeditat: οὗτοι δὲ ἄλλα τινὰ διαμυθοῦνται, παρακόψαντες γὰρ τὰς παρὰ τῷ Ματθαίῳ γενεαλογίας ἄρχονται τὴν ἀρχὴν ποιεῖσθαι ὡς προείπομεν λέγοντες, ὅτι ἐγένετο φησίν, ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου. *Ebionæi contra aliud omnino statuunt: nam omni genealogia amputata, inde, ut diximus, initium deducunt; Factum est in diebus Herodis.*

De Nazaræis, eorumque Evangelio, nunc est disserendum: Theodoretus Hæret. Fabul. l. 2. *Nazoræi*, inquit, *sunt Judæi, qui Christum tanquam justum hominem venerantur, & Evangelio, quod dicitur secundum Petrum, utuntur. Conflatas esse has hæreses imperante Domitiano, dixit Eusebius.* Sed languida hic est autoritas Theodoreti. Epiphanius quidem nonnunquam fuit in dubio, an Nazaræi Christum Deum profiterentur: *De Christo vero certo illud affirmare nequeo, Utrum Cerinthi vel Merinthi impietate illa decepti, simplicem illum hominem asseverent; an uti sese res habet, per Spiritum Sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur.* Sed fluctu tandem mentis alibi composito, ostendit de Christi Divinitate Naziræos recta sapivisse: ἕνα δὲ τὸν θεὸν καταγγέλλουσι, καὶ τὸν τούτου παῖδα Ἰησοῦν Χριστόν: *Unum esse Deum, ejusque Filium J. Christum prædicant.* Quocirca venenatum ut crabronem, Nazaræorum errorem insectatur, cum niger ut chelydrus conterendus esset, si Sanctissimum Christi Numen pedibus protrivisset, atque proculcasset. Accuratius juxta ac constantius hæc sunt de Nazaræis ab Augustino prodita: *Nazaræi cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observant.* Ut vix dubitari possit Veteris Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ retentis Mo-

saicæ

saicæ disciplinæ ritibus, Christum tamen observabat atque colebat, Nazaræos fuisse progeniem.

Vero lapsus est Eruditus Lambertus Danæus, Commentario in Librum Augustini de Hæresibus; cum Nazaræis accomodat dictum Epiphanii de Christianis: *Hi ipsi* (verba sunt Danæi) *ut tradit Epiphanius, postea Jessai, a Jesse Patre Davidis & Christi secundum carnem progenitore, dicti sunt.* Non ea mens fuit Epiphanio. *Atque illi quidem non a Christo, neque ab Jesu nomen acceperunt, sed se Nazaraeos appellarunt, si quidem Christiani tum omnes Nazaræi vocabantur:* γέγονε δὲ ἐπ᾽ ὀλίγῳ χρόνῳ καλεῖσθαι αὐτοὺς Ἰεσσαίους πρὶν ἢ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχείας ἀρχὴν λάβωσιν οἱ Μαθηταὶ καλεῖσθαι χριστιανοί: *Quanquam pro exiguo tempore Jessaorum penes illos nomen resedit, antequam Christiani Antiochia nominari cœperint.* Plana opinor, & certa mens est Epiphanii. At unde Sanctus ille Pater hauserit, quod & Christiani Jessæi, & a Jesu appellati sint, prorsus nescio. Sic tamen disertissime; *aut illud denique ex notatione ipsa nominis, quo Dominus vocatus est, originem accepit:* Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρὸς, καὶ Σωτήρ: *Jesus enim Hebraice Curatorem, hoc est medicum, ac Servatorem significat.* Hær. 29. n. 4. Nolim quidem videri errantium Patrum fortunis, & horum talium Virorum autoritati illudere: imo, institutum eorum vehementer probo atque laudo, qui totis nervis incumbunt Antiquis ab errore absolvendis; optime tamen a Jurisperitis dictum; *Turpis excusatio non est accipienda.* En doctissimi verba Petavii, sed Jesuitam exercentis: *Hæreticis ferme quorum, sive non immerito reprehendant, intolerabilis superbia, sive perperam accusent, vanissima ac ridicula impudentia est.* Hæc in magnum Scaligerum, cui etymon Epiphanii jure displicuit, cum Jesus Hebraice θεραπευτὴν non significet. Quam autem Petavius parat excusationem: *Verum*, inquit, *hæc* συνωνύμως, *& quidem haud absurde usurpavit Epiphanius: etenim* ישע *a quo* יהושע *vel* ישוע *idem est ac* σώζειν, *quod in corporis animique morbis idem est ac* θεραπεύειν *&* ἰᾶσθαι. Sed ea defensione Petavius utitur, quæ non venit in mentem Epiphanio. Κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον: vim est Hebraicæ vocis reddere. Respondet autem Hebraico ישע verbum Græcum σωτὴρ, non θεραπευτὴς curator, quem Hebræi רפא nuncupant. Unde apud Jobum 13. 4 רפאי אלל *medici nihili.*

Propterea

Propterea Jesus passim σωτὴρ dicitur, θεραπευτὴς nunquam. Καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν, αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν: *vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim servabit populum a peccatis ipsius*, Matth. 1. Si vero μεταληπτικῶς non autem secundum ἀκριβολογίαν, Jesum qui proprie Salvator est, *Curatorem* interpretari liceat; licebit quoque & *Sanctificatorem*, quia Sanctificatio pars magna salutis est. Feret-ne quis talem Grammaticam, Jesus Hebraice ἁγιάζων καλεῖται, Sanctificantem significat, quod tamen μεταληπτικῶς verissimum est.

Evangelium Nazaræorum, quod bene multis *Authenticum* Matthæi creditum est, de se silentium agi non patitur: quo de Libro sic Epiphanius, Hær. 29. n. 9. ἔχουσι δὲ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον πληρέστατον Ἑβραϊστί. *Est vero penes illos Evangelium secundum Matthæum, sed Hebraice scriptum, & quidem absolutissimum*: quæ quomodo cum sequentibus una consentiant, nullus video: *Verum illud nescio, num genealogias illas amputarint, quæ ab Abrahamo ad Christum usque perductæ sunt.* Nec enim Liber absolutissimus existimari potest, ex quo partes aliquæ detractæ sunt. De hoc Matthæi Hebraico Evangelio sententiam Petavius sic ostendit suam: *Neque vero purum putum Matthæi Evangelium fuit, ut existimasse videtur Epiphanius, sed ab illis depravatum, quod & Evangelium* κατὰ Ἑβραίους *appellat Eusebius.* Hac ex observatione Viri doctissimi injectus est hominibus scrupulus, & quædam dubitatio.

Petav. Anim. p. 54.

Ac primum omnium, Evangelium secundum Hebræos mihi videtur esse farrago multarum Traditionum, Historiarum, licentiosarum Paraphraseωn, præcipue quidem Matthæi Contextus, sed etiam partium ex aliis Evangelis desumptarum; quæ si vera sunt, Petaviana Evangelii Secundum Hebræos descriptio non est accurata. Cur de hoc Evangelio sic censeam causa est, quod Liber ille & *secundum Apostolos* dicebatur, teste Hieronymo adversus Pelagianos l. 3. Variis porro cum Historiis ex Traditione haustis, tum licentioribus constasse Paraphrasibus, ea demonstrant loca, quæ Patrum Lucubrationibus ac monumentis, ab oblivione vindicantur. Clemens Alexandrinus Strom. l. 2. p. 278. ἢ κἀν τῷ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίῳ, ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, γέγραπται, καὶ βασιλεύσας ἀναπαήσεται: *qua etiam ratione scriptum est in Evangelio secundum Hebræos; Qui admiratus*

ratus fuerit regnabit, & qui regnabit repuiescet. Hieronymus in Catalogo Script. de Jacobo: *Evangelium quoque quod appellatur secundum Hebraos, & a me nuper in Gracum Latinumque sermonem translatum est, quo & Origenes sapius utitur, post Resurrectionem Salvatoris refert: Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei; juraverat enim Jacobus se non comesturum panem ab illa hora quam biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursusque post paululum; Afferte, ait Dominus, mensam & panem; statimque additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, ac dedit Jacobo Justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus.* Addantur & exempla Paraphraseon: Hieronymus in Esai. c. 11. *Porro in Evangelio cujus supra fecimus mentionem, hac scripta reperimus: Factum est autem cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus Sancti, & requievit super eum, & dixit illi; Fili mi, in omnibus Prophetis expectabam te ut venires, & requiescerem inte: tu es enim requies mea: tu es filius meus primogenitus qui regnas in sempiternum.* Idem ille Hieronymus adversus Pelagianos l. 3. *In Evangelio juxta Hebraos—narrat Historia: Ecce Mater Domini & fratres ejus dicebant ei, Joannes Baptista Baptizat in remissionem peccatorum, eamus & Baptizemur ab eo; dixit autem eis, quid peccavi ut vadam, & Baptizer ab eo?* Hoc ex specimine apparet atque extat, Evangelium secundum Hebræos, veram esse Traditionum, & sacrorum codicum, compilationem, adjunctis illicentiosis explicationibus amplificationibusque.

Quærendum præterea est, an Petaviana sententia ad illam Antiquorum quadret? hoc est, crediderint-ne Evangelium secundum Hebræos, depravatum esse Matthæi Evangelium? Si verum volumus, de Evangelio secundum Hebræos Patres bene existimasse, fatendum est; ut vel ad Libros Canonicos ascriberetur a nonnullis. Euf. l. 3. c. 25. ἤδη δ' ἐν τοῖς τινὲς καὶ τὸ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγέλιον κατέλεξαν, ᾧ μάλιστα Ἑβραίων οἱ τὸν χριστὸν καταδεξάμενοι χαίρουσι: *sed & in eundem ordinem, jam a quibusdam relatum esse Evangelium secundum Hebraos, quo maxime delectantur Hebrai illi qui Christi fidem susceperunt.* Epiphanius jam testimonium dixit, quo docemur illum maxime fecisse Evangelium Matthæi, quod penes Nazaræos fuit, Ἑβραϊκὸν εὐαγγέλιον. His accedat Hieronymus in

Matth. c. 12. *In Evangelio quo utuntur Nazareni & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur a plerisque Matthæi Authenticum, homo iste qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur.* An depravatum Matthæi codicem eo dignitatis evexissent, ut pro Authentico illum plerique haberent. Sed nec hanc Hebræis Nazaræisve antiquiores imposuerunt ignominiam, quod ab illis corruptum depravatumque sit Matthæi Evangelium: nec compilatio quam jam satis repræsentavimus, depravatio Matthæi codicis dici potest.

Quo magis his voluto animum, videre mihi videor non modo Evangelium secundum Hebræos, sed etiam Matthæi, perinde atque totius N. Testamenti versionem apud Nazaræos fuisse in usu. Profecto, cum Judæis esset in more positum Scripturæ legendæ dare operam, quod officium inter probi viri atque Religiosi requisita palam habebatur, vix in dubio ponendum, Æliensi Ecclesiæ suam fuisse Novi Testamenti versionem, quò Christiani Sanctæ Religionis notitia instruerentur. Sedente Simeone cui Jacobus frater Domini decesserat, quemque Trajani ad usque imperium vitam retinuisse memorant, donec annos centum & viginti natus lucem relinqueret, martyrio in Cruce gloriosissime peracto, germanum Matthæi Evangelium in Ecclesia palam privatimque legebatur. Quem certe morem tenuere Nazaræi, vera Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro-
Epiph Hær. 29. n. 7. genies; Vel Epiphanio judice: Ἐκεῖθεν γὰρ ἡ ἀρχὴ γέγονε μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων μετάστασιν, πάντων τῶν Μαθητῶν τῶν ἐν Πέλλῃ ᾠκηκότων, Χριστοῦ φήσαντος καταλεῖψαι τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ ἀναχωρῆσαι, ἐπειδὴ ἤμελλε πάσχειν πολιορκίαν: *hinc enim post illam ab Hierosolymis secessionem, illorum initia profecta sunt, cum Pellæ discipuli omnes habitarent, a Christo de relinquenda Hierosolymorum urbe, migrandoque præmoniti, quod ejus immineret obsidio.* Propterea monemur ab eodem Epiphanio: *Nec defuere qui de Joannis Evange-*
Id. Hær. 30. n. 3. *lio confirmarent, illud Hebraice translatum, Tiberiade in Judæorum Gazophylaciis asservari, & in secretioribus quibusdam penetralibus recondi; id quod nonnulli mihi qui se ad Christi fidem e judaismo transtulerant, accuratissime declararunt. Imo & Apostolorum Actus in Hebraicum sermonem perinde conversos e Græco, iisdem Thesauris haberi, multorum sermone percrebruit.* Ad veri ergo similitudinem accedit, & authen-

authentici Græci Matthæi versionem, & Evangelium secundum Hebræos, ab illa multum diversum, usurpari, & legi a Nazaræis: Versionem ex antiquo more Æliensis Ecclesiæ, Simeone Sedente, cui opinor, Evangelium secundum Hebræos ignotum fuit; Evangelium vero ex introducta sensim consuetudine, ac pretio maximo hujusce libri apud Nazaræos.

Cæterum, quanam lingua conditum illud Evangelium fuerit his declaratur ab Hieronymo: *Quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus*: non antiquo quidem puroque Hebræo, sed vulgari, teste eodem Hieronymo l. 3. adversus Pelagianos: *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem syroque Sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazarani, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod in Cæsariensi habetur Bibliotheca.*

AN. XLI. NUM. XXI.

De tribus Petroniis a Baronio in unum conflatis. Petronium Valerii Max. Petroniumque Ægypti præfectum. Petronium Syriæ Præsidem, tres Petronios esse demonstratur.

DE Hercule summus Poeta, Æneid. 8°.

maximus ultor
Tergemini nec Geryonis, spoliisque superbus
Alcides

De gloria quidem cum Hercule certare nolim; pugnam tamen hic committo cum Tricorpore Petronio. Placuit nimirum illustrissimo Purpurato, tres in unum conflare Petronios, ne sua nostris seculis monstra deessent Geryonis simillima. *Sed ut quis fuerit iste Petronius intelligatur; sciendum est fuisse Equestris Ordinis, militia clarum, qui & sub Augusto adversus Æthiopes copias duxerat. Ceterum enim humili loco natum ad Equestrem pervenisse dignitatem, auctor est Valer Max.* Quæ Baronii adeo absurda sunt, atque absona, ut nihil supra. Immani huic coarguendo errori, Valerius Maximus exscribendus est: *Admodum humili loco natus Petronius, ad Equestrem* Val. Max. l. 4. c. 7. 2. 5.

Ordinem, & splendida militiæ stipendia, P. Cælii beneficio pervenerat, cui gratum animum, quia in læta materia exhibere non contigerat, in ea quam iniquam fortuna esse voluit cum multa fide præstitit. Erat ab Octavio Consule Placentiæ præpositus Cælius, quæ a Cinnano exercitu capta, & senior jam & gravi valetudine affectus, ne in potestatem hostium veniret, ad auxilium dextræ Petronii confugit; quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in iisdem precibus interemit, cædique ejus suam junxit, ne eo jacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat, superesset. Hæc Anno U. C. circiter 666. An igitur ex inferis revocatus ille Petronius, Præfectum Syriæ exercuit, imperante Caligula, Anno U. C. 793?

Regnante Augusto, Vir bello insignis Petronius Ægypti præfectus fuit, Josepho Historico non ignotus: *κατὰ τοῦτον μὲν οὖν τὸν ἐνιαυτὸν ιγ ὄντα τῆς Ἡρώδου Βασιλείας, πάθη μέγιστα τὴν χώραν ἐπεβαλῆν: eodem anno qui fuit Regni Herodis 13. maxima calamitates in eam Regionem ingruerunt.* Ant. l. 15. c. 12. Fami ex diuturna siccitate ortæ medelam ut afferret Herodes, quidquid erat in Regia suppellectilis tam aureæ quam argenteæ, id totum concidit, nec laudatorum artificum parcens operibus, nec vasis ad usum necessariis: *ἔπεμπε δὲ εἰς Αἴγυπτον τὰ χρήματα Πετρωνίου, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Καίσαρος εἰληφότος. inde confectam pecuniam mittebat in Ægyptum, quam tum Petronius obtinebat pro Cæsare.* Cui verosimile non erit, Petronium Ægypti Præfectum a Petronio Syriæ Administratore diversum non esse? Prior ille Petronius anni jam saturus erat, militia quippe clarus, & ad magnam dignitatem evectus, cum remedium adversus famem in Judæa grassantem miserat Herodi. Ab Herodis Decimo tertio ad quartum Caligulæ, quo Petronius Syriam administrabat, anni intersunt septem & sexaginta: quibus si illi addantur quos Petronius jam ante Herodis 13. vixerat; centum & amplius annos natus fuit, ex Chronologia Baroniana, cum Syriæ impositus est: qua quidem ætate idoneum esse regendæ Provinciæ, a veri fide diffidet; cum huic muneri exercendo magnæ vires & corporis, & animi inesse debeant, quæ in ætate tam longa desiderantur.

Non pauci Romæ fuere Petronii. Regnante Nerone celebris fuit Petronius Turpilianus, de quo sic Tacitus, Annalium l. 14. c. 12. *Detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in lito-*

littore remigiumque in iis amiſerat, tanquam durante bello tradere exercitum petronio Turpilliano, qui jam Conſulatu abierat, jubetur. Omnibus decantatus Cajus ille Petronius, cui dies per ſomnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Proconſul tamen Bithiniæ, & mox Conſul, vigentem ſe ac parem negotiis oſtendit. Neronis aſſumptus eſt elegantiæ arbiter: Autor eſt libri elegantibus quidem, ſed obſcœnis verbis ſcripti, qui nunc omnium manibus teritur. Fuit & alius Petronius Urbis Procurator, qui fidus Othoni putabatur. Eodem ſane jure omnes illos Petronios Baronius in unum conflare potuit, ac tres memoratos, qui Purpurato unus & idem homo eſt; quæ nugæ ſunt nugaciſſimæ.

EXERCITATIO SEPTIMA.

AN. XLII. NUM. I.

Error Baronianus de Pomponio Secundo. Non Anno Caligulæ tertio, ſed 4°. Pomponium Conſulem ſuffectum fuiſſe demonſtratur ex Dione. Servilis honos a Pomponio exhibitus Caligulæ. Anton. Pagius notatus.

IN errorem delapſum eſſe Baronium, mecum ille fatebitur, qui vigilantibus oculis Dionem inſpexerit. *Cæterum*: inquit Purpuratus, *ab eodem Autore Pomponius Secundus, Conſul eodem anno creatus nominatur*; Siccine Dio? *Tertio die Edicto omnium Prætorum ad vota peragenda convenerunt, ſed neque tum, neque poſt, quicquam ſtatuerun: donec nuntiatium eſt die duodecima Cajum magiſtratu ſeſe abdicaſſe·* τότε γὰρ παραλαβόντες αὐτὴν οἱ ἐς τὸ ἔπειτα κεχειροτονημένοι, δώδεκα τὰς προσηκούσας σφίσι: *tunc occepto Conſulatu, ii qui deſignati erant, officio ſuo functi ſunt.* l. 59. p. 659. Non unus, ſed duo Anonymi ſummo magiſtratu functi ſunt: non igitur Pomponius Secundus.

Pomponium præterea ſuffectum geſſiſſe Conſulatum anno ſequenti, U. C. 794. ex Dione ſciri facillime poteſt. Feſtum quoddam in Palatio Cajus celebrabat, ac ſpectaculum edebat, ibique ipſe ſedens & bibens, reliquis epulum dabat. ὅτε δὴ καὶ Πομπώνιος Σεκοῦνδος ὁ τότε ὑπατεύων, ἐνεφορεῖτο τε ἅμα τῶν σιτίων παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, καὶ ἐπικύπτων συνεχῶς αὐτοὺς κατεφίλει: *ibi Pomponius Secundus qui tunc Conſulem exercebat, ad pedes ejus adſidens, cibum* Dio. l. 59.

capie-

capiebat, ac subinde inclinato capite exosculabatur. Festum paulo ante Caligulæ mortem celebratum est: Anno Christi 41. Pomponium Consulem fuisse suffectum Doctissimus Pagius probare contendit, ex Josepho l. 2. de Bello, c. 10. Sed in toto hoc capite de Pomponio Secundo, & Sentio Saturnino Coss. ne verbum, quidem.

ANNO XLII. NUM. II.

Quo anno, Philonis ad Cajum Legatio suscepta. Sententia Baroniana rejicitur. Non An. Dom. 40. Juliano 85, sed Dom. 39. Julian 84. Philonem Romam venisse probatur.

OMnium ore Legatio Philonis ad Cajum celebrata est. Missi fuerant Legati a Judæis Alexandrinis duas ob causas. Primum enim querebantur Proseuchas ab Alexandrinis esse violatas, illatis in eas Imperatoris Statuis. Deinde, acturi venerant de jure Alexandrinæ Civitatis, quod Alexandrini Judæis adimere volebant. Annus autem quo Legatio suscepta, in dubio est apud Eruditos. Anno Christi 40. U. C. 793. Juliano 85. a Judæis Alexandrinis missum esse Philonem, Baronii sententia est: *Hoc igitur anno*, inquit, *non antea, ut alii putant, Philo Judaus, una cum Collegis, a Judais Alexandria agentibus, legatus ad Cajum Imperatorem mittitur.* Ab hac Chronologia, mea variat atque diffidet. Romam ante venerat Philo, quam literæ Caligulæ mitterentur Petronio, de Statua ejus in Templo Hierosolymitano collocanda; testis est ipse Philo: *Ex quo primum oram solvimus, putabamus nos inventuros reddentem jura Judicem—exceptos nos primum in Campo Martio cum e maternis hortis exiret, resalutavit, & dextra innuit se propitium.* Elapso deinde aliquanto tempore, Philo cum ex Urbe Puteolos pervenisset, affertur illi horibilis nuntius de literis ad Petronium missis, quibus imperabatur Statuam in Templo erigi, vel repugnantibus Judæis. Literas ante hyemem Petronio fuisse redditas, certum ex Josepho, exploratumque est: καὶ Πετρώνιος, Συρίαν παραλαβὼν, ἠπείγετο διακονεῖσθαι ταῖς ἐπιστολαῖς τοῦ Καίσαρος συμμαχίαν δὲ πλείστην ὅσην ἠδύνατο ἀθροίσας, καὶ τάγματα δύο τῆς ῥωμαίων δυνάμεως ἄγων ἐπὶ Πτολεμαΐδος παρῆν αὐτόθι

Joseph. Ant. l. 18. c. 11.

τόθι Χειμάζων, ὡς πρὸς Ἔαρ τοῦ Πολεμεῖν οὐκ ἀφεξόμενος, καὶ πρὸς τὸν Γάϊον ἔγραφεν περὶ τῶν ἐπεγνωσμένων: *Petronius assumpta Syriæ administratione, dedit operam ut exequerentur mandata Cæsaris, contractisque quantum poterat auxiliis, cum duabus Romanis Legionibus hyemavit apud Ptolemaidem; primo vere bellum illaturus, quod Cajo significavit per literas.* Hyems indicata a Josepho, illa esse non potest qua Caligula a percussoribus morti missus. Occisus fuit nono Kalendas Februarias anni Jul. 86. U. C. 794. Dom. 41. Hyemem ergo anni Jul 85. Dom. 40. Josephus designavit. Atqui antequam hyems hæc appeteret, scriptæ sunt Cæsaris Epistolæ, cum jam Philo legationem obiret suam; proindeque suscepta est Anno Dom. 39. Jul. 84. U. C. 792. non Anno sequente, ut sciscit Baroniana Chronologia.

AN. XLII. NUM. VIII.

Pugna Philonem inter & Josephum, de anni Tempestate qua Judæi Petronium convenere. Josephi a Baronio rejecta sententia, illa Philonis verosimilior est. Error Baronii de frugum maturitate festo Paschatis, refellitur cum ex Scriptura, tum ex Josepho. Clarissimi Cocceji sententia de die Manipuli oblati, autoritate & ratione refutatur.

DE anni Tempestate qua Judæi Petronium convenere flectendo ejus animo, differunt inter se Philo atque Josephus. Philone teste, sic habent Petronii ad Caligulam Epistolæ: *Erant tum maturæ segetes, & timendum erat ne deplorata Religione homines vitam quoque contemnerent, & vastatis agris, suasmet fruges late per campos collesque incenderent.* Ad Philonem accedit Baronius: *Nam & illud ipsum crucis Christi volvebatur tempus, nempe Paschale, quo fruges in Judæa matura jam erant ad messem, cum hæc coram Petronio facta sunt.* At hæc accidisse circa sementis tempus, a Josepho proditum: *Tum Petronius; Pugnabitis igitur cum Cæsare, nec illius opes, nec vestram imbecillitatem attendentes. Non pugnabimus, inquiunt, sed* Joseph. Ant.

mo-

moriemur citius quam discedamus a Legibus: simulque procumbentes, ac nudantes jugulos, paratos se aiebant ad excipiendos gladios. καὶ ταῦτα ἐπράσσετο ἐπὶ ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ τοῦ γεωργεῖν ἀπείροπτον λοιπὸν ἦσαν, καὶ ταῦτα τῆς ὥρας οὔσης πρὸς σπόρῳ: *atque hoc pacto perduratum est per quadraginta dies continuos, neglectis interim agricultura operibus, cum maxime sementis essent tempora.* Antiq. l. 18. c. 11. p. 640. Non temere magis Josepho, quam Philoni hac in re creditur. Ea Josephus narrat, quæ Hierosolymitanorum coram oculis gesta sunt, Tiberiade: testes adhuc vitam ducebant, quorum ore exceperat, quæ Antiquitatibus inseruit. Accedit repentinus imber præter omnium opinionem, nullis tam serena die signis præmonstratis, & hominibus propter diuturnam ac continuam siccitatem cœlitus pluviam pene desperantibus. Epistolæ porro Petronianæ lectionem Philo non consecutus est; & concesso legendas Philoni ab aliquo fuisse traditas, ea potuerunt a Petronio de maturis jam segetibus commemorari, ut de nefario proposito Caligulam dimoveret. Quocirca, potior hic apud me est Josephi, quam Philonis autoritas.

Uter vero, Philo an Josephus vera prædicaverit, erranti tamen Baronio nulla excusatio parari potest; cum tempore Paschali fruges in Judæa maturitatem nondum essent assecutæ. Constat quippe ex oblatione Manipuli, soli hordei maturitatem inchoare. *Quod si offeras munus primitiarum Jehova, aristas recentes tostas igne; quod contusum fuerit e spicis virentibus, offerto munus primitiarum tuarum.* Lev 2. 14. Vespere diei decimæ quintæ, Synedrii Magni Legati vicinorum pagorum civibus comitati, magna solemnitate ad Manipulum colligendum se accingebant. Tria hordei sata tres viri metabant, Atrio inferenda, ubi ventilabantur. Siccata deinde mola molendinaria conterebantur; audiatur Josephus: φρύξαντες τῶν σταχύων τὸ δράγμα, καὶ πτίσσοντες, καὶ καθαρὰς πρὸς ἀλεσμὸν τὰς κριθὰς ποιήσαντες, τῷ βωμῷ ἀσσάρωνα προσάγουσι τῷ θεῷ: *spicarum manipulum igni torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicæ modum fracti, assaronem ad aram offerunt.* Antiq. l. 3. c. 10. Quibus apparet, plenam maturitatem nondum fuisse hordeo. Serior porro maturitas tritico obveniebat: *Festum Septimanarum feriator tibi, festum Primitiarum messis triticeæ.* Exod. 24. Quo festo, duo panes fermentati ante offerebantur, quam stans in triticum falx mitteretur. In-

Invitat nos tractatæ materiæ affinitas, Clarissimi Cocceji sententiam de die oblati Manipuli examinare. Novam esse non diffitetur, sed nil refert, si vero consentiat: *In Paschate*, inquit, *postridie Sabbati, sive die primo hebdomadis, Manipulus offerebatur, & agitabatur coram Jehova. De Primo hebdomadis accipiendum, clare patet ex eo quod Sacra Scriptura jubet numerari septem Sabbata integra, usque ad postridie Sabbati septimi. Jam si Pascha non cadat in Sabbatum, & secundus dies festi, ut voluerunt Judæi, intelligendus sit per posttriduanum Sabbati, consequitur septies posttriduanum Sabbati explicandum esse secundum festi in singulis septem hebdomadibus, quod fieri non potest.* Quid Vir ille percelebris demonstrationis habuit, ut nos ab antiqua cum Hebræorum, tum Christianorum opinione vellet evellere? An Josephus legitimum offerendi Manipuli diem ignorasse existimandus est, cum scrupulosam, & pene anxiam diligentiam in festis suis observandis exercerent Judæi? Numquid legitimo tempore Manipuli festum a Christo agitatum non fuit? Unde ergo post donatum Cœlo Christum nova illa mutatio, quæ disciplinam Judaicam incessere debuit? Quis ad usque Josephi memoriam, fama & auditione aliquid accepit, de mutato festi Manipuli legitimo die? Jam vero die Nisan decima sexta oblatum fuisse Manipulum, Josephus ipse testis est: Τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ, ἕκτη δ' ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη, τῶν καρπῶν οὓς ἐθέρισαν, οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν μεταλαμβάνουσι: *secunda azymorum die, quæ est mensis hujus decima sexta, frugibus demessis, & hactenus intactis, incipiunt frui.* Quin etiam Versio τῶν LXX. cujus tenuis non est in ejusmodi rebus autoritas, cum Erudito Coccejo venit in certamen: Levit. 23. 15. Καὶ ἀριθμήσετε ὑμῖν ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῶν Σαββάτων: *a crastina die Sabbatorum, quæ ut bene 16°. Nisan festa aliquot continua excipienti, sic pessime diei Dominicæ accomodantur.* Ex omni memoria ætatum similem festo Manipuli dicatum fuisse diem, propius fidem est. Cum incommodo gravi afficiatur illa Cocceji sententia, sequitur enim octo nonnunquam hebdomadas Pascha inter & Pentecosten interfuisse, aliquando septem. Celebrato quippe Paschate prima feria, cui Dominicæ nomen, Manipulus solum offerri potuit sequente hebdomade. Quod si Pascha die Veneris agitaretur, tum Manipulus proxima Dominica offerri

Cocceji Sum. Theol c 55. a. 13. & Ep. 163.

Joseph. Ant. l. 3. c. 10.

ri debuit; quæ mira confusio fuisset, atque ordinis perturbatio, ob mutatam perpetuo Paschatis & Pentecostes distantiam.

ANNO XLII. NUM. XXIX.

De Ægyptiorum in pastores odio. An greges curare Ægyptiis illicitum? Error affirmantis Josephi. An omnibus Ægyptiis pastores abominationi? Ægyptiorum partem pastoribus infensam non fuisse, ex Herodoto & Diodoro demonstratur, qui & Mosi conciliantur. Odii Egyptiorum in pastores causa obscurissima. Opinio Spenceri. An pastores loco vilissimo suos greges haberent, quos Ægyptii venerabantur? Greges suis pastoribus in pretio. An odii materiam præbuit libertas quam pastores receperant sub Dynastia 15ª. Heideggeri sententia rejicitur. Dynastias fabulosas esse, ex insigni Augustini loco declaratur. Magni Bocharti opinio cum disciplina Ægyptiorum quibus furta fuere permissa, pugnans. Hugonis Grotii de pastoribus ex Josepho desumpta opinio, rejicitur. Gentem Manethoni Hycsos dictam, ab Hebræis multum esse diversam, argumentis comfirmatur. Contra Baronium Eruditosque bene multos ostenditur Ægyptios & a cruentis Animantium Sacrificiis non temperasse, & nonnunquam vel Sacras pecudes immolasse. Verba Mosis, sacraficabimusne Ægyptiorum abominationem! *explicantur ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho.*

AB Annalium Parente jucundissima simul & obscurissima mota hic quæstio est, cui solvendæ præstantissima ingenia multum laborarunt, atque sudarunt: *Ad hac*, inquit, *spectare arbitramur quod in Genesi scriptum legitur, Josephum dixisse: Destantur Ægyptii omnes pastores ovium—Ad hac item spectat quod habetur in* Exodo; *Abominationes*

nes-ne Ægyptiorum immolabimus Deo nostro; quasi minus licuisset oves in Ægypto immolare, vel hircum, vel bovem. Ampla hæc atque ad dicendum fusa materia, sedulo tractanda est, ut ab errore qui pene omnium pervasit animos, evellamur bonis avibus. De Josepho multa me cepit admiratio: Αἰγυπτίοις γὰρ ἀπειρημένον ἦν περὶ νομὰς ἀναστρέφεσθαι. *Ægyptiis non erat licitum greges aut pascua curare.* Anti. l. 2. c. 4. Quamobrem igitur Pharao Josephum sic affatur? *Quod si sint inter fratres homines strenui, hos constitues magistros pecuariæ super greges meos?* Gen. 47. Falsone an jocando Moses ita compellabat Ægypti Regem: *Mitte congregatum pecus tuum, & quidquid est in agro. Porro, quisquis e servis Pharaonis timuit verbum Domini, fecit ut confugerent servi sui, & pecus suum in domo.* Diodorus quidem longissime discrepat a Josepho: *Est insuper Ægyptiorum politia in tria hominum genera instituta; agricolarum, pastorum, opificum—eodem modo & pastores cura atque arte regendi pecoris a patribus accepta, semper in eo gubernando ætatem degunt.*

Circa Verba Mosis magna hominum portio hæret; *Pastores odio sunt Ægyptiis:* nec enim usque quoque Herodoto consentire videntur: Σέβονται δὲ πάντες τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τοὺς ἔρσενας τῶν θηλέων. καὶ τούτων οἱ αἰπόλοι τιμὰς μείζονας ἔχουσι. Ἐκ δὲ τούτων εἷς μάλιστα ὅς τις ἐπεὰν ἀποθάνῃ πένθος μέγα πάντι τῷ Μενδεσίῳ Νομῷ τίθεται. An in alicujus odium irruit ille, qui probe curat ea quæ in maximo pretio habentur? hæccine quadrant capras maximo honore, vel post mortem affici, lachrymis decorari, palam lugeri: Caprarios vero odio esse atque abominationi? Et Mosem, & Herodotum vera prædicasse censemus. Hæc leguntur apud Sanctum Prophetam: *Erit autem cum vocaverit vos Pharao, ut dicat, quænam sunt opera vestra? tunc dicetis: Pecuarii fuerunt servi tui ab adolescentia nostra, tum nos, tum majores nostri* בעבור תשבו בארץ גשן כי תועבת מצריים כל רעה צאן *quia abominationi est Ægyptiis omnis pastor* Gen. 46. 34. Quibus luce clarius est, verba Mosis, ad certam Ægyptiorum partem esse restringenda; cum terra Goscen, quam Pharao accomodabat fratribus Josephi de habitatione, pars esset Ægypti non minima: quocirca, ab illa regione non minus pellendi erant, quam ab urbe Regia, si & Gossenitis pastores abominationi fuissent. Sed nec etiam odia movebant illorum Ægyptiorum, quibus pecuaria

ab omni Patrum memoria, curæ fuit, cum potius simile simili gaudeat. Quocirca, Mosi Ægyptii illi sunt, qui Regiam urbem incolebant; qua significatione dictum, *non poterant Ægyptii sumere cum Hebrais cibum*: c. 44.32. & c.45.2. Tunc flentis Josephi vocem audierunt *Ægyptii.* Ut omnino corrigenda sit Junii Tremelliique Versio, quæ falsi dicam Diodoro, necnon Herodoto scribit immerito: *Abominationi est Ægypto omnis pastor*: quasi pars Ægypti pastoritiam non exercuisset.

Quænam Ægyptiorum in pastores odii causa fuerit in dubitatione positum est? Doctissimus Spencerus, *seculo Mosis*, inquit, *omnis pastor Ægyptiis est abominatio, forsan quod peccora illa pro Diis haberent illi quæ pastores loco vilissimo posuere*. l. 1. c. 5. Atqui pastoribus greges sua sunt maxima cura, & nil charius habent. Nec certe Erudito Viro consentit Melibœus ille, qui a Boum cura nomen habuit:

En ipse Capellas
Protinus æger ago: hanc etiam vix Tityre duco,
Hic inter densas Corylos, modo namque gemellos
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.

Tanti ut plurimum a pastoribus greges sui, ut vel propriam salutem in discrimen adducant, servandis ovibus. Attamen ita sit, ut Viro Docto visum; ejus conjectura pertenuis erit, si probatum dederimus ovium boumque sacrificia ab Ægyptiis esse perpetrata, addito carnium immolatarum cibo. Denique, ex Diodoro nuper auditum est, partem Niliacæ plebis constasse pastoribus, qui mentem Ægyptiaca Religione perfusi, animalia sacra proni venerabantur.

Clarissimo Heideggero de Ægyptiorum in pastores odio, alia Heid. Exerc. 1. n.32. insidet cogitatio. *Hi Bucoli erant omnes advenæ*: *cum igitur dure ab Ægyptiis haberentur, quippe populus advena, & fex plebis, non semel se in libertatem vindicavit; adeo ut Regem, & Sedem Regni sibi constituerent: idque accidit primo annis ante Exodum, uti scribunt*, 1112. *in Dynastia* 15ª. Hac in odii causa multa sunt quæ me male habent: dicitur quidem, *hi Bucoli erant omnes advenæ*, sed nec probatur, nec veris consentire videtur. Nulla-ne armenta, nulli-ne greges Ægyptiis, ante Pastorum in Ægyptum adventum? Jam vero

si tum

ſi tum & armenta, & greges Ægyptii poſſidebant; utique fuere & Bucoli, & Caprarii ſervando gregi. Chami filium Ægyptum coluiſſe a Moſe traditum eſt; nullius-ne gregis dominus ille fuit? cum ex pecudibus tunc divitiæ in altum extruerentur, raro hactenus auro paucas opes ſuppeditante. Sed fidem omnem ſuperat, quod Paſtores & Regem, & Regni Sedem *ſibi conſtituerent* 1112 *annis ante Exodum*, cum diluvium inter & Exodum 1154. circiter anni interfuerint, ſi Hebraicæ Chronologiæ adhæreamus, quam Græcæ Heideggerus antetulit. Sic annis poſt diluvium 42. erecta eſt Paſtoralis illa Monarchia, quæ odii cauſam miniſtravit Ægyptiis, poſtea quam miſeri illi Bucoli advenæ dure ab Ægyptiis habiti in libertatem ſe vindicarunt. Credat hæc Judæus apella, non ego; cum Mitſraiim Ægyptiorum parens, aut vixdum lucem inſpexerat, aut ex ephebis nondum egreſſus fuerat.

Ut vellem Doctiſſimus ille Marſhamus, quique cum ipſo in Fabuloſis Ægyptiorum Dynaſtiis Chronologiæ veteris fundamenta collocant, Auguſtinum oſtendiſſent. Inſignis eſt atque aureus Sancti hujuſce Patris locus.l.12.de Civ.c.10.*Unde, ne multa diſputem, quemadmodum illarum literarum, in quibus longe plura annorum millia referuntur, vanitas refellatur, & nulla in illis rei hujus idonea reperiatur autoritas. Illa Epiſtola Alexandri Magni ad Olympiadem matrem ſuam quam ſcripſit, narrationem cujuſdam Ægyptii Sacerdotis inſinuans, quam protulit ex literis quæ Sacra apud illos haberentur, continet etiam Regna quæ Græca quoque novit Hiſtoria; in quibus Regnum Aſſyriorum, in eadem Epiſtola Alexandri, quinque millia excedit annorum; In Græca vero Hiſtoria mille ferme & trecentos habet, ab ipſius Beli Principatu, quem Regem & ille Ægyptius in ejuſdem Regni ponit exordio.* Quibus apparet aut ſplendide de ſuis Dynaſtiis mentitos eſſe Ægyptios, aut ut notatum Auguſtino, *quondam tam breves annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur.*

Scientiæ portentum Magnus Bochartus, alia conjectura ducitur, Hieroz.l.1.c.44. *In Ægypti Bucolium, Bubulcos, & Paſtores plurimos confluxiſſe qui prædonum vitam agerent, ex Heliodoro & aliis ſcimus. Unde Hieronymus in Vita Hilarionis; Cupienti rurſum ad Ægyptum navigare, hoc eſt, ad ea loca quæ vocantur Bucolia, eo quod nullus ibi Chriſtianorum eſſet,*

sed Barbara tantum & ferox natio; *alii furax : qua potuit esse causa cur Ægyptiis Pastores tam fuerint odiosi.* A viri doctissimi sententia non abstraherer, ni hæc legissem apud Gellium l. 11. c. 18. *Id etiam memini legere me in libro Aristonis Jureconsulti, apud veteres Ægyptios, quod genus hominum constat & in artibus reperiendis solertes extitisse, & in cognitione rerum indaganda sagaces, furta omnia fuisse licita & impunita.* Constat etiam ex Diodoro, apud Ægyptios de furibus esse ejusmodi Legem : *Jubebat eos qui furari volebant, nomen suum apud principes Sacerdotum scribere; atque e vestigio furtum ad eum deferre — hoc modo facile invento furto, qui rem amisisset quarta multabatur parte, quæ daretur furi.* Ægyptiorum forsan odium in pastores inflammabat vitæ institutum, a pastorum moribus longe diversum : de Æthiopis a Strabone traditum legitur: *Æthiopes magna ex parte pastoralem ac inopem vitam degunt, tum propter soli tenuitatem & aeris intemperiem; tum propterea quod longe nobis sepositi sunt : econtra Ægyptii, nam & civilem, & mitem vitam degentes, in locis notis habitant, unde & eorum ordo memoratur & laudatur.* l. 17. Pastorum Ægyptiacorum vita, mores Æthiopum satis referebat. Dissimili porro vitæ genere, hominum intendi odia contemptumque, testis est experientia. Hic tamen aquam hærere, rationemque hujusce abominationis abstrusam esse, lubens profiteor.

Crescit scribendi materies, odio Ægyptiorum in pastores revocante mihi in memoriam, viri Eruditissimi Hugonis Grotii de τ῀ *ὑκσῶς* sententiam; quod verbum *captivos Pastores*, Josephus reddidit. Nobili addidit Historico Manethonis locum ad Hebræos referenti se comitem Grotius de Relig. Christ. l. 1. 31. *Et de exitu ex Ægypto, non pauca ex Ægyptiis Manethone, Lysimacho, Charemone.* Grotii in sententiam concessit Eruditus Ferrandus in libro Gallico; *Reflections sur la Religion Chrestienne*, quo Marshamo Equiti concurrit. Vix ego patiar Manethonis fabulam ad Hebræos referri, cum si in quibusdam ad casuum Judaicorum similitudinem accedat, in pluribus gravioris longe momenti narratio discrepet. Ac primum Pastores in Ægypto ante egisse quam hanc in Regionem Jacobi familia migraret habitatum, docet locus ille quem fuse jam tractavimus : *Abominationi est Ægyptiis omnis pastor gregis*, quo necessario consequitur *Pastores* ab Hebræis distingui atque separari. Discrimen præterea inter utrosque aperte indicatur a Manethone apud Josephum : Ἐγένετο βασιλεὺς ἡμῖν Τιμάος ὄνομα; ἐπὶ τούτου οὐκ οἶδ'

ὅπως

ὅπως ὁ θεὸς ἀντέπνευσε, καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, Ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι καθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν, καὶ ῥᾳδίως ἀμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον, καὶ τοὺς ἡγεμονεύσαντας ἐν αὐτῇ χειρωσάμενοι, τὸ λοιπὸν τάς τε πόλεις ὠμῶς ἐνέπρησαν, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν, πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότατα πως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τῶν δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες. *Fuit nobis rex Timaus nomine, ſub hoc neſcio quomodo Deus iratus fuit, & præter ſpem ex partibus Orientalibus homines, genere ignobiles, adepta fiducia, in Provincia caſtra metati ſunt: & facile & ſine bello eam vi cœperunt, & cum Principes Regionis coepiſſent de cætero civitates crudeliter incendere, & Deorum Templa everterunt. Erga omnes vero Provinciales inimiciſſime ſe geſſerunt: alios quidem perimentes, aliorum vero & filios & conjuges in ſervitutem redigentes: noviſſime vero & unum ex ſe fecere Regem, cui nomen Salatis* l. 1. cont. Appio. p. 1039.

Fateor quidem mihi non eſſe tam Lynceos oculos, ut his ſub involucris Hebræos agnoſcam. An Hebræi malis avibus in Ægyptum deſcenderunt, & cum armorum apparatu? An Judæorum gens ignobilis, quæ Abrahamo ſata, Principe illuſtri, quem Pharaonis Aula ſæpe miratus fuerat? An Captivos duxerat Ægyptiacos & viros & mulieres? Moleſtam ſane ſervitutem Hebræi ſervierunt: injunxere nullam. Nec in Ægypto unquam regnavere, nedum impotenter. Hominibus his vilibus, ac de vulgi fece qui ſubjugarant Ægyptum, ſex Reges fuere, *Salati*, qui Regni decimo nono extremum diem morte confecit, ſucceſſit *Beon* nomine: poſt quem Apachnas Salati, qui Regno annos ſex & triginta præfuit: deinde Apochis, qui deceſſit Janiæ: poſt omnes, Aſſis. Iſti quidem ſex apud hanc gentem primi Reges fuere, Ægypti radicem amputare cupientes. Nomen autem gentis Hyſcos, hoc eſt Reges Paſtores. Hæc Joſephus Hebræorum honori velificans, genti ſuæ accommodat, quo jure, qua injuria. Αὐτὸς δὲ τοίνυν ὁ Μανέθων ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Αἰγυπτιακῶν, ταῦτα περὶ ἡμῶν γράφει: *Ille Manethon in ſecundo Ægyptiacorum, hæc de nobis ſcripſit.* Eadem meo judicio jactare poſſent Mexicani, Braſiliani, Turcæ. Dedecori eſſe ſolet Viris, cætera Magnis, ejuſmodi credulitas. Quin etiam Joſephus ſibi non conſentit: τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι: *Hyſcos vero quidam dicunt Arabas eſſe.* Num Hebræi Arabes? Non mirari non poſſum viros graves, qui in his Manethonis Judæos

dæos videre ſibi videntur. *Loca ſunt*, inquit, *Grotius, apud Joſephum contra Appionem, plena mendaciis, utpote profecta a gente ſemper Judæis inimiciſſima.* de Rel. Chr. p. 350. Quidni igitur vir ille Clariſſimus, diſtinguebat quod in ea Manethonis narratione verum fuit, atque ſincerum? An hoſtilem adverſus Judæos gerebat animum in ſcribendo, totam Ægyptum facile, & ſine vi a gente Hyſcos eſſe captam, cui poſtea ſex Reges præfuere? Quantum populus ille Hebræorum diſſimilis? Egregium vero Joſephi acumen! Manethon eos qui vocantur paſtores in Sacris ſuorum libris, captivos aſcriptos rectiſſime dixit; atqui progenitores noſtri & paſtores & captivi fuere; Hyſcos igitur. Plurimis ſalſi maculis aſperſam eſſe Manethonis narrationem, eo vel abunde patet, quod Paſtores civitatem ædificaſſe memorat, ſufficientem ducentis & quadraginta hominum millibus, cui & nomen additum Hieroſolymæ.

Diuturnæ valuit opinio, in quam conceſſit & Baronius, *minus licuiſſe oves in Ægypto immolare, vel hircum vel bovem, quod ea animalia Sacroſancta apud Ægyptios haberentur, ob quam cauſam ſubdit Moſes: Quod ſi mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruerent.* Nec a populari opinione receſſerunt Junius, Tremellius, Spencerus, Vir rituum Ægyptiacorum periſſimus: *Nos, Boves, Oves, & Capras quas Ægyptii colunt immolare debemus, quod illis abominabile eſſet, eoſque ad furorem provocaret.* Quid; ſi certis argumentis oſtenderimus a cruentis boum Sacrificiis Ægyptios non temperaſſe, alia dubio procul quærenda ratio eſt, quamobrem Moſes Pharaonem ſic compellarit; *Sacrificaremus-ne id quod eſt abominationi Ægyptiis?*

Spencer. l. 2. c. 4.

In Ægypto nonnullos egiſſe Sacerdotes, Moſes ipſe teſtis eſt. *Tantummodo agros Sacerdotum non emit* Pharao, Gen. 47. 22. Si Sacerdotes, ergo & Sacrificia. Neſcio cur Biblia Tremelliana mutatis Sacerdotibus in Præſides, ab aliis ſeorſum ſentiant? כהן ſæpius Sacerdotem ſignificat; Lxx. χωρὶς τῆς γῆς τῶν ἱερέων μόνον. Vulgata *Terram Sacerdotum.* Similiter & Verſiones vernaculæ. Nec a communi vocis uſu ulla eſt recedendi cauſa, cum apud Ægyptios viri nobiles Sacerdotes exercerent, ducta conſuetudine ab mortalium omnium parente Noacho, cujus nepos fuit Mitſraiim, Ægyptiorum Pater. Profecto, ſi frugibus non modo, ſed & cruentis victimis

timis fecerit Noachus; rationi maxime consentaneum est, hanc cum Liberis suis sacrificandi communicasse disciplinam. Conjecturis cur auguramur, cum certa sint ex autoribus rituum Ægyptiacorum petitis argumenta? Ægyptiorum Sacrificia Herodotus accurate tradidit in Euterpe. *Postquam pridie festi jejunaverunt; & postquam precati sunt, Bovem immolant, eumque corio exuunt, & alvo tota vacuant. Intestina & adipem linquunt intra ventrem; crura truncant, & extremos lumbos, armosque, ac cervicem. His actis reliquum bovis corpus stipant panibus puris, & melle & uva passa, & ficis, & thure, & myrrha, atque aliis odoribus. Ubi hæc infarserunt, adolent, multum vini, oleique infundentes. Jejuni autem sacrificant. Dum Sacrificium ardet, omnes seipsos verberant: postquam autem verberare desierunt, dapes ex Sacrificii reliquiis proponuntur.*

Herodoto consentit una & Diodorus Siculus, l. 2. c. 3. *Ægypti vectigalibus trifariam partitis, priorem portionem percipit Collegium Sacerdotum, magna apud incolas autoritate; tum propter Deorum curam, tum propter doctrinam qua plures erudiunt. Hanc partem, tum ad Sacrificiorum, tum ad privata vitæ commoda impartiunt — hi omnes immunes sunt, secundumque post Reges honoris dignitatisque locum tenent.* Quibus Diodorianis Moses non minimum illustratur: *Tantummodo agros Sacerdotum non emit: nam portio erat Sacerdotibus a Pharaone.* De Regis Sacris plurima sunt apud Diodorum relatu dignissima l. 2. c. 3. *Cum in Virorum excellentium cœtu lavisset corpus, vestem præclaram indutus, Sacra Diis faciebat. Mos erat Sacerdotum principi juxta aram hostiis deductis, astante Rege; magna voce audiente populo, valetudinem prosperam, omniaque bona precari — Demum cum Rex tauro Diis Sacra fecisset, Sacerdos quædam ex Libris Sacris Clarissimorum Virorum consilia, actaque proferebat.*

Nomi Thebaici incolæ capris faciebant. Herodot. Euterpe. ὅσοι μὲν δὴ Διὸς Θηβαιέος ἵδρυνται ἱρὸν, ἢ νομοῦ τοῦ Θηβαίου εἰσὶ, οὗτοι μέν πάντες ὀΐων ἀπεχόμενοι, αἶγας θύουσι: *abstinent ovibus Thebæi, sed capras immolant.* Vice versa Mendesii parcunt capris, & oves sacrificant: οὗτοι δὲ αἰγῶν ἀπεχόμενοι, ὄϊς θύουσι. Quibus apparet & promptum est, dormitasse Baronium, cum pro sua sententia Herodotum testem adduxit. Quæ vero ubique locorum sacrificabantur in Ægypto, paucis Herodotus complexus est. Τοὺς γὰρ οὐδὲ κτήνεα ὅσιη θύειν ἐστί,

χωρὶς ὑῶν, καὶ ἐρσένων βοῶν, καὶ μόσχων, ὅσοι ἂν καθαροὶ ἔωσι, καὶ χηνέων: *illis religio est animantia mactare sacra, præter sues, boves masculos, & vitulos, modo puri sint, & anseres.* Quibus obiter cernere est, quam longissime a vero absit Marshami Spencerique, de ritibus Ægyptiorum ad Hebræos derivatis, opinio. Ægyptii mel usurpabant in Sacrificiis; Judæi rejiciebant. Illi boves, hi tauros immolabant. Illi vaccis parcebant; hi Junices Sacrificabant: illi suibus faciebant; hi pro immundis animantibus porcos habuere. Illi anseres sacrificabant; hi nunquam. Illis furta licita; his vetita.

Quanam ergo de causa dictum a Mose, *Sacrificaremusne id quod est abominationi Ægyptiis?* Fidem propius est, ad ritus immolandi, conditionesque victimarum Mosem respexisse: his non minimum lucis fœneravit Herodotus in Euterpe: Δίζεται δὲ ταῦτα ὧν οὕτω τεταγμένος τῶν τις ἱρέων, καὶ ὀρθοῦ ἑστεῶτος τοῦ κτήνεος, καὶ ὑπτίου, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξειρύσας; εἰ καθαρὴ τῶν προκειμένων σημηΐων — ἢν δὲ ταῦτα πάντα ᾖ καθαρὸς, σημαίνεται βύβλῳ περὶ τὰ κέρεα ἑλίσσων. καὶ ἔπειτα γῆν σημαντρίδα συνπλάσας, συνβάλλει τὸν δακτύλιον, καὶ οὕτω ἀπάγουσι, ἀσήμαντον δὲ θύσαντι θάνατος ἡ ζημίη συνκέεται. *Quæ igitur immolanda fuit victima, & stans & supina attente explorari a Sacerdote debuit. Si integra macularumque pura habebatur, Sacerdotis condalio impressum luto sigillum gerebat. Qui vero carentem hisce notis victimam immolabat, reus erat mortis.* Accedat & Herodoto Plutarchus in Iside. Αἰγύπτιοι δὲ πυῤῥόχρουν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα νομίζοντες, καὶ τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύειν, οὕτως ἀκριβῆ ποιούμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν, ἢ λευκὴν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι: *Ægyptii Tryphonem colore rufo fuisse existimantes, Boum quoque non nisi rufos immolant: tam accuratam adhibentes observationem, ut si bos vel unum capillum album aut nigrum habeat, non immolandum censeant.*

Jucunda ex Diodoro suppeditanda est historia, magnum superstitionis Ægyptiacæ monumentum, quo & aperte declaratur, justam fuisse Mosi, Hebræisque timendi causam: *Adeo autem mentes hominum ea superstitio pervasit; adeoque infixus animis horum est cultus, ut quo tempore Ptolomæus Rex a Romanis socius atque amicus dictus est, applaudentibus Ægyptiis, Italosque ad se venientes summo studio colentibus, maximeque annitentibus, ne quam dissensionum, aut belli causam præ-*

præberent; tamen cum quidam Romanus felem occidisset; ad domum ejus concursu facto, neque a Regis ad id missis Principibus, neque Romanorum timore, a pœna hominis absterreri potuerunt; quamvis non sponte Bestiam occidisset. Quem rem non auditu percipimus, sed visu. Iram itaque omnem evomuissent in Hebræos, si coram ea sacrificassent animantia, quæ in Ægypto immolari non licuit, deficiente Sacerdotum sigillo, quo Sacrificio declarabantur idonea.

Novam abominationis Ægyptiacæ causam adjiciam ex Iside Plutarchi p. 363. θύσιμον γὰρ οὐ φίλον εἶναι θεοῖς, ἀλλὰ τοὐναντίον, ὅσα ψυχὰς ἀνοσίων ἀνθρώπων καὶ ἀδίκων εἰς ἕτερα μεταμορφουμένων σώματα συνείληφε, διὸ τῇ μὲν κεφαλῇ τοῦ ἱερείου καταρασάμενοι, καὶ ἀποκόψαντες, εἰς τὸν ποταμὸν ἐῤῥίπτουν πάλαι, νῦν δὲ τοῖς ξένοις ἀποδίδονται: τὸν δὲ μέλλοντα θύεσθαι βοῦν, οἱ σφραγισταὶ λεγόμενοι τῶν ἱερέων, κατεσημαίνοντο, τῆς σφραγῖδος, ὡς ἱστορεῖ Κάστωρ, γλυφὴν μὲν ἐχούσης ἄνθρωπον εἰς γόνυ καθεικότα, ταῖς χερσὶν ὀπίσω ἐπηγμέναις, ἔχοντα κατὰ τῆς σφαγῆς ξίφος ἐγκείμενον: *non enim aptum esse ad victimam præstandam id quod carum sit Diis; sed contra iis corporibus sacrificandum esse, quæ animas impiorum & injustorum hominum in alia corpora transeuntes exceperunt. Itaque in caput victimæ exsecrati, amputatum in flumen abjiciebant antiquitus, nunc peregrinis id dant: & bovem qui immolandus est, sigillo impresso notabant Sacerdotes certi, qui Sphragistæ, id est, Sigillatores dicebantur. Sigilli autem sculptura exprimebatur, ut Castor perhibet, homo in genua desidens, manibus post tergum reductis, jugulo ense imminente.* Hac ex disciplina certum est atque exploratum, Ægyptiis odiosa fuisse Hebræorum sacrificia. Illi abominandas victimas Diis suis litabant; hi sacras Deoque gratas pecudes mactabant, suavemque odorem spirantes. Illi suis sedibus nefarias animas pellebant, & sceleratas; hi sanctas, & felices amandabant, si fides Ægyptiis.

Sacris animantibus Ægyptios non semper pepercisse, docemur & a Plutarcho de Iside p. 380. *Magno autem æstu incidente, ac molesto, qui ultra modum adducat, vel pestilentes morbos, vel alias insuetatas calamitates; Sacerdotes quædam eorum quæ coluntur animalium, tacite abducentes in tenebras;* ἀπειλοῦσι καὶ δεδίττονται τὸ πρῶτον, ἂν δ' ἐπιμείνῃ, καθιεροῦσι, καὶ σφάττουσι, ὡς δή τινα κολασμὸν ὄντα τοῦ δαίμονος τοῦτον, ἢ καθαρμὸν ἄλλως μέγαν ἐπὶ μεγίστοις: *terrent*

primum ea minis, sin malum duret; immolant atque mactant, tanquam supplicium aliquod Genii hoc si esset; aut alias expiatio magni mali, magna ex iis quadam in sepulchrum Apidis conjiciunt, existimantes se molestiam Typhoni objicere.

AN. XLII. NUM. XXXII.

Baronii circa Philonem error ex Legationis ad Cajum Libro. Bis conventum a Judæis fuisse Petronium ostenditur. Josephi narrationem ad verum hic magis accedere quam illam Philonis probatur. Josephus ab injuria Baroniana defenditur.

LAnguere Josepho Baronii gratiam, sciunt & tenent qui ejus Annales evolvunt, hic accuratum Historicum non modo Philoni committit; sed etiam illum falsi aperte postulat, de narratione rerum coram Petronio gestarum. Philonem porro eo Josepho antetulit, quod antiquior erat, Quæ ratio nihili est, cum Josephus in illis ipsis locis degerit, ubi palam ea contigere quæ memoriæ prodidit, audita ab oculatis testibus. *Tradit Philo* (verba sunt Purpurati) *Judaos semel convenisse Petronium, in Phœnicia messis tempore: Josephus vero tempore serendorum agrorum, idque iterum accidisse, & Ptolemaïde primum, inde Tiberiade Petronium convenisse affirmat.* Qui cœco impetu animi in alios incurrunt, nil cernunt mente, nil vident. Justis oculis si Philonem Baronius legisset, bis conventum a Judæis fuisse Petronium præfracte non negasset. Prima vice ex mandato, secunda sponte. En ipsum Philonem testimonium dicentem in Baronium. *Deinde honoratiores Judaorum Sacerdotes, & Magistratus evocat, indicaturus eis Caji mandata; simulque suasurus, ut patienter ferrent jussa Domini, & caverent mala imminentia. Paratum enim esse robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum Regionem strages maximas—Interea qui in Sancta Urbe, cateraque Regione, famam hujus conatus audierant, velut de communi sententia coorti, tesseram dante dolore publico, profecti sunt uno agmine, desertis oppidis & castellis, & adibus, continuatoque itinere contenderunt in Phœniciam, ubi tunc agebat Petronius.* Nec

Nec eo dissentit a Philone Josephus, quod ille in *Phœnicia*, hic *Ptolemaïde* consistentem Petronium a Judæis conventum fuisse prodidit, cum Ptolemaïs urbs esset Phœniciæ: Plin. l. 5. c. 19. *Hic redeundum est ad oram atque Phœnicen — juxta Colonia Claudii Cæsaris Ptolemaïs, quæ quondam Ace.* At inter se differre de minutioribus circumstantiis ingenue fateor; tempore scilicet, & loco secundi Judæorum adventus, quem Philo in Phœnicia messis tempore, Josephus vero Tiberiade, & sementis diebus contigisse scribit. Hic major mihi est Josephi autoritas, quam Philonis, cum Josephus ea memoret, quæ magno Theatro spectata fuerant; & Petronii voce, & plausu ingenti Judæorum sonabant adhuc Tiberiadis luci, murique. Fama & recens & publica, & constans volabat, cum Legationis Judæorum ad Petronium susceptæ, tum & tristis spectaculi procumbentium ad Præfecti pedes, nudantiumque jugulos ad excipiendos ictus, ut rei gestæ locus vel lippos, tonsoresque non lateret. Hoc ex fonte, illimi certe atque purissimo, Josephus hausit, Judæos multo hominum numero occurrisse Petronio Tiberiadem: ut immerito Purpuratus & hic Josephum pene pedibus proculcet: *Ex his igitur aliisque erroribus quam vacillet talis Historici fides, omnes facile judicabunt.* Bona verba! Josephus hominem egit, erroris rore quandoque respersum; sed illi nævi fidem non detrahunt præstantissimo Historico. Quanto turpior est error Aquinatis, qui tamen & Princeps Scholæ Latinæ, & Doctor Angelicus audit: num lutulentior Chronologia animo concipi, mente fingi potest, quam illa Thomæ: *Christus autem passus est circa finem imperii Cæsaris, quo mortuo, successit ei Cajus Imperator, qui vixit 4 annis; post quem Nero factus est Imperator.* Sic Claudius eliditur. Nemo omni ex parte beatus; ne vel ipse quidem Baronius, sacra licet purpura ornatus incesserit. Thom. in 2 Cor. c. 11.

EXERCITATIO OCTAVA.

AN. XLIII. NUM. XII.

De Christiani nomine, discipulis apud Antiochiam indito. An faciendi discriminis causa affixum fidelibus, quo distinguerentur a Dosithæi discipulis: Do- Claud. Imp. 1.

sithæi hæretici plures. Alter ante, alter post Christum. Dosithæi Christo antiquioris mores, ex Epiphanio docentur. Notabilis Drusii observatio de Dositheo. Dositheanorum disciplina. De Dositheo Scaligeri sententia ad examen revocata Rejicitur ex Patribus.* דוסתאי *Hebræum, optime reddi per* Δοσίθεον *ostenditur. De Dositheo post Christum. Verosimile Apostolis non esse coævum, sed paulo juniorem, quod declaratur ex insigni loco Origenis. De origine Dosithæi, sententia Autoris Recognitionum. Qua de causa Christiani nomen discipulis impositum? Nominis majestas ab hæreticis usurpati, obtendendo turpitudini suæ colori Oraculum Esaiæ de imponendo hoc nomine explicatur. Vis nominis compluribus exemplis declarata.*

SAnctum felixque Christiani nomen, quo nullus honorificentior titulus mortalibus unquam addi potuit, Christi discipulis Antiochiæ degentibus, primum impositum est. Quæ res nil dubitationis habet. De causa imponendi nominis mota quæstio est a Conditore Annalium: *Qua vero occasione pristinum Discipulorum sit mutatum in Christianorum, Sanctus Athanasius hanc affert causam.* Atqui disputatio Athanasii cum Ario, probo judice, merito Magno Athanasio, Alexandrino Episcopo, abjudicatur. Sufficiat Bellarmini judicium ad alia festinanti: *Utrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facile judicari potest.* Vigilio Afro librum vindicant Eruditi. Sed cujusnam Autoris fuerit illa disputatio laudata a Baronio, parum refert. Hoc unum observandum, Vigilium materiam suppeditasse gravissimæ quæstioni, de ætate Dosithæi hæretici: *Omnes*, inquit, *qui credebant Domino nostro Jesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantummodo nominabantur. Et quia multi novorum dogmatum autores extiterant, Doctrinæ obviantes Apostolicæ; omnes sectatores suos nominabant: nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, sive qui Christi, sive qui Dositæ, sive Theodæ — Apostoli convenientes*

Antiochiam, omnes discipulos novo nomine, id est Christianos appellant. Quibus aperte constat disputationis Autorem in ea versari sententia, Dositheum Apostolis fuisse coævum.

De ætate Dosithei subdito huic Athanasio Baronius palam consentire videtur. Si verum volumus, complures distinguendi sunt Dosithei. Hoc nomine ornatus hæreticus, diu ante Christum editus est. Epiph. Hær. 14. Ἐν σπηλαίῳ δὲ ἀναχωρῶν δι' ὑπερβολὴν ἐθελοσοφίας, ματαίως καὶ ὑποκριτικῶς ἐν νηστείᾳ καρτερῶν, ὡς λόγος ἔχει, οὕτως ἀπέθανεν ἐν ἐνδείᾳ ἄρτου καὶ ὕδατος ἑκουσίᾳ δῆθεν τῇ γνώμῃ: *Deinde in speluncam secedens præ affectata quadam sapientia, perpetuis se, uti ferunt, jejuniis inaniter ac simulata pietate confecit, donec cibi ac potus inedia, voluntaria, scilicet, morte consumptus est.* Adultam Dositheo huic antiquitatem esse contribuendam, docet Hieronymus in Dialogo adversus Luciferanos, & Hieronymo antiquior Tertullianus de Præscript. *Taceo enim Judaismi hæreticos, Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim etiam Resurrectionem carnis negare.* Accurata est doctissimi Drusii observatio: *Fuerunt autem plures hoc nomine: nam in Johasin memoratur quidam ex discipulis Sammai, qui Christo coævus fuit: & alius Dosthai, filius Rabbi Jannai, discipulus R. Meir. in Ilmedenu sectione, & sedit Jacob, mentio alterius Dosthai, qui similiter Patrem habuit Janneum, per hæc verba Sennacheris, misit ad Samaritanos Samariam R. Dosthai, filium Jannai, ad docendum eos Legem.* de 3.Sect.l.3.c.4.123. Dositheanorum ab hoc parente satorum, tale dogma fuit, referente Epiphanio: *Resurrectionem admittunt, & severiora apud illos sunt instituta vivendi. Item ab animatis abstinent. Nonnulli etiam post nuptias uxoribus mortuis continentiam servant. Alii virginitatem retinent. In eo vero cum aliis consentiunt, quod & circumcisionem, & Sabbatum colunt; Et cujuslibet hominis contactum devitant, quod universos abominentur. Eadem porro cum aliis jejunia, atque exercitationes adhibent.*

Magnus ille Scaliger de Dosithei antiquitate multum decerpsit, Elench. Trihær. c. 15. *Mihi sane,* inquit, *Dositheus non ita vetustus esse videtur, ut ab eo derivari potuerint Sadducæi, Secta vetustissima, ut vult Epiphanius, quod valde miror ab eo dictum; præsertim cum Sadducæi*

cai Resurrectionem negarent, Dosithei assererent. — *Quare nil alienius a vero, quam illud:* Σαδδυκαῖοι ἀπόσπασμα ὄντες ἀπὸ Δοσιθέυ τ̃ προλελεγμένυ: quæ Scaligeri præcipitanter nimis, & festinanter scripta. Dosithei progeniem fuisse Sadducæos, non unus censuit Epiphanius; sed una cum Epiphanio, Hieronymus, & Tertullianus, qui pridem Scaligerianæ rationi solutionem quæsiverat: locum jam exscripsimus, cui addendus & Hieronymus, in Dialogo adversus Luciferanos: *Taceo de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi, Legem traditam dissiparunt: quod Dositheus Samaritanorum Princeps Prophetas repudiavit: quod Sadducæi ex illius radice nascentes, etiam Resurrectionem carnis negaverunt.* Sadducæos Dosithei dogmatibus addidisse quid vetat? Eo peccasse Vir Illustris videtur, quod plures Dositheos non distinxerit. *Omnino autem*, inquit, *frigidum & ineptum putare* דוסתאי *esse Dositheum. Primo Dustai est nomen mere judaicum: Δοσίθεος autem mere Græcum. Deinde Dustai non potest esse Hæresiarches Dositheus, propter* ἀναχρονισμὸν, *quia ipse Dustai, quem ineptissime Serarius putat esse Dositheum, superfuit excidio Templi*: quæ vigilata transverso calamo, Clarissimum Scaligerum delevisse vellem. Si Hebraicum דוסתאי Græce reddatur, fiet Δοσίθεος. Quo nomine, falsus ille Hyrcani amicus donatus est: ἀνεπείσθη Ἰέλος θηρολῶν δῶναι Δοσιθέῳ τινι. Quem Hebraice appallatum fuisse דוּתאי nullus dubito. Origini Dosithei aptum nomen fuit, atque conveniens, ὢν τῆς συνεμίγη ἀπὸ Ἰυδαίων, ὁρμώμενος εἰς τὰ τ̃ Σαμαρειτῶν ἔθνη: *cum enim Judæus esset, sese ad Samaritanos adjunxit.* Epiph. p. 30. nullus vero hic ἀναχρονισμὸς esse potest, cum non unus & idem Dositheus, qui ante, & qui post Christum vixit; sed duo qui suo quisque discrimine, accurate a Patribus discreti fuerunt.

An Dositheus ille qui post Christum floruit, venena sua tempore Apostolorum sparserit, mihi est in dubio. Id quidem indicare videtur Origenes Hom. in Matth. 27. *Non multi fuerunt homines in tempore Apostolorum, qui Christos se esse dixerint, nisi forte Dositheus, Samaritanus, unde & Dositheani dicuntur, & Simon.* Crediderim tamen Dositheum non eo processisse audaciæ, ut vitam ducentibus Apostolis, totumque terrarum Orbem miraculorum fulgore perstringentibus, ad Filii Dei dignitatem impie niteretur. Itaque dubitandi nota, *forte*, ab Origene usurpata est. L. 6. Contra Celsum insignis locus est,

eſt, probandæ huic Chronologiæ: *Doſitheni vero nec in principio floruerunt; nunc autem eſſe penitus deſierunt, ita ut ſi eorum numerus explicetur, ne ad triginta quidem acceſſerint.* Atqui in principio floruiſſent, ſi coævus Apoſtolis Doſitheus. Vitam ducentibus Apoſtolis, Hæreticos aſcitis ſibi diſcipulis non exeruiſſe caput, ut Principes ſectæ evaderent, documento eſt pulcher ille Hegeſippi locus apud Euſebium, l. 3. c. 32. *Poſtquam ſacer Apoſtolorum cœtus vario mortis genere extinctus eſt, effluxeratque jam ætas hominum illorum qui divinam ipſam ſapientiam ſuis auribus auſcultare meruerant, tunc demum exorta eſt impii erroris conſpiratio, fraude & malitia falſorum Doctorum.* Doſithei Epocham a morte Joannis Baptiſtæ deduxit Recognitionum Autor. l. 2. *Interfecto etenim, ſicut ſcis & ipſe, Baptiſta Joanne, cum Doſithæus Hæreſeos ſuæ iniiſſet exordium, cum triginta principalibus diſcipulis, & alia muliere quæ Luna vocitata eſt: unde & illi triginta quaſi ſecundum Lunæ curſum in numero dierum poſiti, videbantur. Simon hic, malæ ut diximus gloriæ cupidus, accedit ad Doſitheum: & ſimulatis amicitiis, exorat ut ſi quando aliquis ex illis triginta obiiſſet, in locum defuncti ſe continuo ſubrogaret: quia neque ſtatutum numerum excedere apud eos fas erat, neque ignotum aliquem inſerere aut nondum probatum. Unde & cæteri Studentes digni loco ac numero fieri, ſecundum Sectæ ſuæ inſtituta, placere per omnia geſtiunt, quo poſſit unuſquiſque ex his qui illum numerum ſequuntur, cum forte aliquis, ut diximus, deceſſerit, dignus videri qui in locum defuncti ſubſtitui debeat. Igitur Doſitheus plurimis ab hoc exoratus ubi locus intra numerum factus eſt, introduxit Simonem. Sed hic non multo poſt incidit in amorem mulieris illius quam Lunam vocant.* Fides Autorem appellet.

Gravi de cauſa Chriſtiani nomen diſcipulis additum. Nec mihi ea probatur, quæ ex Athanaſii cum Ario diſputatione a Baronio ſuffecta eſt; cum tanta ſit nominis hujuſce dignitas majeſtaſque, ut vel ab impuriſſimis uſurpetur, obtendendo ſuæ turpitudini colori. De Marcionis diſcipulis Juſtinus id teſtificatur apud. Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 11. Καὶ πάντες οἱ ἀπὸ τούτων ὁρμώμενοι, ὡς ἔφαμεν, χριστιανοὶ καλοῦνται: *omnes tamen eorum ſectatores, Chriſtiani, ut diximus, appellantur.* Itaque communi hac Nota, germani Chriſti diſcipuli, a falſis dijudicari, diſtinguique non poſſunt. Hinc tamen nobilitas illuſtratur nominis. De Heterodoxis ſapienter Epiphanius, Hær. 29. n. 6.

 Καὶ

Καὶ γὰρ καὶ νῦν ὁμωνύμως οἱ ἄνθρωποι πάσας τὰς αἱρέσεις, Μανιχαίους τε φημὶ, καὶ Μαρκιωνιστὰς, Γνωστικούς τε, καὶ ἄλλους, χριστιανοὺς τοὺς μὴ ὄντας χριστιανοὺς καλοῦσι, καὶ ὅμως ἑκάστη αἵρεσις, καίπερ ἄλλως λεγομένη, καταδέχεται τοῦτο χαίρουσα, ὅτι διὰ τοῦ ὀνόματος κοσμεῖται: *nam & hodie Hæreses omnes, Manichæi, ſcilicet, Marcionitæ, Gnoſtici, cæterique qui Chriſtiani non ſunt, Chriſtianorum tamen ab omnibus nomine comprehendi ſolent: & unaquæque Secta, licet alio nomine cenſeatur, id ſibi nominis libenter aſciſcit, quod hoc eſſe ſibi decori, atque ornamento judicat.*

Mutatio nominis & facta eſt, & in Annales relata, ut impletorum tandem Oraculorum eſſet indicio. Sic nempe cecinerant; *Ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce ſervi mei laudabunt præ exultatione cordis, vos clamabitis præ dolore. Interficiet vos Dominus Deus, & ſervos ſuos vocabit nomine alio.* Eſ. 65. 15. Romanorum quippe impetu extincti, & pene deleti fuere Judæi increduli, mentibus de culmine Hieroſolymis: quicunque vero ad Chriſti diſciplinam eruditi ſunt, illis adjunctum fuit id nominis, quod non ſolum pios Reges delectat, ſed etiam ſine ſatietate delectat. Dulce decus noſtrum, felixque præſidium hoc in nomine collocatur: eſt enim argumentum atque pignus communitatis quæ nobis eſt cum Servatore Deo noſtro: ſic oſtendit palam atque declarat ſuis ſe totum, ſuaque omnia communicare, ut in unum quaſi corpus coaleſcamus, eodem inſignitum titulo. Nec enim nudo & inani nomine nos dignatus eſt, ſed conſtituit & Reges, & Sacerdotes, & Prophetas: hoc illud eſt dignitatis noſtræ monumentum: hæc in adverſis omnibus conſolationis argumenta.

Ne id quidem prætereundum eſt, quod contigit Antiochiæ, imperante Juſtiniano; unde Theopoleos nomen eſt conſecuta. Terra ingenti motu, ſedibus pene excutienda quatiebatur; imminenti ruinæ Chriſti nomen remedio fuit: *Unuſquiſque enim civium, Chriſti nomen præ foribus inſcribens, eo modo terræ motum diſpulit, cum Deus religioſo cuidam homini oraculo hæc verba foribus inſcribere præcepiſſet, Chriſtus nobiſcum, ſtate.* Niceph. l. 17. 3. Sic ſe Divini nominis virtus exeruit, ubi primum omnium inditum eſt, quaſi paratum calamitati futuræ remedium. Securus & omnium fuit Martyr ille, & re Sanctus, & nomine, quod titulo Chriſtiani decoraretur. Supra mortalium omnium captum

captum cum verbera ſuſtinuiſſet; hoc nomine veluti clypeo tectus, adverſariorum impetus fregit, Ac tanta firmitate eis reſiſtit, ut nec ſuum, nec gentis, aut civitatis ex qua eſſet oriundus nomen, nec utrum ſervus eſſet, an ingenuus prolocutus ſit: Ἀλλὰ πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ Ῥωμαϊκῇ φωνῇ, Χριστιανός εἰμι, τοῦτο καὶ ἀντὶ ὀνόματος, καὶ ἀντὶ πόλεως, καὶ ἀντὶ γένους, καὶ ἀντὶ παντὸς ἀπαλλήλως ὡμολόγει: *Sed ad omnes interrogationes Romana lingua reſponderit,* Chriſtianus ſum. *Hoc ſibi nomen, Patriam, genus, omnia denique eſſe ſubinde profitebatur, neque aliam vocem ab eo Gentiles extorquere valuerunt.* Euſ. Hiſt. l. 5. c. 1.

AN. XLIII. NUM. XIV.

De Carpocratianis geminus error Baronii. Epiphanium nec dixiſſe Carpocratianos primum ſibi Chriſtiani nomen impoſuiſſe, nec dicere potuiſſe demonſtratur. Plurimi ante Carpocratem Hæretici floruerant.

Adhibendis obſcuritatis latebris, Sanctum Chriſtiani nomen Hæretici ſibi accomodaverunt. Hinc inuſta Eccleſiæ infamia, quod monſtra hominum nulla virtute redemptorum, in loco numeroque Chriſtianorum haberentur. Præcipue Corpocratiani impreſſere dedecus Sacro Chriſti corpori. Sed fides Conditori Annalium hic non eſt adjungenda: Ac veriſſime quidem dictum, *quod Hæretici ſuos ſectatores Chriſtianos etiam appellare conſueverunt.* Quæ vero ſequuntur in falſum incidunt: *Feciſſe id primum inveniantur Carpocratiani, ut Autor eſt Epiphanius.* Quod purpurati παρόραμα repræſentato Epiphanio coarguitur. Εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ Σατανᾶ παρεσκευασμένοι, καὶ προβεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον τῆς τοῦ θεοῦ Ἐκκλησίας: ἐπέθεντο γὰρ ἑαυτοῖς ἐπίκλην χριστιανοὶ, πρὸς τὸ σκανδαλίζεσθαι τὰ ἔθνη δι' αὐτῶν, καὶ ἀποστρέφεσθαι τὴν τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ Ἐκκλησίας ὠφέλειαν: *quod hominum genus, ad Eccleſia Dei probrum, & offendiculum adornaſſe, ac ſubmiſiſſe Satanas videtur; quippe qui Chriſtianum ſibi nomen indiderint, ut propter illos offenſæ Nationes ab ſancta Dei utilitate abhorreant:* καὶ τὸ ἀληθινὸν κήρυγμα διὰ τῆς ἐκείνων κακοτεχνίας; *nunciatamque verita-*

tem ob immania illorum facinora, & incredibilem nequitiam repudient. Impuros quidem Carpocratianos Christiani nomen sibi imposuisse dixit Epiphanius; at primum id fecisse, nec dixit, nec dicere potuit. Ævo Apostolorum lupi jam venerant cum indumentis ovium: jam Titus de fugiendis Hæreticis Paulum habuerat monitorem, *Hæreticum hominem, post unam & alteram admonitionem devita.* jam Hymenæus & Alexander fidei fecerant naufragium. Nicolaitæ Carpocratianis natu majores fuisse ex ipsa Scriptura sciri facillime potest. An impuri illi homines abdicassent Christiani nomen, quo & Ecclesia maxime gloriabantur, & ipsi olim affecti fuerant?

AN. XLIII. NUM. XVI.

De conjectis Judæorum in Nazaræos maledictis, apud Epiphanium. An ad Christianos pertineant? Affirmantis Baronii sententia pugnans cum illa Epiphanii quæ defenditur. Nazaræorum nomen, diu ante Epiphanium appellationi Christiani decesserat. Capitale odium Judæos inter Nazaræos Hæreticos exercebatur. Judæi & Nazaræis infensiores quam Christianis.

NAzareth urbs ingloria & ignobilis, dedecus suum Christi discipulis affixerat. A prima memoria observatum fuerat, nullum ex hac civitate ortum esse Prophetam. Propterea a candido illo Viro Nathanaele dictum, *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed & Tertullus Orator, feralia Rhetoricæ suæ tela contorquens in Paulum, *invenimus*, inquit, *hunc hominem Autorem Secta Nazarenorum:* quod Nazarenorum nomen, Heterodoxorum peculium tandem aliquando fuit, simul & Baronianæ in Epiphanium animadversionis ansa. Canino dente Christianos omnes a Recutitis peti, certum atque exploratum. At quæstionis est, an imprecationes illæ solemnes quibus Judæi suis in Synagogis Nazarenos proscripsere, referente Epiphanio, Hæreticos, vel recta Christianos omnes ferierint? Purpurati hæc est sententia, *Verumtamen cum ex Apostolorum Actis perspicue*

picue appareat, omnes Christianos a Judæis æque dictos esse Christianos, ad ipsos Christianos potius quam ad Hæreticos, eo nomine nuncupatos, eam pertinuisse Blasphemiam existimamus. Quibus adversatur atque repugnat Epiphanio, Hær. 29. n. 9. ου μόνον γὰρ οἱ Ἰουδαίων παῖδες πρὸς τούτους κέκτηνται μῖσος, ἀλλὰ ἀνιστάμενοι ἕωθεν, καὶ μέσης ἡμέρας καὶ περὶ τὴν Ἑσπέραν, τρὶς τῆς ἡμέρας, ὅτε εὐχὰς ἐπιτελοῦσιν ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς, ἐπαρῶνται αὐτοῖς, καὶ ἀναθηματίζουσι, φάσκοντες ὅτε ἐπικαταράται ὁ Θεὸς τοὺς Ναζωραίους: *neque enim Judæorum posteri solum capitali odio prosequuntur; sed & mane, ac meridie, & ad vesperam, ter de Die, cum in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos devovent, ac solemni imprecatione proscribunt.* His Nazarenos proprie peti, non Christianos, argumento est Nazareni nomen, quod temporibus Epiphanii, Christianis non imponebatur. Jam imperante Nerone, Nazaræorum titulus Christiano nomini decesserat. Quocirca a Tacito memoriæ proditum: *Ergo abolendo rumori, Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat.* Annal. l. 15. c. 10. Præterea Judæi & Nazaræi hostili odio certabant: itaque hi par pari referentes, omne maledicentiæ virus in alios affundebant; qua de re audiendus Hieronymus: *Duas domus, Nazaræi qui ita Christum recipiunt, ut observationes Legis veteres non amittant, duas familias interpretantur, Samai & Hillel.* & cap. nono: *Nazaræi quorum opinionem supra posui, hunc locum ita explanare conantur, adveniente Christo & prædicatione illius coruscante; prima terra Zabulon, & terra Nephtalim Scribarum est erroribus liberata, & gravissimarum Traditionum Judaicarum jugum excussit de cervicibus suis.* Denique solida ratione probatur ab Epiphanio Judæos omnia maledicta in Nazaræos contulisse. Καὶ γὰρ τούτοις περισσότερον ἐνέχουσι, διὰ τὸ ἀπὸ Ἰουδαίων αὐτοὺς ὄντας, Ἰησοῦν κηρύσσειν εἶναι χριστὸν, ὅπερ ἐστιν ἐναντίον πρὸς τοὺς ἔτι Ἰουδαίους τοὺς χριστὸν μὴ δεξαμένους: *in hos enim sunt acerbiore animo, quod cum e Judæorum numero sint, nihilominus Jesum esse Christum prædicant, quod iis qui Judæorum adhuc ceremonias colunt in primis est contrarium, qui Christum videlicet repudiant.* Quæ Petaviana versio, mihi tamen non admodum probatur: cum Nazaræni & Judaicos ritus, & Christi disciplinam una observarent; mallem itaque simplicius vertere: *quod Judæis qui Christum non recipiunt contrarium est.* Nil igitur miri,

 si

si Judæi odio longe majori Nazaræorum flagrantes, quam Christianorum, evomerent iram suam, & maledicta præcipue in Nazarenos, quos Apostatis, & Religionis suæ proditoribus ascribebant.

AN. XLIII. NUM. XVIII.

De Thaddæi ad Abgarum Peregrinatione. Error Baronii Chronologicus. Non ad Æræ Christianæ annum tertium & quadragesimum, sed ad 29. referendam esse Peregrinationem, ex Eusebio ostenditur. Doctissimorum virorum Guillelmi Cavii, & Abbatis Faidit sententia, hanc in Traditionem propendens, ad examen accuratius revocata, refellitur. De Epistolis Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum missis. Rejiciuntur Epistolæ tum ex silentio Scripturæ, ac Antiquitatis consensu, quæ scriptis Apocryphis Epistolam Christi ad Abgarum ascripsit; cum argumentis plurimis ex Epistolarum materia ductis. Peregrinatio Thaddæi falsi postulata 1°. ex circumstantia Temporis. 2°. ex statu Edessæ urbis, cui Ethnicus præesse videbatur imperante Trajano. 3°. ex rebus ipsis quibus Eusebiana narratio constat. Sanctum Abgarum Edessæ Regem, qui Anno Dom. 218. florebat, ansam dedisse fingendæ fabulæ, verosimile. Error Clar. Cavii de Origene ad vitium Æthiopissæ offerendum compulso, in transitu coarguitur.

NArrandæ Thaddæi ad Abgarum Peregrinationi, non una turget Annalium Ecclesiasticorum pagina. Cui Traditioni Baronium non nihil adhibuisse fidei, mihi novum non est, aut inopinatum, cum ejusmodi ferculis, libentissime pascat animum.
Verum

Verum non minima afficior admiratione, quod bene multi, cum in Gallia, tum in magna Britannia, Eruditissimi Viri, hanc ad fabulam inclinarint animum, his præcipue temporibus, quibus purpurea luce refulget Historia. Dicenda in tres partes dividemus: prima pars in Chronologiam Baronianam invehetur: secunda Abgari Epistolam falsi postulabit: tertia Thaddæi Peregrinationem ad examen revocabit.

Eodem anno (verba sunt Conditoris Annalium) *quadragesimo tertio a Christi Natali, ut Eusebius autor est, Thaddæus unus ex 72. Discipulis, Edessam Syriæ profectus, Abgarum Regem convertit.* Quæ Chronologia magno errore affecta est. Sectarium quidem Baronio Christophorson se præbuit: *Ista 43. anno post Christum natum gesta sunt*; quæ ipsi Eusebio adversantur, atque repugnant, ut ab Eruditissimo Valesio monemur, qui hunc Eusebii locum feliciter illustravit. Verbis Valesianis Baronianum errorem coarguemus: *Baronius qui vitiosam vulgarium Editionum Scripturam secutus est, adventum hunc Thaddæi retulit Anno Christi tertio ac quadragesimo: in quo tum ab Edessenorum publicis Actis, tum ab Eusebio longe discedit. Quippe in Actis illis diserte scribitur, statim post ascensionem Christi, hæc gesta esse,* μετὰ δὲ τὸ ἀναληφθῆναι τὸν Ἰησοῦν: *Id ipsum repetit Eusebius in lib. 2. c. 1. Ubi etiam docet hæc gesta esse principatu Tiberii Augusti. Quod profecto stare non potest, si hæc in annum Christi tertium & quadragesimum conferrentur.* Legendum itaque: ἐπεράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει: *acta sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo.* Quæ Epocha etiam atque etiam observanda est. Annus hic trecentesimus & quadragesimus juxta Edessenos, cadit in annum primum Olympidis 202. Etenim Edesseni annos suos numerabant ab Olympiadis 117. anno primo, quo Seleucus regnare orsus est in Asia, ut scribit Eusebius in Chronico; a quo tempore usque ad initium Olympiadis secundæ ac ducentesimæ, anni sunt trecenti ac quadraginta. Porro, initium Olympiadis 202. incidit in annum 15. Tiberii Cæsaris, qui duobus Geminis Coss. est insignitus. Quæ verissime juxta ac sapientissime a Valesio observata, animo sunt percipienda atque memoria custodienda: hæc quippe Epocha, maximo erit argumento, in Peregrinationem Thaddæi debellandam.

In Gallia Eruditus Abbas, cui nomen Faidit, in Brittannia Clarissi-

rissimus Guillel. Cavius, ad Traditionem de Literis Abgari Christo missis, inclinant animum; quibus assentiri non possum. Ac primum Scripturæ silentium, etsi non nesciam a multis hic non magni fieri, frigidum tamen mihi non est subditarum Epistolarum Argumentum. Inscriptas in arena digito Christi literas, mox delendas, Joannes silentio non præteriit; omisisset-ne Domini sui ad Abgarum Epistolam, quæ æterna memoria celebrari debuisset? Inscriptos Dei præcepta lapides, Moses & in Annales retulit, & Arca custodivit. Annon & Apostolos similis incessisset religio, & cura, ne Sacrum Christi Dei sui Scriptum, obscuratura ulla unquam esset oblivio? Præterea, quam Christus exaravit Epistolam, ea Scriptis divinis inseri debuit. Quid enim nisi Sanctissimum, Divinissimumque a Filii Dei manu conscribi potuit? Proindeque pars Novi Testamenti magna fuisset illa Christi ad Abgarum Epistola. Atqui hoc Thesauro non ditescit Ecclesiæ Canon: Imo a Gelasio palam publiceque damnata est hæc Epistola: *Epistola Jesu ad Abgarum, Apocrypha.* Dist. 15. Profecto, quamobrem de imagine Christi ad Abgarum missa Traditio rejicienda sit, nullus video, si illa de scripta Epistola admittitur? Urbis Edessæ scrinia citantur testes missæ cum Epistolæ, tum imaginis. Sed nec officio Christi consentaneum fuit atramento intingere calamum; muneris erat, digito Spiritus viva Dei præcepta in mentibus mortalium inscribere.

Hunc etiam de Epistolis mihi ex animo scrupulum qui me stimulat & pungit, ut adversarii evellant postulo. Ἀπὸ τῶν ἀρχείων, *ex Archivis* Edessenis deprompta sunt Epistolæ, Abgari, videlicet, & Christi. Quis porro tantum Edessæ honorem casus attulit, ut Epistola Christo in Judæam versanti missa, ad hanc Urbem quasi jure postliminii redierit? Quædam & mihi injecta est dubitatio, quod honorificam Christo legationem a Rege decretam Evangelistæ oblivione intercipi passi fuerint, cum nulla felicior esset in Annales materia, sive Domini gloriam attenderimus, sive Ecclesiæ ædificationem. Sed in ipsis Epistolis, graviora adhuc deprehenduntur falsi vestigia. Rex Abgarus, Epistola per Ananiam cursorem missa, orat Christum atque postulat, ut morbum quo laborabat sanare vellet: votis continuo non annuit Christus; hoc unum pollicetur: *Cum primum ad Patrem me recepero, ex Discipulis meis aliquem*

aliquem ad te mittam, qui morbum tuum curet. Hæccine est familiaris agendi ratio, & Christo consentanea? Petentibus ægris auxilia, Christum ea denegasse ullo-ne vestigio reperietur? Ad servum centurionis sanandum, filiamque Jaïri suscitandam, rogatus accedit subito; & passus fuisset Regem, ejus amplexus & colloquia ambientem, imperium suæ urbis secum dividere cupientem, diu decumbere; Regem quem solo nutu & verbo, a limine mortis in gaudium sanitatemque restituere poterat? Quid magis conducebat ad Dei gloriam, doctrinamque Evangelii promovendum, quam felix illa Abgari restitutio, qua tot & mentibus errore laborantibus fuissent adhibita remedia?

Rescriptum Jesu ad Abgarum Regem per Ananiam cursorem sic habet: Ἄβγαρε, Μακάριος εἶ πιστεύσας ἐν ἐμοὶ, μὴ ἑωρακώς με, γέγραπται γὰρ περὶ ἐμοῦ, τοὺς ἑωρακότας με, μὴ πιστεύσειν μοι: *Beatus es Abgare qui in me credideris, quem non vidisti: de me enim scriptum est, eos qui me viderint non credituros in me.* Quænam est illa Scriptura? Divina-ne, vel humana? Christi quidem sermone *scriptum est*, Sacra Biblia significat. Ubinam locorum laudatum ab Epistola testimonium? Observatione digna est Valesiana Annotatio p. 19. *Ubinam hæc scripta sint, in quo Veteris Instrumenti loco, adhuc quæro. In Joannis quidem Evangelio scriptum habetur, Dominum nostrum post Resurrectionem dixisse Thomæ. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Sed hæc Epistola Christi ad Abgarum Regem, siquidem vera est, objurgationem illam Apostoli Thomæ aliquot annis antecessit. In c. 6. Esaiæ locus est huic plane similis, ad quem allusisse videtur Autor hujus Epistolæ.* Versum capitis sexti nonum ni fallor indicat: Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε: Sed Epistola vix accedit ad horum verborum similitudinem. Imprudens Autor Epistolæ aliud agens, ad Christi verba allusit, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Joan. 20. Non ovum ovo similius: *Beatus es Abgare, qui in me credideris, & non vidisti.* Ab Epistolarum Conditore illud Parmenonis usurpari potuit:

Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii.

Ut ad brevia redeam, animi pendebat Abgarus; an Christus re vera *Deus esset, aut certe Dei Filius?* Abgaro quippe Filius Dei infra Patris naturam erat. Christi-ne sapientiam decebat, sic Abgaro

 rescribere

rescribere, ut de credendis nil præscriberet, removendo Regis errori? Denique, Gentium ad salutem vocatio, verbis disertissimis in Jesu ad Abgarum rescripto continetur: *Cum primum ad Patrem me recepero, ex Discipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum curet, & vitam tibi tuisque omnibus præstet.* Quo novum ducitur in Epistolas Argumentum: certum quippe est, abditum & Apostolis, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ fuisse Gentium ad fidem vocandarum mysterium, donec mandante Spiritu Sancto, Cornelius Christiana Religione imbueretur; proindeque & Epistolarum insolentes cum Discipuli, tum Apostoli fuere. Petro a Judæis de inito cum Cornelio commercio vexato, fortis & invicta defensio fuisset illa Christi ad Abgarum Epistola, quæ Ethnico Regi mittendum Apostolum pollicebatur.

Pauca de Thaddæi Peregrinatione dicenda supersunt. Nulla quidem apparet mihi causa negandi Præconem Christi, sive Apostolum, ut Hieronymus censet; sive Evangelistam, ut creditum Eusebio, nomine Thaddæum, Edessam se contulisse, Apostolis Judæa decedentibus, ut Regionibus Ethnicis Christi Religionem perferrent: id unum contendo, relatam ab Eusebio de Peregrinatione Thaddæi Traditionem, veris non consentire. Ac primum omnium observatu dignissima est illa temporis Circumstantia, quæ narrationi affigitur, *ἐπεράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ τριακοσιοστῷ ἔτει: acta sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo*, qui incidit in annum Tiberii quintum & decimum, Geminorum consulatu insignem. Quo sequitur pro certo habendum esse, Christum hoc ipso anno affixum fuisse cruci, si vera narrationis Autor referat. Atqui Christum a vita discessisse Anno Tiberii quinto & decimo, longe falsissimum est, cum ante hunc annum Baptisma non fuerit consecutus. Nec errori sanando remedium imperii Proconsularis Tiberiani adhiberi potest, quod & fictum, & Autori narrationis incognitum, qui alia usus est Epocha, nempe Seleuci Regis exordio; quam Æram *Teria dhilkarnaim* Arabes vocant, id est, Epocham τοῦ δικέρωτος, cornigeri, sive Alexandri Magni, qui se Ammonis, sive Jovis Cornigeri filium existimari volebat. Initium hujus Epochæ ante Æram Christianam putatur 312. & est Perid. Jul. 4402. quo 117ª. Olympias iniit: ut vel ipsa temporis Circumstantia indicio sit, Autorem de Thaddæi Peregrina-

Peregrinatione Traditionis, floruisse circa initia seculi tertii, quo opinio de morte Christo allata, Geminis Coss. emergere cœpit. Novum in subditam narrationem a Dione suppeditatur argumentum: Imperante Trajano, Edessam regebat Regulus ab institutis Christianorum alienus, nomine Abgarus; ut enim Ægypti Reges *Pharaonis*, imperatores Rom. *Cæsaris* titulo ornabantur; sic Edessæ Principes, *Abgari* nomine donabantur. Abgaro huic, filius fuit Arbandes appellatus, qui jubente Patre, solvit antiquos mores, ab autore non modo Religionis, sed & ab ipsa honestate traditos. Abgarus partim persuasus ab Arbande filio, egregia forma præstante, ideoque Trajani familiaritatem adepto, partim ejus jamjam præsentis metu percussus, adventanti profectus est obviam, seque purgato, veniam consecutus est: *Nam filius ei splendidæ supplicationis instar aderat.* Abgarus quidem inde Trajani amicitiam meruit, eique tunc epulum præbuit: *ἐν τε τῷ δείπνῳ παῖδα ἑαυτὸν ὀρχησάμενον βαρβαρικῶς παρήγαγεν: hac cœna filium, Barbaro quodam more saltantem, produxit.* Dio. l.60.p.780. Fallor, aut Dio, Trajani formosos in pueros affectum, integumentis involutum oculis subjicit. Hoccine Abgari factum Christianum est? An Christi discipuli Barbaricis saltationibus tum indulgebant, a quibus vel Ethnici paulo graviores, maxime abhorrebant. Arbandis ille Pater, Abgarum, quem Thaddæus ad fidem ut aiunt perduxerat, genitorem aut decessorem habere debuit: concesso Abgarum cum Subditis, monente Thaddæo, Christi imbibisse Religionem. An ejus successor instituta Christianorum non ita pridem inducta, tam turpiter repræsentasset? An tam subito miraculorum Thaddæi, instillatæque Doctrinæ impressa vestigia deleta fuissent? vestigia, inquam, quæ in publicis Edessæ monumentis inhærebant: *ἐν γοῦν τοῖς αὐτόθι δημοσίοις χάρταις, τοῖς τὰ παλαιὰ, καὶ τὰ ἀμφὶ τὸν Ἄβγαρον πραχθέντα περιέχουσι, καὶ ταῦτα εἰσέτι καὶ νῦν ἐξ ἐκείνου πεφυλαγμένα εὑρήται: siquidem in monumentis publicis, in quibus Antiquitates Urbis, & res gestæ Abgari continentur, hæc etiam ad nostram usque ætatem conservata reperimus.*

Denique, hæc Edessenorum Traditio nugis scatet, dignis quæ puerorum & vetularum committantur auribus. Mittitur ad Regem Thaddæus, qui provinciæ suæ veluti ignarus, ad Tobiam filium Tobiæ recta divertens, multis clarum se miraculis reddidit,

 antequam

antequam conveniret Abgarum, cujus tamen causa Edessam contenderat. Cum Thaddæus esset ingressus, Abgarus Proceribus suis circumseptus, in ipso intrantis Thaddæi vultu divinum nescio quid videre sibi visus est. Ὅπερ ἰδὼν Ἄβγαρος προσεκύνησε τῷ Θαδδαίῳ: *quo conspecto statim Thaddeum adoravit.* Quid? Princeps Apostolorum Petrus, Cornelium Centurionem genibus ejus advolutum erexit, & Thaddæus Petro dignitate inferior, sibi a Rege exhibitam adorationem non abnuit; nec palam pronunciavit, *surge; & ego ipse homo sum?* Et vidit filium Abdi, nomine Abdum, se quoque ad pedes ejus abjicientem? Hæcine moribus Apostolicis consentiunt? Omnia sane videntur insulse scribi hac in Fabula. Abgarus oraverat atque postulaverat Thaddæum, ut de Christi potentia, gloria, adventu, verba faceret, quid ad hæc Thaddæus? *Nunc quidem, inquit, parcam dicere, quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus nuntiandum sum destinatus.* Quænam est illa perversa sapientia Thaddæi? Familiæ Commentariensis Paulus & Silas, *subito locuti sunt sermonem Domini*, & Thaddæus horam prorogat concionandi apud Aulam Regiam, audiendi Evangelii cupidam? Nec timuit ne inopinata & improvisa mors Abgaro ejusque familiæ accideret? An Apostolica phrasis hæc est? Ἐσμίκρυνεν αὐτῦ τὴν Θειότητα: *Divinitatem suam Christus ipse minuit.* Anno Domini 218. a Julio Africano observatum, *Abgarum Sanctum virum regnasse Edessa*: unde animum institui ad cogitandum, improbabile non esse Sanctum Abgarum dedisse ansam fingendæ fabulæ. Cæterum, a Matthia a Michou observatum est, *Rutenos inter Sanctos, plus colere Thaddæum Apostolum; asserentes quod eos converterit, & fidem Christi docuerit l. 2. c. 1.*

Apud eruditos Biblioth. Univers. conditores, hæc ex Eruditi Cavii libro excerpta leguntur de Origene. *Ils menacerent de le faire mourir, a moins qu'il ne se resolût, ou de satisfaire la Brutalitè d'une femme Ethiopienne; ou d'encenser aux Divinitez* t. 6. an. 1637. Qui gravis in error in transitu corrigendus est. Tristes viri casus aliter dictis expedit Epiphanius, Hær. 64. n. 2. Κακομηχανίᾳ γὰρ Διαβολικῇ ἐπενόησαν οἱ τῆς κακίας ἐργάται αἰσχρότητα τῷ ἀνδρὶ ἐπινοῆσαι, καὶ τιμωρίαν τοιαύτην ὁρίσαι, εἰς παράχρησιν δῆθεν τῦ σώματος αἰθίοπα αὐτῷ παρασκευάσαι: *tum illud vero Diaboli calliditate improbitatis artifices commenti sunt, ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, atque*

que ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius corpori stuprum inferendum Æthiopem compararent. Non ergo mulier indicatur, sed vir Æthiops: non stuprum Origenes inferre debuit, sed pati. Quibus apparet argumentum esse iners, quo tamen veluti potentissimo Eruditorum nonnulli moventur, ne evirationi Origenianæ fidem adhibeant. Hanc de Origene Traditionem Baronius revocavit in dubium: ad eam vero Petavius inclinans, e laqueis Baronianis expedire tentat Epiphanium: *Atqui nos Epiphanium opponimus, quo neque antiquorem, neque graviorem requirere debemus*, inquit ille. Transeat Epiphanii autoritas, atque gravitas. Testisne fuit oculatus? Minime gentium. Auritus ergo? Atqui Petavius sententiæ Paulinæ immemor esse non debuit: *Adversus Presbyterum accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

EXERCITATIO NONA.

AN. XLIV. NUM. I.

De Jacobæa in Hispaniam peregrinatione, pietatis obtentu, nominumque ὁμωνυμίας, *vulgus Christianorum in fraudem sæpius deductum fuisse, exemplis compluribus illustratur. Non improbabile Evangelii præconem, Jacobum nomine, contendisse in Galæciam, fide Christi hominibus imbuendis, qui honoris causa in Apostolum Jacobum, Zebedæi filium, mutatus est. Fabulosa Apostoli Legatio in Hispaniam refellitur, 1°. Ex alto totius Antiquitatis silentio. 2°. Ex Provincia Jacobo a Patribus assignata, quæ ab Hispania multum diversa 3°. Ex Martyrologio, quod de haca Jcobæa Legatione non secus ac de Reliquiarum ejus Translatione, mentionem agitasset. 4°. Ex pugna cum perantiqua Traditione de mandato dato Apostolis, ne ante duodecennium exirent Judæam. Jacobum in Hispaniam non contendisse, in dispersione quæ Stephani mortem excepit, multis demonstratur. An* Claud. Imp. An. 2.

 Hero-

Herodes Tetrarcha Jacobo mortem imperaverit? Affirmantis ſecundum Antiquos nonnullos Clariſ. Bailii, Glaſcuenſis Profeſſoris, gravis error, ex Joſepho coarguitur.

GLoriæ Hiſpanæ æmula ſemper Gallia, ſicut de Majeſtate imperii diu certavit olim, ita de ſacro Reliquiarum Jacobæarum Theſauro nunc etiam contendit, ac Sanctorum oſſium pulverisque dimidium ſibi vindicat, quod apud Tholozenſes requieſcit in Æde divi Saturnini, crebris clara miraculis, ab Apoſtoli Jacobi Reliquiis ibi patratis. Hoc Gallis præciſe negant Compoſtellani; non noſtrum inter litigantes tantas componere lites; utrinque miracula, utrinque fama, Traditiones utrinque junctis umbonibus concurrunt. Quibus forſan hic animis inducitur ſcrupulus, ne & Compoſtellani, & Tholozenſes decipiantur; illi viderint quibus hæc cordi ſunt, & religioni. Satis eſt mihi ſi in Jacobi peregrinationem Hiſpanicam adverſarium me intenderim.

Baronium audiamus: *Quod vero ad ipſum Jacobum pertinet, cum Hiſpaniarum Eccleſiæ omnes ex æquo profiteantur eundem Apoſtolum antea in Hiſpanias eſſe profectum, illicque primum prædicaſſe Evangelium, & aliquot collegiſſe diſcipulos: nihil amplius quod de ea re dicamus, habemus, quam quæ ſunt a nobis in Martyrologio Rom. notata.* Candorem Baronianum hic non laudare non poſſum, qui tandem rectius ſapiens, telis ſuis fabuloſam Peregrinationem confixit, non ſine Hiſpanorum moleſtia, quibus quidem Baronius male audit, cum ob Tractatum de Siciliæ Monarchia, tum ob confutatam Jacobææ Peregrinationis fabulam. Deducere in fraudem homines obtentu pietatis, multis & olim fuit & hodie religio eſt. Si pius Vir aliquis geſſit nomen cujusdam Apoſtoli, nunquam ſecus illum habuerunt, ac ſi unus & idem eſſet cum Apoſtolo. Qua de re inſigne exemplum Sozomenus præbuit l. 7. c. 10. Pauli quondam Conſtantinopolitani Epiſcopi, corpus, præcipiente Theodoſio, ſepultum eſt in Eccleſia quam Macedonius, ejus perſecutor, ædificaverat: Ὁ καὶ πολλοὺς ἀγνοοῦντας τὴν ἀλήθειαν ὑπονοεῖν ποιεῖ Παῦλον τὸν Ἀπόστολον ἐνθάδε κεῖσθαι, μάλιστα δὲ καὶ τὰς γυναῖκας, καὶ τὸ δήμου τῶς

τοὺς πολίους: quæ causa est, ut multi veritatem rei ignorantes, ac præsertim mulieres, & quamplurimi ex plebe, Paulum Apostolum illic conditum esse suspicentur. Anno reparatæ salutis 800. Armenus, nomine Thomas Cananæus, qui in Indiam contenderat, ad prædicandum Evangelium, mutatus est in Apostolum. Seculo tertio Dionysius quidam Lutetiam petens, apud Gallos concionatus est; audit nunc Areopagita, ut obtentu tanti nominis, Gallici hujusce Apostoli adolesceret authoritas. Evangelii Præconem, cui Jacobo nomen fuit, ad urbem Compostellanam accessisse, multum habet verisimilitudinis, cum Fabula veris sæpius innitatur: Sancti Apostoli titulo ab Hispanis Jacobus ille ornatus est, quo frequentia, & plausu longe majori per Orbem Ecclesiasticum celebraretur, sicque suus honos Hispaniæ adjungeretur. Naris quidem emunctioris hominibus suboluit Fabula: propterea in Celeberrimo Lateranensi Concilio, cui Innocentius 3[us]. præfuit, de hac Peregrinatione Jacobæa Ximenium inter & Compostellanum Episcopum magna lis agitata est: *Quomodo ibi prædicavit Jacobus, quo nondum egressus est?* quæ Compostellano non immerito regerebat Ximenius.

Altum Historiæ veteris Ecclesiasticæ silentium, gravissimum est adversus posterorum Traditionem Argumentum. Quippe quæ ex Antiquorum fonte ad juniores manare debuerit: ut factorum Apostolicorum narratio, priscis seculis incognita, jure pro otiosorum hominum figmento habeatur. Evolvantur Ecclesiæ Fasti, antiqua legantur Christianorum monumenta, de Peregrinatione Jacobæa in Hispaniam penitus silent, licet locum ubi officio suo functi sunt Apostoli, commemorent. Hippolytus, Libello de duodecim Apostolis: Ἰάκωβος ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ κηρύσσων, ὑπὸ τοῦ Ἡρώδου τοῦ Τετράρχου ἀναιρεῖται μαχαίρᾳ, καὶ θάπτεται ἐκεῖ. *Jacobus frater Joannis, prædicans in Judæa, ab Herode Tetrarcha gladio occiditur, ibique sepelitur.* Hippolyti sententiæ est Oecumenius: Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ ἐκήρυξε τὸ Εὐαγγέλιον. *Jacobus Zebedæi filius, duodecim Tribubus quæ dispersæ erant, prædicavit.* Dorotheus in Synopsi similia habet. Qua de causa prorsus profectionem illam Hispanicam potius omisere quam illam & Bartholomæi in Indiam, & Andreæ in Scythiam, Thraciamque;

ciamque ; & Philippi in Prygiam ; & Matthæi in Parthiam, & Petri in Cappadociam ? Hæc una ratio eſt, quod Traditio quæ tum vigebat, neſciebat Peregrinationem Jacobæam in Hiſpanias, quam, dubio procul, oblivione, & taciturnitate non texiſſent. Paulum in Hiſpaniam contendiſſe creditum eſt : hoc itaque a Patribus non omiſſum : Epiphanius Hær. 27. n. 6. p. 107. Ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ἱσπανίαν ἀφικνεῖται : *Paulum quidem, & in Hiſpaniam pervenit.* Theodretus in Philip. p. 25. Καὶ ἡ τῶν Πράξεων δὲ ἡμᾶς ἐδίδαξεν ἱστορία ὡς δύο ἔτη τὸ πρῶτον ἐν τῇ Ῥώμῃ διήγαγε καθ' ἑαυτὸν, ἐν τῷ ἰδίῳ μισθώματι, ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀπελθών. *Actuum etiam nos docuit hiſtoria, quod duobus annis primum Romæ degit per ſe habitans in ſuo conducto. Cum autem illinc profectus eſſet in Hiſpanias, & illis etiam divinum Evangelium tradidiſſet, reverſus eſt, & tunc fuit truncatus capite.* Peregrinatio Jacobi in Hiſpaniam, nullo veſtigio in Patrum monumentis reperitur : quin etiam ex ipſo Martyrologio ducere argumenta poſſumus in pervulgatam hanc Hiſpaniæ Traditionem. *Sancti Jacobi Apoſtoli, fratris Joannis Evangeliſtæ, qui prope feſtum Paſcha ab Herode Agrippa decollatus eſt. Ejus ſacra oſſa ab Hieroſolymis ad Hiſpanias, hoc die tranſlata, & in ultimis earum finibus Gallaciam recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, & frequenti Chriſtianorum concurſu Religionis & voti cauſa illuc adeuntium, pie coluntur.* Julii 25. Non felicior occaſio dari potuit commemorandæ Jacobææ peregrinationis in Hiſpaniam, de qua, dubio procul, non minus quam de Reliquiis in Galæciam translatis, mentionem agitaſſet autor Martyrologii, ſi tum Eccleſiam pervaſiſſet illa Hiſpanis decantata Traditio.

Dur. Ration. l. 7. Hæc ſunt de Jacobi in Hiſpaniam Legatione Traditionis oracula : *Jacobus major, filius Zebedæi, frater Joannis Evangeliſtæ, miſſus eſt ad prædicandum Hiſpanis : ſed cum non poſſet niſi unum Principem ibi convertere, rediit Hieroſolymam : ſed tandem ab Herode decollatus, & in Hiſpaniam reportatus, quos vivus convertere nequivit, mortuus, divino miraculo convertit.* Cui tempori accommodata hæc Legatio ſit, accurate eſt examinandum. Anno Claudii tertio, vel potius quarto, effluxit vita Jacobi cum ſanguine, quem fudit impius gladius Herodis, Anno Dom. 44. ab eo tempore, quo ad Patrem Chriſtus ſe recepit, ad currentem annum, confiunt undecim

cim anni. Antiqua porro eſt, & pervulgata Traditio, Apoſtolos in mandatis habuiſſe ne Judæam exirent, elapſos ante annos duodecim; Quod veri ſpeciem arripit, cum natura hominum ita ſit comparata, ut vix Patriam exuat. Amabant ſe in Judæis Apoſtoli: hinc Paulus ad contumaces recutitos: *Vobis neceſſe fuit primum exponi ſermonem Dei; poſtquam autem illum repellitis, & indignos vos ipſos decernitis æterna vita, ecce convertimus nos ad Gentes.* Act. 13.46. Negari certe non poteſt, Patres memoratæ adhæſiſſe Traditioni, quæ cum Legatione Jacobæa in Hiſpaniam mirabiliter pugnat. Sic Apollonius apud Euſebium, l. 5. c. 8. Sic Clemens Alex. jam à nobis laudatus; ſic Beda; ſic Urſpergenſis; quod in obſervatione ponendum: *Anno Domini 44. duodecim Apoſtoli, cum eatenus in Judæa tantum prædicarent, juxta præceptum Domini, ut Beda ſcribit, Anno a paſſione Dom. 12. in totum Orbem diviſi ſunt.* Chron. p. 44. Hinc quippe aperte colligitur, Urſpergenſem qui ſeculo decimotertio ineunte florebat, inſolentem fuiſſe Jacobææ in Hiſpaniam Legationis, quæ cum mandato Apoſtolis dato, ne labentibus annis duodecim pedem extra Judæam ponerent, non magis amice conciliari poteſt, quam jungi Gryphes equis.

Animo ſolerti tempus Jacobææ Legationis excogitavit Baronius in Martyrologio: *Verum Jacobi in Hiſpaniam profectio, tunc potiſſimum potuit contigiſſe, cum poſt necem Stephani Protomartyris, ſecuta eſt ſtatim diſperſio omnium diſcipulorum: & licet dicat S. Lucas in Actis omnes diſperſos eſſe præter Apoſtolos, intelligendum eſt ex majore parte.* Jul. 25. Atqui hoc non fingi, ſed ex Scriptura Patribusque probari debet, quibus de acumine Baroniano nil ſuboluit: non ſane Chryſtomo: *Verum tamen de Apoſtolis non dicit, oſtendens quod & hac ratione adduci volentes Judæos, civitatem non reliquerunt, velut & aliis fierent audaciæ autores.* Hom. 18. in Act. Oecumenio, Οἱ δὲ Ἀπόστολοι οὐ διεσπάρησαν, ἀλλ' ἦσαν ἐν Ἱεροσολύμοις: ἔνθα γὰρ πλείων ὁ Πόλεμος, ἐκεῖ παρατάττεσθαι τοὺς πρωταγωνιστὰς ἔδει, καὶ προκεῖσθαι τοῖς ἄλλοις ἀνδρείας καὶ θάρσους ὑπόδειγμα. *Apoſtoli vero non ſunt diſperſi, ſed Hieroſolymis erant: ubi enim potiſſima erat oppugnatio, ibi primos ac præcipuos milites in acie ſtare oportebat, cæterisque proponi in exemplum fortitudinis & audaciæ.*

Sed ſi conceſſero Jacobum diſperſis eſſe inſerendum, an ſatis

 con-

conclusum videtur pro ejus in Hispaniam Legatione? Qua de causa contendisset in hanc Regionem? An mente concipiebat Ethnicorum conversionem? Atqui nondum felix iste dies advenerat, quo Gratiæ thesauri Gentibus recludi debuere? Et nisi monitore Authoreque hujusce provinciæ suscipiendæ Spiritu Sancto, nefas fuisset proficisci ad Ethnicos. Itaque editis cœlo Oraculis, Petrus missus est ad Cornelium, qui primus Gentium salutem dedicavit. An ergo Jacobus in Hispaniam se contulit, instillando Judæorum auribus Evangelio? Quo teste probari potest Hispaniam multitudine Judæorum abundasse, ut Apostolus eos conveniret de suppeditanda Christi notitia. Quanto felicior ad Evangelium dissеminandum campus in Ægypto, vel Mesopotamia prosternebatur? Audiatur Josephus: Αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο Μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Decem autem Tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.* Cum Legationibus Apostolicis Spiritus Sanctus præsideret, eo impellente Jacobus in Hispaniam proficisci debuit; nec eo missus est, nisi ex certa notitia fructus plurimi hac ex Legatione decerpendi. Jam vero ab anno Dom. 35. ad 44. nulli testes citantur conditarum Ecclesiarum, creatorum Episcoporum, suppliciorum Martyribus irrogatorum in Hispania, quæ tamen Legationis Apostolicæ aliquam in regionem argumenta sunt certissima. Idcirco Innocentius Papa, qui Hispanis projectæ non est autoritatis, sic olim Decentio scripserat: *Legant si in his Provinciis, nempe Italia, Gallia, Hispania, & Africa, alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam invenitur, oportet hoc sequi, quod Ecclesia Rom. custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est.* Ab eo plurimum igitur abfuit Innocentius, ut excursui Jacobæo in Hispaniam assentiretur. Profecto si *principium* fidei suæ Hispania a Romana accepit Ecclesia, non igitur conversionis suæ originem duxit a Jacobo, Zebedæi filio; aut si a Jacobo, animi falsus est Innocentius, qui indebita gloria & prædicatione, Ecclesiam suam extulit. De hac quæstione jam satis: legantur Annales An. 916.

Jacobum porro honestam Martyriô oppetiisse mortem jussu Herodis, narratum legitur apud Lucam. Herodes ille ab Hippolyto, Oecu-

Oecumenio, aliisque Antiquorum plurimis, Herodes Tetrarcha existimatur. Hoc Patribus condonandum, quorum plerique se Chronologiæ excolendos non dedere. Verum ut fatear, non minimam movent admirationem, Erasmus, nec non Eruditus Robertus Baillius, sacræ Theologiæ in Academia Glasguensi Professor primarius, qui Oecumenii Hippolytique errorem erraverunt: ille in Paraphrasi; hic in in opere Histor. & Chron. l. 2. c. 1. *Herodes quidem Antipas, qui Joannem Baptistam occidit, & Christo crucem adeunti illusit, ac Jacobum gladio percussit.* Quem quidem immanem errorem Josephus eripuisset Clarissimus Viris: *Itaque Cajus simul ab Herode salutatus est, priorem enim eum admiserat; simul Agrippæ perlegit Litteras accusantes Herodem, quod prius cum Sejano conspirasset in Tiberium, & nunc iterum Artabano Partho faveret contra Caji novum imperium.* Τὴν τετραρχίαν ἀφελόμενος αὐτὸν, προσθήκην τῇ Ἀγρίππα βασιλείᾳ ποιεῖται, καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως τῷ Ἀγρίππᾳ δίδωσιν, αὐτὸν τε φυγῇ ἀιδίῳ ἐζημίωσεν, ἀποδείξας οἰκητήριον αὐτῷ Λούγδουνον, πόλιν τῆς Γαλλίας: *ademptam Herodi Tetrarchiam ad Agrippæ Regnum adjecit, pecuniam quoque ejus Agrippæ dono dedit; Herodem vero perpetuo damnavit exilio apud Lugdunum, urbem Galliæ.* An ergo Herodes Tetrarcha exulem agens in Gallia, Jacobo mortem Hierosolymis imperare potuit, regnante Claudio? Uter Herodes Tetrarcha, an Agrippa vermibus corrosus misere periit? Hippolyti nævum eruditus Commentator Franciscus Combefix coarguere debuerat, quem tamen errorem silentio præteriit.

Joseph. Ant. l. 8. c. 9.

AN. XLIV. NUM. III.

De Petro ab Agrippa in carcerem conjecto. Cur milites sexdecim ad custodiendum? De precibus pro captivo fusis. An Ecclesia intentissimis orationibus Deum adiret, quod totius Ecclesiæ Monarcham exerceret? Inventum hoc Baronii, & Bellarmini rejicitur. Cur nullæ preces conceptæ leguntur pro Jacobo Apostolo? Subito impetu Jacobum, non secus ac Stephanum, missum ad mortem fuisse, verosimillimum

limum, quæ sententia illustratur ex Chrysostomo. Hinc nullæ præces publicæ fusæ ab Ecclesia pro salute Jacobi. Concesso & Jacobum in carcerem detrusum fuisse, germana aperitur causa cur Ecclesia pro Petro descenderit in preces, non pro Jacobo.

Joseph. Ant. l. 19. c. 15.

AVitæ Religionis amore abundans Rex Agrippa, crudele dat specimen zeli sui. Quamprimum Herosolymam pervenit, officio viri pii functus est, teste Josepho: Ἐις Ἱεροσόλυμα δὲ ἐλθὼν χαριστηρίους ἐξεπλήρωσε θυσίας, οὐδὲν τὸν κατὰ νόμον ἀπολίπων: *votiva sacrificia persolvit, nihil omittens eorum quæ Lege præscripta sunt.* At cœcus amor Religionis in furorem sæpius exit. Quocirca, Herodes nova victima Deo litandum esse sibi persuasit, damnato ad mortem Jacobo, ut cum populi, tum Sacerdotum gratiam iniret. Sanguine Martyris fuso, Regia sitis non satiatur: imo magis provocatur. Obsequium igitur Deo se præstare sibi fingens, Petrum quasi nova Religione Judæos solicitantem festinat e medio tollere: trusus itaque in carcerem Apostolus, militibus sexdecim custodiendus traditur.

Atque hic quæstio non injucunda moveri potest, quamobrem tot milites ad virum inermem, olim piscatorem, nunc Apostolum, crucisque tum verbo, cum exemplo præconem custodiendum? An publicus carcer, vinclaque ad Petrum frænandum, non sufficiebant? Tantis custodiis vix unquam asservati sunt vel perditissimi prædones. An metuebat Agrippa, ne Pastoris sui captivitatem Christiani non ferentes, ademptam Petro libertatem vi armisque redderent? Recte Nazianzenus, Or. 3ª. p. 94. Ἐπέσχεθη γὰρ τῇ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ, καὶ τοῖς Χριστιανῶν δακρύσιν δὴ καὶ παρὰ πολλῶν ἐχυθη, τοῦτο μόνον ἐχόντων κατὰ τοῦ διώκτου φαρμακόν. *Verum Dei benignitate inhibitus atque repressus est Julianus, Christianorumque lachrymis, quas multas multi profuderant, hoc unum adversus persecutorem medicamentum habentes.* Fallor, aut pristinæ Petri liberationis memoria, toto Judæorum mirante Senatu, postquam una cum Joanne ejus Collega in publicam custodiam traditus est, Agrippam impulit, ut magno hoc militum numero, carcerem sepiret,

atque muniret, contra auxilium quodlibet morituro ferendum, ne ulla ratione liberaretur. Tot ſane militum corruptioni vix locus eſſe potuit, ut adverſus avaritiam, & oblata munera, magna tanto in cuſtodum numero & ſepta munitio fuerit. Nulla quidem via ſalutis tum apparebat; ſola Fidelium vota ſupererant, quæ pro Clariſſimo Paſtore jugiter ſolvebantur.

Hoc a Luca obſervatum eſt: *Orationes autem aſſiduæ fiebant ab Eccleſia ad Deum pro Petro.* Quæſtionis eſt, an hæ preces intenſiſſimæ, & pro Jacobo fuſæ non fuerint, aut ſi fuſæ ſint, qua de cauſa id in Annales Lucæ non relatum ſit, perinde atque vota pro ſalute Petri concepta? Multa hic variant: Illuſtriſſimi Purpurati Baronius & Bellarminus ſummam Petri dignitatem videre hic ſibi videntur: ille; *Etſi alios complures Apoſtolorum carceri mancipatos ſæpe legamus, de nullo tamen ipſorum univerſam Dei Eccleſiam adeo ſolicitam fuiſſe reperimus, ſicut de Petro; utpote communi omnium Parente atque Paſtore.* Hic longe fuſius: *Decima octava prærogativa eſt, Act. 12. ubi pro Petro in carcere conſtituto oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia. Scimus ante illud tempus, Stephanum in periculo fuiſſe, & poſtea etiam lapidatum; ita Jacobum in eodem carcere conſtitutum, & poſtea interfectum; nec tamen legimus ita ſine intermiſſione ab Eccleſia pro illis oratum, ut nunc pro Petri periculo fieri videmus. Quæ poteſt alia ratio aſſignari, niſi quia multum intereſt, utrum membrum unum, an caput ipſum periclitetur. Itaque Chryſoſtomus in hunc locum: Magni, inquit, amoris indicium oratio.: Patrem omnes quærebant.* De Rom. Pont. l. 1. c. 22. Si quæ Cardinalibus placuit illa ratio, cauſa fuit aſſiduarum precum quibus Deum adibat Eccleſia, utique mirum eſt accuratos vigilantes Patrum oculos, hanc orandi pro Petro latuiſſe cauſam.

Cæterum, vellicanda hic eſt Bellarmini, ſibi magis quam veritati caventis, fides: Φιλοστοργίας δεῖγμα ἡ Προσευχή. Πατέρα πάντες ἐζήτουν: Πάτερα ἡμέρων. Ἐκτενὴς φησὶν ἦν προσευχὴ γινομένη ὑπὲρ αὐτοῦ, ἀκούσατε πῶς διεκείντο περὶ τοὺς διδασκάλους: *audite quomodo affecti erga præceptores.* Non *præceptorem* dicit, ſed *præceptores.* Ardentem quippe amorem ſui excitabant Apoſtoli omnes, in quo veluti Orbis doctores, Eccleſiæque columnas, cura Fide-

 lium

lium omni cogitatione incumbebat. Mente custoditum semper fuit hoc Charitatis, Naturæque præceptum: *Memores estote vinctorum, tanquam una cum illis vincti.* Heb. 13. Quanam igitur de causa, de aliis Apostolis carceri mancipatis, non adeo solicita legitur Ecclesia ac de Petro? Pro Stephano, Jacoboque, nullum quidem palam publiceque orandi concessum videtur Ecclesiæ spatium, cum in carcerem non appareat fuisse conjectos, sed repente occisos. Quæ & magni Chrysostomi sententia est, Hom. 26. in Acta: *Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio, simpliciter, & quasi fortuito.* Hoc sane sonat illud Lucæ, ἐπέβαλεν χεῖρας, Regia videlicet autoritate abutens, indicta causa, neque præeunte ulla legitima causæ cognitione, sed animi impetu, atque affectu. Sic Marci 4. 37. Τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον: *fluctus irruebant in navigium.* Et c. 14. Καὶ ἐπιβαλὼν, *& cum erupisset*: ut subito Jacobus, non secus ac Stephanus, ad supplicium raptus esse videatur. Hanc crudelitatem ubi Agrippa vidit non esse ingratam Judæis, adjecit facinori facinus, ac Petrum quoque inter Apostolos præcipuum, jussit apprehendi. Quominus autem & hunc statim occideret, obstitit tum quidem dies Azymorum, apud Judæos eximie Religiosus: unde tempus orandi pro Petro in carcerem detruso concessum Ecclesiæ, non pro Jacobo.

Sed & concesso Jacobum ad carcerem fuisse damnatum, gravissima fuit Ecclesiæ causa orandi pro Petro, vel remoto Cardinalium figmento; hanc exhibet Chrysostomus: *Oratio fiebat continuo ab Ecclesia apud Deum; erat enim gravissimum certamen; meticulososque illos faciebat, & quod ille in carcerem conjectus erat, & quod iste interfectus erat.* Crescente in immensum dolore, majora adhibebantur remedia; ut ex precibus non Petri sane Monarchia, sed periculi magnitudo colligi debeat. Quibus etiam addi potest, honor adjunctus Petro, qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ fundamenta jecerat, nec non Apostolos omnes ordine eminebat. Sed & fusarum pro Petro precum mentio agitari debuit, commendandis orationum viribus. Deplorata Petri vita hoc remedio restituta est: hoc Deus vincitur, & expugnatur: hoc adversus Tyrannorum laqueos, tortores, enses, paratum fuit remedium, ut nil miri sit omissas non fuisse fusas pro Petro preces, quia orationi felix mirandusque

exitus

exitus accesserat. Hinc porro factum videtur, ut in Liturgia semper oretur pro Episcopo; Sic in Basilii Liturgia: Ἐν πρώτοις μνήσθητι Κύριε τοῦ Ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν: *in primis memento Domine Archiepiscopi nostri.* Et in Festis omnium Apostolorum alta voce cantatur: *Æquum & salutare est, te Dominum suppliciter exorare ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per Beatos Apostolos tuos continua protectectione custodias, ut iisdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse Pastores.*

AN. XLIV. NUM. V.

De Petri liberatione ab Angelo. Cur spiritus ille lumine suo carcerem illustravit? Num hoc fulgore custodes carceris perstricti, atque exanimati? Affirmantium sententia refellitur. Vero propius gravem somnum occupasse artus militum. Miraculum liberationi Petri geminum, ex Palladio suppeditatum. An carcer Agrippæ intra vel extra Hierosolymam? Act. 12. v. 10. difficillimus explicatur. Lightfootiana opinio de Porta ferrea, & carcere extra murum constituto, rejicitur. Lucas ex Josepho explicatur. Cur Jacobo præcluditur effugium mortis, non Petro? Insignis Oecumenii locus in hanc rem.

NOn sufficiebat Agrippæ carcer, non geminæ catenæ, non quatuor militum quaterniones ad custodiendum inermem, mansuetumque hominem; videlicet, ut crudelis impiique Regis diligentia proficeret ad cumulandam Christi Servatoris gloriam; ecce Angelus Domini repente astitit Petro, simulque lumen admirandum, discussa caligine & noctis & carceris, jucundum fuit ac apparatissimum Apostolo crudeli funere morituro, spectaculum. Hujusce luminis usus mihi videtur fuisse, ut partim quidem hunc Angelum, Lucis esse constaret; partim vero ut Petrus videret quæ sibi agenda erant: sed & innuebat atque indicabat læta & jucunda reddi,

quæ

quæ prius tristia videbantur; signo sane rei significatæ apto atque cohærenti: lux quippe felicitatis & lætitiæ indicium est. Hinc usus lampadum in Oriente, inter legendum Biblia, teste Hieronymo adversus Vigilantium: *Absque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria, jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Qua de causa magna & lucernarum copia parabatur, celebrandis Principum Natalitiis:

ac cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Disposita pinguem nebulam vomuere lucerna. Pers. Satyr. 5.

Nonnullorum sententia est, hoc Angelico fulgore custodes factos esse exanimes, ut in Resurrectione Domini accidisse legitur: viso quippe Angelo, cujus vultus *erat ut fulgur, custodes perculsi sunt præ metu ipsius, & facti sunt sicut mortui.* Quocirca nec vestientem sese Petrum, nec exeuntem milites remorantur. Eo & inclinat eruditus Gualterus; quæ sententia, vere ut dicam, mihi non probatur: liquet enim quod *orto die, fuerit tumultus non parvus inter milites, quidnam factum esset Petro?* Contendentes inter se jurgiis, proditionis mutuo se insimulabant de reddita captivo libertate. Jam vero nulla admota fuisset occasio serendarum litium, si ex Angeli Petrum liberantis majestate, milites cohorruissent; cum ignari non fuissent, cœleste auxilium morituro Petro, fuisse suppeditatum, nec ejus saluti procurandæ ullam mortalium intervenisse sive proditionem, sive avaritiam. Vero igitur simillimum est, gravem soporem artus occupasse militum; ut prorsus insolentes fuerint viæ, rationisque, qua Petrus leto ereptus est; hinc illi *tumultus.* Miraculum liberationi Petri pene geminum, a Palladio in Historia Lausiaca memoriæ proditum, silentio non est prætereundum. Tribunus Monarchos incluserat, tanquam aptos ad militiam futuros: Κατὰ δὲ μεσονύκτιον, Λαμπαδήφορος ἄγγελος φαίνεται τοῖς φυλάττουσι, φωτὶ καταστράπτων πάντας ἐν οἰκήματι: *media autem nocte lampadem ferens Angelus, apparet custodibus, lumine illustrans omnes qui erant in carcere: adeo ut præ stupore hiantes starent custodes; qui cum surrexissent, eos rogarunt, ut omnes abirent, eis apertis januis.*

Petrus, Angelo ducente, primam secundamque custodiam transit,

sit, impediente nemine; Sed & porta ferrea, quæ vel sola obstabat Apostolicæ libertati, sponte sua panditur. Atque hic in nodum difficillimum incidimus, de verbis Lucæ, *venerunt ad portam ferream qua ducit in civitatem*: hinc viris eruditissimis creditum, carcerem Agrippæ fuisse extra urbem constitutum; omnium instar erit Lightfootus: *Alii asserunt, Vigiliarum nomine, excubitores ipsos esse intelligendos; carceremque extra civitatem fuisse, inter aut intra duos extimos muros. Posterior hæc acceptio longe verisimilior est, tum ob Græcæ vocis significationem, tum quia tres muros commemorat Josephus.* Huic explicationi aqua hæret, tergemino muro Hierosolymam contra hostes septam fuisse atque munitam, ex Josepho scimus, atque tenemus. Τρισὶ δ' ὠχυρωμένη τείχεσιν ἡ Πόλις. *Civitas autem trino muro circumdata erat*: sed porta ferrea septam fuisse Hierosolymam, inauditum, ni fallor, in omni memoria, nec ullo vestigio reperire est apud Josephum; licet accurate urbem hanc descripserit. Carcerem claudi porta hac ferrea, vero propius; sed nec moris est, publicos carceres extra civitates ædificari; cum vix tuti essent ab audace nefariorum hominum impetu; nec longo loci spatio distant a Curia, quod sapienter est constitutum: ita quippe provisum est, ita præcautum ab insidiis & vi, quibus facinorosi facilius debito supplicio eriperentur. Sic Romæ publicus carcer Foro olim imminebat, Livio teste, ædificatus ab Anco Rege: *Imminente Foro ad terrorem crescentis audaciæ.* Unde castigandus est interpres Josephi Gelenius: Βρυχῷ δὲ περιβεβληθεὶς εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς σύρετο τόπον: *laqueo circumdatus per forum trahebatur.* Omnino vertendum est, *in locum foro vicinum*: similibus de causis credere est carcerem Hierosolymitanum in ipsa urbe fuisse constitutum. Malim igitur, *custodes ante ostium observabant carcerem*, de militibus carceris, quam urbis intelligi. Barathrum quippe ubi Petrus jacebat catenatus, custodes septem observabant: ulterius nova sedebat custodia, per quam tendebatur ad portam ferream: de carceris quidem custodibus mentio jam apud Lucam inciderat, nulla vero de custodibus urbis. Magnum sane miraculum, quod & ad Angelicam vocem exciderint catenæ de manibus ejus, & ignaris militibus, primam secundamque custodiam præterierit, & ferrea porta sponte aperta sit, quantumlibet seris, & obicibus

Joseph. de Bell. l.7 c.24

munita. His itaque Lucæ, *venerunt ad portam ferream, quæ ducit in civitatem*, & januam carceris significari existimamus, & partem Hierosolymæ, cui *civitatis* nomen fuit, ubi domus Marci quam Christiani nocturnis cœtibus frequentabant. Conjecturæ nostræ rationem suppeditamus ex Josepho: Ἐπιχωρίως ἢ ἐκλήθη Βεζεθὰ τὸ νεόκτιστον μέρος, ὃ μεθερμηνευόμενον Ἑλλάδι γλώσσῃ, καινὴ λέγοιτ᾽ ἂν Πόλις: *nominata est autem pars addita civitati voce indigena Bezetha, quod Græco sermone dicitur Nova Civitas.* Vetus igitur urbs, pars altera Hierosolymæ fuit, nec ei veteris ἐπίθετον addi potuit, quin nova constitueretur. Itaque simpliciter *civitas* appellabatur Lucæ temporibus, sive Regis Agrippæ, qui novam urbis partem addiderat antiquæ. Sic Genevæ Allobrogum, certum locum esse meminimus, qui κατ᾽ ἐξοχὴν civitas appellatur.

Joseph. de Bell. l. 6. c. 6.

Habet admirationem Petrina liberatio eo magis quod Jacobo præclusum est mortis effugium. Cur Petrus e manu carnificum ereptus sit, Jacobus vero eorum gladio perierit, meo quidem judicio eximie declaratur ab Oecumenio. Ἵνα γὰρ μηδεὶς λέγῃ ὅτι διὰ τοῦτο ἀκινδύνως καὶ ἀδεῶς κατετόλμων τοῦ θανάτου, ἅτε ἐξαρπάζοντος αὐτοὺς τοῦ Θεοῦ, διὰ τοῦτο συγχωρεῖ καὶ ἀναιρεθῆναι καὶ τοὺς κορυφαίους, πειθὼν αὐτοὺς τοὺς ἀναιροῦντας, ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἀφίστησιν αὐτοὺς, καὶ κωλύει: *ne quis dicat quod propterea citra periculum, ac sine timore morti sese opponerent, nimirum Deo ipsos eripiente, ideo occidi quoque permittit & duces præcipuos; ipsos declarans homicidas, quod neque hæc illos avocent, aut prohibeant.* Sic se exerit Dei cum sapientia, tum potentia; Sapientia, cum suorum Martyrio parat Evangelicæ veritati & lætum successum, & ornamentum. Quo pertinet insignis Cypriani locus. Ep. 15. *Illuminabat mundum Sol oriens, & Luna decurrens: sed vobis idem qui Solem fecit, & Lunam, majus in carcere lumen fuit; & in corde ac mentibus vestris Christi claritudo resplendens, horribiles cæteris atque funestas pœnalis l[illegible] tenebras æterna illa & candida luce radiavit.* Potentia, cum Christus magni Regis viribus intercedit, certæque voluntati victimam producendi populo, sitienti sanguinem innoxium; quo appareat non imbecillitati, sed providentiæ tribuendum esse, si tot hostiæ Christi, manu cadant Tyrannorum.

ANNO

ANNO XLIV. NUM. VII.

De catenis Petri Hierosolymitanis. Ante sextum seculum jam affectum incognitas fuisse probatur. Petrus vincula sua secum non abstulit. Quamobrem in carcere relicta? Egregia Chrysostomi verba. Eusebianis temporibus catenarum Petri nullus adhuc usus Ecclesiæ fuit. Sacris Petri vinculis a Prophanis distinguendis opus erat miraculo, quod intervenisse faciendo discrimini nemo perhibet. Traditio Metaphrastis de catenis, Regis Agrippæ familiari creditis, refellitur. Prudens de Reliquiis Lateranensis Concilii decretum. Traditio de Petri catenis, cum apud Bedam, tum apud Durandum, maximis affecta erroribus. Ex gemina Eudoxiæ ad urbem Hierosolymitanam profectione donatio catenarum Eudoxiæ collata, coarguitur. Error Baronianus de solemnitate vinculorum Petri. Pauli catenas cum Petrinis vinculis fama certare, ostenditur ex Gregorio Magno. Qualis honos Petri vinculis exhibendus, judice Chrysostomo?

PRetiosum vinculorum Petri Thesaurum, longa dies obruerat; magno, opinor, damno rudis Ecclesiæ. Multum quippe emolumenti Christianis, præ calamitatum pondere vix recipientibus anhelitum, præstitissent illæ catenæ, concesso quod volventibus annis aliquando creditum, sacris hisce vinculis vim Divinam fuisse inditam. Primus, ut mea memoria est, multa laude Petrina vincula celebravit Arator, Rom. Ecclesiæ Subdiaconus, qui circa seculum sextum, pene medium, floruit:

Istis tibi Roma catenis
Perpetuata salus: horum circumdata nexu

Libera semper eris: Quid enim non vincula præstant
Quæ tetigit, qui cuncta potest absolvere. In Act. l. 1.

Alia antiquorum sententia fuit. Nec enim vincula sua secum abstulit Petrus, Angelo spirituve monente, ut magno Ecclesiæ usui essent. Captivi manibus excussa relicta sunt in carcere, veluti illustre Providentiæ monumentum, atque Evangelicæ veritatis argumentum, quo ipse Agrippa moneri debuit, se habere bellum susceptum cum Deo. Aurea sunt verba Chrysostomi, Hom. 25. in Acta. *Vincula erant, custodes intus, carcer clausus, nusquam perfossus paries; omnes eadem dicebant, vir rapi non potuit: quare illos condemnas? Si voluissent solvere, antea hoc fecissent, vel simul exiissent; num pecunias acceperunt? Unde qui neque quod pauperibus quod daret habebat, his dabat? Neque enim detrita sunt catenæ, neque soluta: oportebat videri rem esse Divinam.* In dubio igitur non est ponendum, vincula a militibus primum, deinde Commentariensi, denique ab ipsis quidem Regiis ministris, oculis perlustrata, in carceris tandem suppellectile fuisse reposita, colligandis reorum manibus, forsan militum, quos Agrippa affecit supplicio. Sanctissimi Viri captiva sæpius brachia dedere vinculis: vinctus Josephus in carcere Ægyptiaco; vinctus Daniel in Leonum cavea; nullus has catenas requisivit, ut pietati essent auxilio.

Gemina porro Petri memorant vincula, pro gemina Petri captivitate: altera Agrippæ; altera Neronis jussu: illa Hierosolymis; hæc Romæ. De vinculis Hierosolymitanis Petri, hæc tradit illustrissimus Purpuratus: *Temporibus Theodosii junioris Augusti in lucem sunt prodita*: quæ fusius explicata leguntur in Martyrologio August. 1. *Duabus catenis Sanctum Petrum esse vinctum Hierosolymis produnt Acta Apostolorum c. 12. Harum altera ab Eudoxia Augusta Constantinopolim est delata; altera autem ab eadem Romam missa est ad Eudoxiam Augustam ejus filiam, Valentiniani conjugem.* Hæc sunt fata nobilium caterum: verum enim vero fit mihi in ea re scrupulus.

Ignota fuisse Eusebio Cæsariensi Petrina vincvla, certum atque exploratum est ex ejus Historia: *Petrum in vincula conjectum capitali supplicio jam jam addicturus erat, nisi Petrus Divina virtute, Angeli, scilicet, noctu apparentis auxilio παραδόξως τῶν εἱργμῶν ἀπαλλαγείς: præter omnium spem vinculis liberatus, ad prædicationis ministerium dimissus* Eus. Hist. l. 2. c. 9.

miſſus fuiſſet. Turpi miniſterio exemptas a Chriſtianis fuiſſe Petri catenas, ſi noviſſet Euſebius, hoc utique pro ſua accuratiſſima diligentia poſteros docuiſſet, nec magis de Cathedra Jacobi lignea, quam de Petri catenis commemoraſſet. Nullus igitur ex ſermone rumor tum attulerat ad aures Chriſtianorum, vincula hæc, pio furto e carcere erepta, ad decentiores uſus ſegregata fuiſſe. Quod dubio procul Palæſtinum non latuiſſet Epiſcopum, diligentiſſime omnia rimantem; quod ſi e Fidelibus aliqui in poſſeſſionem catenarum miſſi tum fuiſſent, theſaurum ſuum magnifice jactaſſent, Conſtantino læta proſperaque tempora concedente Eccleſiis. Eximendæ igitur omni de catenis Petrinis ſubdubitationi, certe & certo ſciri debet, nulli dein turpi inſerviſſe miniſterio; ex quo ſacrum Petri corpus tetigere; nullis facinoroſorum manibus vinciendis fuiſſe adhibitas. Præterea, danda nobis eſt notitia, quibus ſignis atque indiciis, ſacra illa vincula diſtincta ſint a prophanis, quibus eadem inerat materia, eadem figura, rubigo eadem. Secernendæ cruci Dominicæ miraculum auxilio fuit: *Tres confuſo ordine repererat cruces Helena; ſed obturbabat reperti muneris lætitiam uniuſcujuſque crucis indiſcreta proprietas: aderat quidem & titulus ille qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis literis a Pilato fuerat conſcriptus: ſed nec ipſe ſatis evidenter Dominici prodebat ſigna patibuli. Hic jam humanæ ambiguitatis incertum, divinum flagitat teſtimonium.* Rufin. Hiſt. l. 1. c. 7. Itaque Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus, cum Reginæ pariter & populis ad decumbentem accedens mulierem, preces ad Deum profudit, ut ægra, *ſtatim ut ea lignum ſalutare contigiſſet, a mortis januis revocaretur ad vitam*; quod & impetratum. Profecto, ſimilibus indiciis opus fuit agnoſcendis Petri catenis, quæ ex ſe nulla præbebant diſcriminis veſtigia.

Hic eximendæ dubitationi nullum intervenit miraculum: ſed ex Metaphraſte neſcio quid illuſtriſſimus Purpuratus ſuppeditat. *Quomodo autem hæc ipſa Petri vincula fuerint aſſervata, fideliter cuſtodita, ac denique inventa, Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis in lucem prodidit: Ea enim in manus deveniſſe cujusdam ex Agrippæ familiaribus, ſed in Chriſtum credentis, ſicque per manus per quatuor delata ſecula fuiſſe, ac tandem patefacta, tradidit.* Egregium vero teſtem! Proh Dei atque hominum fidem! Siccine Religioni, pietati, rationi

hominum illuditur? Timemus fraudes, & avaritiam nebulonum, subdititias Reliquias ferentium, vel monente Lateranensi Concilio 3°. c.61. *Cum ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, ut eas passim ostendant, Christianæ Religioni sit detractum sæpius: in præsenti decreto statuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales... Prælati vero de cætero, non permittant illos qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falsis decipi documentis, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.* Ut fluitantia certa reddantur, argumentum quærimus, ne facinorosi cujusdam catenæ, pro Petri vinculis obtrudantur Ecclesiæ. At garriunt nescio quid de Anonymo familiari Agrippæ, sed Christiano, cujus in manus sacra vincula venerunt. Fidei sane fundamentum præclare jactum! Hem hominem in Christum credentem familiarem Agrippæ grassantis in Christianos. Qua porro via tanti thesauri compos homo ille factus sit, cogitatione fingi nequit? Furem quippe egit, in aliena bona invidentem ille qui catenas carceri publico mancipatas, surripuit tradendas familiari Agrippæ. Sed de fure quæri posset, an Judæus fuerit, aut Christianus? Judæo sane Petri vincula, non in ea commendatione fuerunt, ut preciosa veluti monilia in thesauris reponerentur. Christianus vero, si tum temporis viguisset hujusmodi Reliquiarum amor, sacra sibi vincula servasset alendæ pietati. Denique, instabo semper, atque urgebo, insectabor, poscam, atque adeo flagitabo Petrinorum vinculorum Patronos, ut nobis aperiant, qua de causa quingentis amplius annis, nullus de traditione Metaphrastis audivit, si vera atque certa est. Non Eusebius, non Rufinus, non Socrates, non Sozomenus, non Evagrius, qui illustrandæ Historiæ Ecclesiasticæ diligentem operam contulere.

Tempus iners describendis Traditionis testimoniis transmissum quererer, ni hic ille labor, ad fabulam refellendam conduceret: audiatur ergo Durandus Mimatensis, Rational. l. 7. *Festum Beati Petri ad vincula, taliter secundum Bedam institutum fuit: Theodosia uxor Theodosii secundi Imperatoris, Hierosolymam proficiscens, vidit in Alexandria festum Celebrari in Kalend. Augusti, ad honorem Cæsaris Augusti, de Triumpho habito de Cleopatra Regina Ægypti, & de Marco Antonio, Viro ejus; unde vehementer doluit, quod damnato, & Gen-*

tili tantus honor exhiberetur. Veniens autem Hierosolymam, catenas quibus Petrus sub Herode fuerat alligatus, acquisivit, & Romam rediens, eas Apostolico præsentavit, qui alias catenas quibus sub Nerone fuerat alligatus, apportari præcepit, quæ se tangentes, usque adeo miraculose conjunctæ, ac si semper fuissent eadem. Mendacia semetipsa refellunt, & coarguunt. Theodosio nulla fuit uxor istoc nomine; Eudoxia appellabatur, non Theodosia: Nec *Romæ* degebat, sed Constantinopoli. Sed & celebratum Alexandriæ fuisse *Kalendis Augusti* Triumphum Cæsaris de Cleopatra & Antonio debellatis, crassissima ignorantia; Dione judice: Τὴν τε ἡμέραν ἐν ᾗ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι: *diem quo capta fuit Alexandria festum esse censuerunt; ab eo reliquis annis numerandis initium sumendum Ægyptiis.* Dies ille festus in vigesimum nonum Augusti incidit, sive 4. Kal. Septemb. non in Kal. Augusti. Sermonem porro Bedæ subditum esse, vel sane corruptum, Baronius ipse fatetur atque profitetur in Martyrol. *Aliorum insuper corrigendus est error, dicentium Basilicam Eudoxiæ, ubi recondita sunt prædicta Petri vincula, erectam fuisse ab Eudoxia Augusta, Arcadii Imperatoris uxore: id etenim legitur in quodam Sermone, Bedæ tributo, cujus est Exordium; Solemnem observantiam &c. ubi sunt etiam alia multa quæ corrigantur; ut quod habet Arcadium ante Eudoxiam diem obiiße, contradicentibus Historicis omnibus.* August. 1. Dio.l.51.

Præmissa velitatione, majus nunc certamen cum Baronio mihi est contrahendum: *Eudoxia*, inquit, *Augusta, prædictas catenas dono accipiens, illarum alteram Constantinopoli voluit asservari; alteram vero Romam misit ad Eudoxiam filiam.* Quæ somnia sunt ex Eburnea porta, Socrati, Evagrio, optimæque notæ Autoribus incognita. Geminam Eudoxiæ profectionem ad urbem Hierosolymitanam memorat Historia. Prior contigit Theodosio 16. & Eausto Coss. Anno Christi 438. Sequenti anno reversa est cum B. Stephani Reliquiis. Chronicon Marcellini comitis, Indict. 7. Theodosio 17. & Festo Coss. *Eudocia uxor Theodosii Principis, ab Hierosolymis urbem Regiam remeavit, Beatissimi Stephani primi Martyris Reliquias, quæ in Basilica S. Laurentii posita venerantur, secum deferens.* An de Petri catenis silentium egisset Marcellinus? Secunda vero Eudoxiæ Hierosolymitana

profectio,

professio quo anno acciderit, non convenit inter Scriptores. Ex Marcellino monemur, jam Hierosolymis egisse, Theodos. Aug. 18. & Albino Coss. qui fuit annus Christi 444. *Severum*, inquit, *Presbyterum, & Joannem Diaconum, Eudocia Regina apud Æliam urbem ministrantes, missus ab Imperatore Theodosio Saturninus Comes Domesticorum occidit. Eudocia, nescio quo excitata dolore, Saturninum protinus obtruncavit; statimque mariti Imper. nutu, Regiis spoliata ministris, apud Æliam moritura remansit.* Proindeque ab Eudocia, catenarum altera Constantinopolim deferri non potuit.

Evanescit igitur atque diffluit undique fabula. Nec quando, ubi, quibus, dono data sint Eudoxiæ, illa Petri vincula, ab ullo eorum qui Eudoxiæ ætatem propius attigere, memoriæ proditum. Evagrius libro 1°. c. 21. Ἐντεῦθεν τοίνυν ἡ Εὐδοκία ἐν Ἱεροσολύμοις δὶς ἀφικνεῖται: *ex hac igitur urbe (Antiochia) Eudoxia bis venit Hierosolymam.* Quæ a Regina his in Regionibus peracta, sunt accurate observata Evagrio: ædificata monasteria, mœnia Hierosolymitana restaurata, Templum in honorem primi Martyris constructum: de catenis ne verbum quidem. Quin etiam Nicephorus, quem ad Reliquias imaginesque omnes tenent inclinatiorem, insolens catenarum.

Acumini porro nimium indulgens Purpuratus, accuratum Scriptorem non exercuit: *Sane quidem non videtur hoc vacare mysterio, quod de Petri catenis, tam in Oriente quam in Occidente agatur solemnitas. Non autem de vinculis alicujus alterius Apostolorum, ut cujus in ligandis atque solvendis alienis vinculis potestas præcipua in Ecclesia, ejus etiam vincula a cunctis fidelibus in honore habeantur.* Martyr. Augusti. Num solemnitas agitur de *Petri catenis?* Minime gentium. Quænam ergo festivitas celebratur? Petri ad vincula, non *vinculorum Petri.* Sic scribitur in Martyrologio, *Romæ in Esquiliis dedicatio, Sancti Petri ad vincula.* Sic Gemma animæ, l. 3. c. 64. *Dies Kalen. Augusti olim celebris habebatur ob victoriam Augusti, hac die postea vincula Sancti Petri collata sunt Romam, & in Ecclesia constructa in ejus honore: & ipsa dies instituta celebris in honore Apostolorum principis.* Sic Durandus ille Mimatensis; *Festum Petri ad vincula.* Porro, licet annuo Festo Paulus ad vincula non celebretur, nihilominus Paulinarum catenarum fama, non minus totum Orbem discurrit, quam illa Petrinorum vinculorum; testis Gregor. Mag. Ep. l. 3.

Ep.

Ep. 30. Ad Constant. August. *Sed quia Serenissima Domina tam religiosum desiderium esse vacuum non debet: de catenis quas ipse Sanctus Paulus in collo & manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere curabo, si tamen hanc tollere limando pravaluero: quia dum frequenter ex catenis eisdem, multi venientes, benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus, ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen ut aliquid inde exeat non obtinetur.* Sic est ille Pauli catenis delatus honor atque deditus, longe maximus est. Cum non *Petri*, sed Pauli vinculorum ramenta, vel gemmas ipsas pretio superantia, Constantiæ Augustæ missa sint.

Juvat & nos celebrare Petri vincula, sed eo cultus genere qui ab omni superstitioso honore quam longissime abest. Egregia Chrysostomi verba de Paulinis catenis, placet Petrinis accomodari: *Extolleris, & tentaris virtutum gratia? memor esto vinculorum Petri, quoniam nil tale passus es. Tentaris circa desiderium quorumdam proximi bonorum? memor esto vinculornm Petri, & vide quam sit absurdum illum esse in vinculis, te vero deliciari. Rursus voluptatum concupiscentia prenderis? recordare carceris Petri: Discipulus illius es, illius Commilito.* Hom. 12. in Col. Hæc sunt nostræ catenarum Reliquiæ: hoc Sanctissimum festum agitatur:

Istis tibi Roma catenis
Perpetuata salus: harum circumdata nexu
Libera semper eris.

AN. XLIV. NUM. IX.

Cur Petri custodes non fugere, elapso Petro? An morti ab Agrippa missi? Negantis Erasmi sententia refellitur. Ultimo supplicio affectos esse vero propius est; quod ex Chrysostomo, Oecumenioque confirmatur. Observabilis Petri Alexandrini locus. De militum supplicio. An suffocati? Baronii ex Linguæ Græcæ impe-

imperitia affirmans opinio refellitur. Inter Judæorum supplicia nulla suffocatio.

SI Petri liberationem æquis vigilantibusque oculis attendisset Agrippa, militum innocentiam pœna judiciorum liberasset. Si culpæ sibi conscii fuissent, profecto fugæ se commendassent: freti itaque sua innocentia, manserunt in carcere, vel cum salutis periculo: quod non sine consilio Christi sapientissimo contigit; cum custodes fuga sua vim miraculi detrivissent, quasi Petrus humanis auxiliis imminentem mortem vitasset. Itaque ut Petri liberatio laudibus innocentiam ejus, Christum gloria, Evangelium honore cumularet, restiterunt in carcere milites. Morti missos non fuisse, a nonnullis creditum est: *verum Herodis rabiem* (verba sunt Erasmi) *Deus suorum misertus coercuit, simul & Apostolorum incolumitati consulens & militum; non enim decebat ut Petri salus occasionem exitii præberet innoxiis.* At de custodum omni innocentia non constat: crediderim potius illusisse captivo, ad exemplum sui Regis se componentes. Ut ut sit, vero propius est, Agrippam in miserorum sanguine doloris sui quæsivisse lenimentum: vicarias quidem Petro victimas successisse milites, non obscure Lucas indicat: Herorodes autem cum Petrum requisivisset, & non invenisset, ἀνακρίνας τοὺς φυλακὰς, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι: *quæstione de custodibus habita, jussit eos ad supplicium rapi.* Cui & sententiæ se illigavit Chrysostomus: *Certe illum oportebat admirari, oportebat obstupescere; atqui postea manifestum est omnibus per mortem illorum, & Dei miraculum, & illius malitia.* Hom. 25. in Act. Eo propendet & Oecumenius. Δυνατὸν ἦν ἐν τῷ θεῷ καὶ τοὺς φυλακὰς ἐξέλεσθαι. Ἀλλ᾽ εἰς τοῦτο, ἐνομίσθη ἂν φυγὴ εἶναι τὸ πρᾶγμα: *possibile autem Deo erat simul & custodes eripere: verum si id actum fuisset, res judicata esset fuga.*

Recte & sapienter Autor ille qui vulgo Petrus Alexandrinus audit: Δι᾽ οὓς οὐδεμία αἰτία τῷ Πέτρῳ προσάπτεται: ἐξῆν γὰρ καὶ αὐτοὺς ἑωρακότας τὸ γενόμενον ἐκφυγεῖν, ὡς καὶ πάντα τὰ παιδία ἐν Βηθλεὲμ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, εἰ ἐγνώκεισαν οἱ γονεῖς αὐτῶν τὸ μέλλον ἔσεσθαι ἅπερ ἀνῃρέθησαν ὑπὸ τοῦ μιαιφόνου Ἡρώδου, διὰ τὸ ὑπ᾽ αὐτοῦ ζητούμενον ἀπολέσθαι ἓν παιδίον: *propter quos nulla culpa in Petrum confertur; licebat enim eis illo viso quod factum fuerat, effugere: sicut & omnes infantes*

ſantes qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus, ſi ſcivißent eorum parentes quod erat futurum, qui a crudeli homicida Herode ſublati ſunt, ut infans periret, qui & ipſe juſſu Dei effugit.

Ex Petri Alexandrini canonibus, *ſuffocatos* fuiſſe cuſtodes Baronius haurire ſibi viſus eſt: Ἡρώδης δὲ ἐπιζητήσας αὐτὸν, καὶ μὴ εὑρὼν, ἀνακρίνας τοὺς φυλακὰς, ἐκέλευσεν ἀπαγχθῆναι: *Herodes vero cum Petrum requiſiviſſet, & non inveniſſet, quæſtione de cuſtodibus habita, juſſit ſtrangulari.* Can. 13. Ἀπαχθῆναι (quæ Lucæ vox eſt) Canonis autorem ſcripſiſſe, vero proximum: obtineat tamen antiqua vulgariſque lectio. Omiſſis fontibus Purpuratus verſionem adiit qua ductus eſt inerrorem; quo ſane ſe liberaſſet, ſi Græca conſuluiſſet. Ἀπάγχομαι, Latine *ſtrangulor*: Judas ἀπελθὼν ἀπήγξατο: *profectus ſtrangulavit ſeſe.* Matt. 27. 5. Sic & Achitophel, vera Judæ effigies, & Regis & Domini ſui proditor, violentas ſibi manus inferens ſimilem mortem obierat. Ἐνετείλατο τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ἀπήγξατο: *cum de ſua domo diſpoſuiſſet, gulam ſibi fregit.* 2 Sam. 17. 23. Non ſi quicunque ſtrangulantur, ſimul & ſuffocantur; ideo & ſtrangulatio appellari ſuffocatio debuit, aut vice verſa. Turcæ Satrapis gulam frequentiſſime frangunt, quos apud ſuffocationis ſupplicium non eſt in uſu. Narratum a Dione de Caligula: ἔδωκε καὶ ἱμάτια πολλὰ καὶ παχέα, ὡς καὶ θερμασίας τινὸς δεομένῳ περιέβαλε, καὶ οὕτως ἀπέπνιξεν αὐτὸν: *injectiſque multis ac denſis veſtimentis, tanquam calefactione egenti, ſuffocavit Tiberium:* non ſtragulavit Dio l. 58. Tunetani extingunt in luto facinoroſarum mulierum animam, ſuffocantur illæ, non ſtrangulantur. Baronium ab errore revocare debuerunt nota Judæorum ſupplicia, penes quos nulla reorum ſuffocatio; ſed decollatio, ſtrangulatio, lapidatio, combuſtio. Strangulandi olim non ſuſpendebantur, ut nobiſcum fures de patibulo, ſed fimeto ad genua uſque inſiſtentes, mappa ſuffocabantur; eam attrahebant ambo teſtes quilibet a ſe, donec excluderent animam. Comburendi, non in ſuccenſo rogo cremabantur, ſed liquefacto metallo in os infuſo, fimo immerſum ad genua uſque trahebant, hinc inde mappa cica collum convoluta, donec os aperiret: mox liquefactum ſtamnum, vel plumbum infundebant hianti, ut deſcendens inteſtina concremaret. Legatur Eruditus Sikardus de Jure Reg. Heb.

ANNO XLIV. NUM. X.

De Agrippæ in Sidonios offensionis, nec non Regii adventus Cæsaream, causis. Baronii figmentum hasce causas quærentis in Petri facto Palæstinæ Ecclesias instituentis & componentis. Adventus Regii Cæsaream ratio longe verisimilior, a Josepho suppeditata. Petrum Agrippæ ditionem exiisse probabilius est.

QUod a Comico cantatum olim fuit de scurris, nescio annon & Aulicis Curiæ Romanæ accomodari possit?

Nihil est profecto stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidenloquius.

Baronius quidem eruditione quam purpura longe illustrior, cum Monarchiæ Petri dignitati velificatur, adeo est dissimilis sui, ut vel pueris sit ludibrio. Postquam militibus irrogare supplicium visum Agrippæ, quid mali acciderit crudeli Regi; Lucas continuo exequitur: *Et cum descendisset a Judæa Cæsaream, ibi commoratus est. Herodes autem infenso animo erat in Tyrios & Sidonios.* Quid rei gravem hanc offensionem concitarit, silentio dissimulatum a Luca. Conjicienti multæ causæ incidunt ex rebus humanis petitæ, ambitio, scilicet, & avaritia, prima pene omnium bellorum labes. Hæc acumini Baroniano sordent; miram itaque, novamque odii causam commentus est: *Quam*, inquit, *illam esse existimamus, quod cum Petrus ab Angelo liberatus, Hierosolymis recessisset, in eas Palæstinæ maritimas regiones venit, ac ibi positas invisit Ecclesias, atque composuit; nam & unum ex his qui ipsum sequebantur Presbyterum, Sidoniis dedit Episcopum — eamque fuisse causam existimamus, quod Cæsaream se Agrippa contulerit, & in Tyrios ac Sidonios commotus fuerit*; quod Purpurati acumen, sacram Tridentini Concilii autoritatem habet contemptui, cum *contra unanimem consensum Patrum Scripturam Sacram interpretati audeat.* Nulli quippe hæc Regiæ in Sidonios offensionis causa

causa venerat in mentem: nec mirum, cum absurda sit, & falsissima, teste Josepho, qui rationes adventus Agrippæ Cæsaream, a Baronianis multum diversas suppeditat: Τρίτον δὲ ἔτος αὐτῷ Βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο, καὶ παρῆν εἰς πόλιν Καισαρείαν, ἣ πρότερον Στράτωνος πύργος ἐκαλεῖτο: συντέλει δὲ ἐνταῦθα θεωρίας εἰς τὴν Καίσαρος τιμὴν ὑπὲρ τῆς ἐκείνου Σωτηρίας ἑορτὴν τινὰ ταύτην ἐπιστάμενος: *Jamque tertium Judaa totius Regni annum exegerat, cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Turris Stratonis dicta est, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris: ad quam festivitatem, magna multitudo nobilium & procerum convenerat.* Joseph. Ant. l. 19. c. 8.

Recognitionum Autor l. 5. Petrum cum Simone Mago Cæsareæ disputantem exhibet; sequenti vero discessum memorat & Peregrinationem: *Profecti Cæsarea ut Tripolim pergeremus, apud Doram breve oppidum, primam fecimus mansionem: quia nec longe aberat — Sequenti die venimus Ptolemaïdam, ubi decem dies demorati, similiter & apud Tyrum ac Sidonem, & Berytum fecimus, & his qui plenius desiderabant audire sermonem, apud Tripolim nobis hiemandum denunciavimus— Petrus vero Maronis domum ingreditur.* Ex hoc fonte Metaphrastes ea hausit, opinor, quæ laudantur a Baronio, de Petro *Palæstinæ Ecclesias invisente, atque componente*; cui sententiæ non multum inest probabilitatis. Sapienter Oecumenius, meo judicio: καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον, οὐ γὰρ ἐπείραζε τὸν θεόν: *& egressus Petrus abiit in alium locum, non enim tentabat Deum*; quo crimine vix se Petrus absolvisset, si constitisset in Agrippæ ditione, palam & publice componendis Ecclesiis, & creandis Presbyteris. Eo Consilio ac fine liberatus est ab Angelo, ut a furore Regio tutus esset, quo miraculo monebatur Agrippæ ditionem exire, ubi commorari non poterat, absque vitæ periculo. Nec opus erat ut in Urbem Cæsariensem Petrus contenderet, ad ordinandas Palæstinæ Ecclesias maritimas, cum magna adesset Præconum Evangelii copia, ad id muneris implendum valde idonea. Consultissimum itaque fuit, & prudentiæ consentaneum, ut Agrippæ Regno Petrus cedens, alias Orbis regiones peragraret, exercendo Apostolico muneri. Antiochiam petiisse mihi probabilissimum videtur: Urbs magna fuit extra offensi Regis ditionem, & Judæorum in multitudine abundantem, quibus Petrus præcipue destinatus. Eo pertinet locus ex Josepho de-

Joseph. de Bell. l. 7 c. 21. describendus: Τὸ γὰρ Ἰουδαίων γένος πόλυ μὲν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην παρέσπαρται τοῖς ἐπιχωρίοις: Πλεῖστον δὲ τῇ Συρίᾳ κατὰ τὴν γειτνίασιν ἀναμεμιγμένον, ἐξαιρέτως δ' ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίας ἦν πολὺ, διὰ τὸ τῆς πόλεως μέγεθος, μάλιστα δ' αὐτοῖς ἀδεᾶ τὴν ἐκεῖ κατοίκησιν, οἱ μετ' Ἀντίοχον Βασιλεῖς παρέσχον: *Judæorum namque gens, multum quidem totius orbis indigenis asseminata est: plurimum autem Syris vicinitate permixta, præcipue apud Antiochiam versabatur, propter magnitudinem Civitatis, maxime vero his liberam domicilii facultatem Reges qui post Antiochum fuerant, præbuerunt.* Hic sedem & ab Agrippæ furore tutam, & officio recepto Judæis persolvendo commodam, Petrus invenit. Quapropter in hanc civitatem se contulisse, a veri fide non diffidet.

AN. XLIV. NUM. XI.

An Petrus hoc anno Romam venerit? Argumenta quædam Chronologica in hanc sententiam, infra accuratius examinandam, afferuntur. An necesse fuerit sive Petro, sive Papæ, apud Ecclesiam Romanam adesse, ut ejus audiret Episcopus? Negantis Bellarmini opinio refellitur. De Bullis plumbeis in quibus Paulus dexter est, Petrus sinister. Quænam hujusce ordinis ratio? Thomæ explicatio. Antonii Nebrissensis sententia rejicitur. Clar. P. de Marca & Antonii Pagii interpretatio. Petri in Bullis locum non esse honoratiorem, sed Pauli, ex monumentis Antiquitatis ostenditur. Ordinis Apostolici in Bullis plumbeis ratio aperitur. Paulus ad salutem Romanorum ante Petrum laboravit, ideoque dexter.

POstquam Petrus sic elapsus (verba sunt Baronii) *Ecclesiam quæ collecta erat in domo Mariæ visitasset—Romam versus direxit iter, atque hoc ipso secundo anno Claudii Imperatoris, sed in fine ipsius, Romam veniens, ac prædicans Evangelium, eam erigere cæpit Ecclesiam.* Nobilem hanc materiam hic delibare contentus, acuratius infra tractabo:

bo: interea solvam quæstiones quæ Antiquitati illustrandæ non minimum conferunt. Magna quidem me incessit admiratio, quod huic Chronologiæ viri magni adhæreant: cum nec ab angustiis facillime expediat se, nec ad dignitatem Monarchicam Petri cumulandam prosit, vel judicibus curiæ Romanæ proceribus. Notatu dignissima sunt verba Bellarmini: *Est autem observandum quatuor esse quæ in dubium revocantur: 1°. an Petrus Romæ fuerit: 2°. an sit mortuus Romæ: 3°. an fuerit Episcopus Romæ: 4°. an Romanum Episcopatum nunquam mutaverit. Ex his quatuor, solum postremum requiritur necessario, & sufficit ad Romani Pontificis Primatum constituendum. — Nam illud primum, neque requiri, neque sufficere planum est, cum multi veniant Romam, qui tamen Pontifices Rom. nunquam evadant: & multi Romani pontifices nunquam fuerint Romæ, ut Clemens* v. *Joannes* 22. *Benedictus* 12. *Clemens* 6. *Innocentius sextus, qui in Galliis ordinati, ibidem semper manserunt. Alterum item neque requiri, neque sufficere testantur multi Pontifices Romani, qui extra Romam mortui sunt: nam Clemens primus obiit in Ponto; Pontianus in Sardinia; Agapetus Constantinopoli; Innocentius Perusiæ. — Idem testantur multo plures qui quotidie moriuntur Romæ, nec tamen Romani Pontifices sunt. Tertium autem requiri, sed non sufficere, ex eo colligitur, quod Petrus Antiochiæ fuit, & tamen Sedem alio transtulit: nunquam deinceps locum primum Episcopi Antiocheni habuerunt. Igitur quartum solum requiritur, & sufficit.* Cur ergo Bellarmine & tibi, & sodalibus cruces fixisti, ad fictam illam Romanam Petri Peregrinationem, Anno Claudii secundo, tuendam adversus telorum segetem, quibus undique obruitur: tua industria sodaliumque arte vel non minima, frustra laboranti Chronologiæ suppeditare auxilia tentantibus. Interea, quod pro jure suo Bellarminus assumit, nullus concessero; ad constituendum, videlicet, Petri Romanum Episcopatum, *non requiri ut Romæ fuerit*. Clemens quidem, Joannes 22. Benedictus 12. aliique qui ne vel Romæ limina unquam salutarunt, Romanos principes dici facile patiar, sed præcise negabo fuisse Episcopos. Siccine præstabant exemplaria Gregis atque τύπους? An pro pastoribus illi sunt habendi, quorum vocem oves nunquam audiere? Unquam-ne Patribus creditum, Episcopum esse illum, qui Ecclesiam cujus Pastor dicitur, nulla visitatione dignatus est? Recte Autor ille Epistolæ

quartæ

quartæ, qui Damasus audit, invehitur aspere in Episcopos qui quietis suæ causa, Gregem commitunt Chorepiscopis curandum: *Videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant; sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant; id est, pro libitu secularibus curis inhient.* verissime juxta ac sapienter.

Ab Aquinate observatum est, in antiquis sigillis, quibus Pontificis Rom. diplomata obsignantur, imagines reperiri Petri & Pauli, sed Pauli a dextris, Petri a sinistris. Quænam fuerit hujusce ordinis ratio, in dubitatione ponitur: hoc quippe Apostolorum situ Latini Theologi moventur, cum dignitati Principis Ecclesiæ, Petro conciliatæ, consentire non videatur. Itaque pedibus manibusque conantur commodam Pontificalis sigilli explanationem invenire. Placet jucundæ quæstioni non nihil immorari: nec aut extra chorum saltare, aut oleam operamque perdere existimamus, cum ille Apostolorum ordo, Chronologiam quæ Petrum ad Urbem ducit Anno Claudii 2°. fide & autoritate evertere videatur.

Situs Apostolici, Thomas ille Angelus Scholæ, festivam rationem excogitavit, Lect. 1ª. in Gal. *Quia præsens vita significatur per sinistram, futura vero per dexteram, in quantum ista est cælestis & spiritualis; illa vero temporalis; ideo Petrus qui vocatus fuit a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus vero qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, ponitur in parte dextra.* Antonius Nebrissensis observavit; *cum duo simul incedebant, honoratior ad lævam erat, junior autem latus ei dexterum claudebat, & non nihil præcedebat, in signum obsequii.* Quod probat desumpto e Poetis testimonio:

Et medius juvenum, non indignantibus illis
Ibat, & interior si comes unus erat. Ovid. Fast. l. 5.

Porro interiorem dici eum qui ad partem lævam est, ex Virgilio discimus, qui l. 5. Æneid. ait de Cloantho, qui ad sinistram partem Gyæ navigabat:

Ille interque navemque Gyæ, scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit.

Qui Paparum in sigillis dextram Paulo, sinistram Petro concesserunt,

runt, hæc in profunda Criticæ mysteria illos descendisse vix credam. Itaque pingitur & ad dextram Paulus, cum Christus vel B. Virgo medium tenent. Ex populorum pene omnium consensu, certe Romanorum, dextera locus est honoratior. Hieron. Ephes. c. 1. in hæc verba, *ad dexteram suam in cœlitibus*, sic scribit: *Hic dextera pro honore ponitur, ne Deus corporeus esse credatur: nam & Pater a dextris esse scribitur Christi; Dominus inquit a dextris tuis confregit in die ira sua Reges. Ambo ergo a dextris sunt, quia nihil est in Divinitate sinistrum.* Consentit & Ambrosius: *Sede ad dexteram meam; hoc est, Dominus Pater Domino Deo Christo Filio Throni sui sublimem effert consessum, & honoris gratia, ad dexteram suam illum æterna sede constituit.* Serm. 61. Sed & frustra Virgilius a Nebrissensi adducitur in testem; interior quippe Cloanthus erat, quia Gyæ navem inter scopulosque, mare suo navigio scindebat. Et in sigillis Paulus una cum Petro quiescens, non ambulans, procedensque depingitur.

Hac & in quæstione versanda, Clarissimus Pagius acumen admovit suum, Critic. an. 49. n. 3. p. 42. *Hanc autoritatis a Petro & Paulo deducta communionem impressa octingentis ab hinc annis in Bullis plumbeis, utriusque imagines testantur, Paulo ad dexteram Petri collocato: unde pracipui quoque honoris Paulo impensi argumenta quidam absurde traxerunt. Quod enim latus dextrum videtur, si Pauli imago cum Petri imagine comparetur, est latus sinistrum, si referatur ad inspicientes, ex qua relatione, sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis.* Atqui si honoratiorem in Bullis plumbeis locum Petrus occupat, qua de causa Thomas, acuti ingenii homo, qui locorum suis temporibus honoratiorum insolens esse non potuit, versat in omnes partes animum, explicando Apostolorum in sigillis situi? Cur totus est mysticus? Cur hanc ad explicationem, contortam sane atque violentam confugit? *Præsens vita significatur per sinistram, futura vero per dextram; ideo Petrus qui vocatus fuit a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papa in sinistra parte.* Cur ore aperto atque rotundo non dicit, *ex usu obtinente confirmatur, locum imagini Pauli in Bullis plumbeis destinatum, secundum esse censendum?* Bene de eruditis mereretur Clarissimus Pagius, si pro sua numismatum peritia, numum aliquem repræsentasset, in quo vir honora-

tior, ad finistram inferioris collocaretur. Profecto, in excudendis cum sigillis, tum imaginibus, nulla Episcopi *ad cornu sinistrum altaris respondentis*, habetur ratio. Fallor, si in Tabula Christum Paulumque exhibente coram oculis, Christus sinister, Paulus dexter depingeretur. Cum itaque situs ille Apostolorum in Bullis plumbeis octingentis ab hinc annis obtinuerit, non ex *præsenti usu*, sed ex antiquo explicandus est.

Eusebius de vita Constant. l.3. c.11. *Τῶν δ' Ἐπισκόπων ὁ τοῦ δεξιοῦ τάγματος προτεύων, διαναστὰς, μεμετρημένον ἀποδιδοὺς λόγον, προσφωνῶν τῷ Βασιλεῖ: tum ex Episcopis is qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens, modica oratione Imperatorem allocutus est.* In Chalcedonensis Synodo Act. 1ª. *Καὶ καθεσθέντων τῶν μεγαλοπρεπεστάτων, καὶ ἐνδοξοτάτων Ἀρχόντων, καὶ τῆς ὑπερφυεστάτης συγκλήτου ἐν μέσῳ πρὸ τῶν καγκέλλων τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου, καὶ ἐκ μὲν τοῦ εὐωνύμου αὐτῶν μέρους καθεσθέντων τῶν ὁσιωτάτων τοποτηρητῶν τοῦ θεοφιλεστάτου, καὶ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Λέοντος — ἐκ δὲ τοῦ δεξιοῦ αὐτῶν μέρους ὁμοίως καθεσθέντων, Διοσκόρου τοῦ εὐλαβεστάτου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας: Et residentibus magnificentissimis, & gloriosissimis judicibus, & amplissimo Senatu in medio ante cancellos Sanctissimi altaris; & ex lava quidem eorum parte sedentibus sanctissimis & reverendissimis Episcopis, & Vicariis Deo amicissimi, Sanctissimi, & reverendissimi Leonis Antistitis, prisca Romæ — ex dextra vero eorum similiter parte considentibus Dioscoro religiosissimo Archiepiscopo Alexandriæ.* Actione 1ª. Generalis sextæ. *Residentibus gloriosis Patronis & Coss. ex latere piissimi nostri Imperatoris Constantini, & ex lava quidem ejus parte residentibus Vicariis Agathonis Archiepiscopi antiquæ Romæ — a dextra vero ejus parte residentibus Georgio Archiepiscopo novæ Romæ.* Atque ex loco honoratiore, Bedæ, Lamberto Schafnaburgensi, Mariano Scoto, Hincmaro creditum, Georgium Constantinopolitanum Patriarcham præfuisse Synodo, quam in sententiam non descendissent, nisi ex ævi sui consuetudine, in loco honoratiori dextera haberetur. Eruditissimus Launoius Ep. 8. ad Joan. Gerbasium p. 730. *Crediderunt eos Synodo præsidere qui ad Imperatoris dextram sedebant, non qui ad lavam. At quamvis ex Synodi Actis certum sit, Patriarchas Constantinopolitanum & Alexandrinum sedisse ad Imperatoris dexteram; & Agathonis legatos ad lavam: Agathonis tamen legati nominantur primi, imperatorem alloquuntur*

quuntur primi , & definitioni subscribunt primi. Nec hoc argumento Pagianam sententiam firmamus: imo ex opinione Bedæ, aliorumque quos laudavimus, demonstratum est, dexteram pro honoratiore haberi, quam & occupasset Agatho si præsens interfuisset Synodo. Sed quia geminam personam induebant Theodorus & Georgius, missi ab Agathone, Presbyterorum, scilicet, & legatorum: qua legatis, concessum ipsis fuit primum & alloqui Imperatorem, & subscribere; non item honoratiori loco sedere & Patriarchas eminere. Profecto, apud Romanos priori loco dextera olim habebatur; quippe quæ & fidei sacra, in Augurali disciplina diligenter observata. Quocirca de Nerone Tyridatem honore afficiente sic Suetonius c. 13. *Perductum inde in Theatrum, ac rursus supplicantem, juxta se latere dextro collocavit.* Quid multa? Marcellinus Comes in Chronico p. 51. de Joanne Papa qui Constantinopolim venerat, sic scribit: *Dexter dextrum Ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri Resurrectionis, plena voce Romanis precibus celebravit.*

Quanam igitur de causa, in Bullis plumbeis Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram collocatur? Hoc ideo contigisse censemus, quod ad Romanorum salutem Paulus prior laboraverit: nec ulla ratio est quæ cumulatius menti satisfaciat. Simili de causa, in Epistola quæ Ignatii ad Magnesianos audit, Paulus Petro præponitur: ἐν Ἀντιοχείᾳ γὰρ ἐχρημάτισαν οἱ Μαθηταὶ Χριστιανοί, Παύλου καὶ Πέτρου θεμελιούντων Ἐκκλησίαν: *in Antiochia primum discipuli vocati sunt Christiani, Paulo & Petro fundantibus hanc Ecclesiam.* Paulo, & Petro dicitur, quia longe ante Petrum, Paulus instituendæ Antiochenæ Ecclesiæ laborem impenderat suum. Sed & Constitutionum Clementinarum Autor l. 7. c. 46. Petrum sic loquentem inducit: *Romanæ Ecclesiæ Linus Claudiæ, primus a Paulo, Clemens post ejus mortem, a me Petro secundus ordinatur.* Quo Paulum in Romanæ Ecclesiæ curam ante Petrum incubuisse indicatur. Profecto, a se dissidet Chronologia illa, quæ anno Claudii secundo, Petrum in urbem Romanam pervenisse contendit. De Tyridate Romam se conferente sic Dio. l. 63. Τότε δ' ἐπιτήδεια πάντα παρεῖχεν· ἔχον ὥστε εἴκοσι μυριάδας τὸ ἡμερήσιον ἀνάλωμα τοῦ δημοσίου λογισθῆναι, καὶ τοῦτο ἐπ' ἐννέα μῆνας εἰς ὁδοιπόρησιν ὁμοίως ἐγένετο: *in quam rem populus Rom. sumptum faciebat singulis diebus octingenta sestertia, idque novem men-*

sibus, quibus iter fecit, factum est. Num ergo verosimile est Petrum, qui non equo, sed pedibus iter faciebat, eundoque visitabat Ecclesias, concionabatur, creabat Episcopos, magna Romam inter & Hierosolymam interjecta spatia novem exhausisse mensibus? Credat Baronius, non ego.

AN. XLIV. NUM. XII.

An primos Bizantinos, Thraciæque Episcopos Petrus creaverit? Temeraria affirmantis Baronii sententia, ex unius Agapeti Epistola constantem Ecclesiæ Græcæ Traditionem convellentis. De Andrea primos Bizantinæ urbis Thraciæque creante Apostolos. Antiquitatis monumenta Baronio adversa, testibus Hippolyto Portuensi Episcopo, Origene, ipso Martyrologio Rom. Provinciæ non sine autoritate Spiritus Sancti datæ Apostolis. Petro mandatam esse Thraciam non legitur, sed Andreæ. Agapeti Epistola prospera Baronius non usus est.

ECce iterum specimen cœci insanientisque amoris Baroniani, erga Pontificem Romanum, Petri honorandi obtentu: *Nec prætermittimus dicere eundem Petrum Apostolum Byzantiis etiam, & aliis ejusdem Provinciæ locis primos dedisse Episcopos.* Petrum Bizantiis primos dedisse Episcopos; quid audio? Excita Testes Baroni, ex monumentis Annalium antiquorum illos suppedita, arrigimus aures. Adsunt, inquit, *Agapeti in quinta Synodo recitata, in quibus legitur.* De Menna: *& hoc dignitati suæ addere credimus, quod temporibus Petri Apostoli, nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum, manibus nostræ Sedis ordinatum, & forsan ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum, instans res tanta provenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus, Apostolorum primi electio quandoque plantavit.* Profecto, ἀνίπτοις ποσὶν, ut aiunt, hanc quæstionem ingreditur: sic Traditionem insanabili vulnere

vulnere immolat. Dudum est quod apud Orientis Ecclesias de Byſantinis Episcopis ab Apostolo Andrea creatis, fama consentit: an æquo bonoque consentaneum, hanc Traditione ab imo convellere, ex unius Agapeti testimonio, circa annum Domini 535 florentis? In *juris* quæstione, Pontificalis *ἀναμαρτησία* forsan extorqueret suffragia nostra: sed in quæstionibus *facti*, Agapetum fuisse hominem, scimus & tenemus, nihilque humani a se alienum putasse. Si Græcorum Tabulæ Pontificales falsi postulantur, vacillabunt certe & illæ cum Romanorum, tum Alexandrinorum. Græcos successionibus Episcoporum suorum meliore notitia instructos esse, longe credibilius est, quam extraneum Episcopum: nec ulla Græcis causa fuit satis idonea, cur potius ex Andrea Apostolo principium Episcopalis seriei ducerent, quam ex Petro, nisi eo opininionis venissent ex antiqua Traditione. Ordo quidem Pontificalis ex Petro ortus, majori gloria cumulatus fuisset, ex originis dignitate Apostolos omnes eminentis; sed nec prospero Agapeto Baronius usus est: Principem Apostolorum in Regione Bizantina *plantasse Episcopos*, dixit quidem; *primos* dedisse, non dixit.

Baroniana sane sententia plena est inconsiderantiæ, atque temeritatis, quippe quæ recta pugnet adversus Antiquorum monumenta. Provincias Petro traditas Hippolytus memorat: Πέτρον μὲν ἐν Πόντῳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ Καππαδοκίᾳ, καὶ Βιθυνίᾳ, καὶ Ἰταλίᾳ, καὶ Ἀσίᾳ κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, ὕστερον ὑπὸ Νέρωνος σταυροῦται, κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτοῦ ἀξιώσαντος παθεῖν: *Petrus quidem cum prædicasset Evangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia, atque Asia; postea a Nerone Romæ crucifigitur, capite deorsum verso, cum ipse sic pati rogasset.* Ad regimen Petri Thraciam non adjunxit Hippolytus: De Andrea vero sic memorat: Ἀνδρέας Σκύθαις, Θρᾳξὶ κηρύξας ἐσταυρώθη ἐν Πάτραις τῆς Ἀχαΐας, ἐπὶ Ἐλαίας ὄρθιος, καὶ θάπτεται ἐκεῖ: *Andreas cum Scythis ac Thracibus prædicasset cruci affixus est Patris in Achaia, rectus in olea arbore, ibique sepelitur.* Hippolyto consentit & Origenes apud Eusebium, Hist. l. 3. c. 1. Thomas τὴν Παρθίαν εἴληχεν, Ἀνδρέας δὲ τὴν Σκυθίαν, Πέτρος δὲ ἐν Πόντῳ καὶ Γαλατίᾳ, καὶ Βιθυνίᾳ, Καππαδοκίᾳ τε, καὶ Ἀσίᾳ, κεκηρυχέναι τοῖς ἐν διασπορᾷ Ἰουδαίοις ἔοικεν: *& Thomas quidem Parthiam sortitus est, Andreas vero Scythiam. — At Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam,*

Cappadociam, atque Asiam, Judæis qui in dispersione erant prædicasse, existimatur: Petrum in Thraciam accessisse non dicitur. Cæterum, licet Origenes Thraciam Andreæ obtigisse diserte non scripserit, Scythiæ tamen nomine Thraciam comprehendi non est insolens, Scythiam ultra Istrum extendere amplitudinem suam docuit Strabo l. 7. *Propter transeuntium vero Tyram fluvium & Istrum, & eam terram habitantium multitudinem, hujus etiam pars magna Scythia parva nuncupata est; cum Thraces partem vi, partem loci malignitate, est enim plurima palustris, concesserint.* Sed & Plinius Scythas Thraciæ populis inserit. l. 4. c, 11. *Mœsi, Getæ, Aoti, Gaugdæ, Clariaque, & sub iis Arai, Sarmatæ, quos Areatas vocant, Scythæque.*

Ut ad brevia redeam, audiatur Martyrologium: *Apud Patras Achaiæ, Natalis Sancti Andreæ Apostoli, qui in Thracia, & Scythia Christi Evangelium prædicavit.* Quibus colligitur, Andream in Thraciam ante Petrum contendisse, vel concesso, quod tamen ab Hippolyto, Origeneque non dicitur, Petrum Thraciæ Provincias peragrasse. Recte sapienterque ab ipso Baronio scriptum fuit, An. 44. n. 20. *Dicimus ergo aliarum exemplo rerum quæ ab Apostolis sunt gesta, hæc eadem omnia de divisione Provinciarum, Spiritus Sancti speciali instinctu esse peracta — Si insuper ad hominem unum Baptizandum missus est Angelus ad Philippum, & quo iturus esset admonuit: nunquid cum ad totius humani generis salutem mittendi essent Apostoli, quo singuli profecturi essent, Dominus per Angelum, vel aliter Divinitus, desiit monstrare?* Ex ipsa quidem Scriptura sciri potest, *Paulum, & Silam, tentasse ire versus Bithyniam: sed non sivit eos ire Spiritus Jesu.* Act. 16. 7. Petrus itaque nisi impellente Spiritu, in Thraciam creandis harum Regionum Episcopis, contendere non potuit: hanc vero administrasse provinciam, non legitur in monumentis Veterum, ex quibus tamen ad Agapitum Traditio hæc manare debuit. Quin etiam facta Provinciarum inter Apostolos divisione, non venit in dubium, quin Andreas statim accesserit in eas Regiones, Scythiam, scilicet, & Thraciam, quas authoritate Spiritus Sancti, & sorte obtinuerat. Nec enim Petro laborem injunctum decurrente in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, Andreas se collocabat in otium. Jam vero si sine mora, Andreas mandatas suscepit Provincias, Petrus utique *primos Bizantiis dare non potuit Episcopos*; quod tamen

tamen Baronio creditum: nec uterque Nicephorus, Græcorumque Menologia, in Purpurati contemptum venire debuerunt; multo minus quod nullius Episcopi apud Bizantinos & Thracas a Petro creati nomen, ex thesauris Historiæ suppeditatur.

AN. XLIV. NUM. XVII.—XVII.

De Symbolo Apostolico. An ab Apostolis conditum? Antiqua cum Rufini, tum Hieronymi sententia. Traditionem a Rufino suppeditatam a vero quam longissime abesse, argumentis compluribus ostenditur. Ex Clem. Alex. & Chrysostomo demonstratur, Jacobum abiisse ad plures, antequam Apostoli proficiscerentur ad Gentes. An quisque Apostolus suum articulum Symbolo contulerit? Baroniana sententia ex Augustino, Rufino, nec-non pugna Traditionis de articulis additis. Occasio condendi Symboli ex erroribus grassantibus. De usu Symboli. Antiquæ disciplinæ varietas circa diem, reddendo a Catechumenis Symbolo, præfinitum. Symboli recitatio super baptizandi caput in ceremoniis Baptismi solemnis annumerata. Constantinopolitanum Symbolum, petitione Regis Reccaredis, publice in Hispania recitatum ante Eucharistiæ celebrationem. Modus tradendi Symbolum, ex ordine Rom. declaratur.

INsita penitus est opinio, atque vetusta, Symbolum vulgo Apostolicum, germanum fœtum esse Apostolorum; quæ sententia Hieronymi, nec non Rufini mentem imbuit. Quem pervaserit neminem novi his antiquiorem. Hoc igitur ex fonte atque principio, fama totum pene per Orbem Latinum deportata, deducitur. Populari sententiæ addixere se Centuriatores, aliique ex Evangelicis nonnulli. Hæc tamen sententia sola canicie nititur, non veritate.

Ruf. Expo. in Symb. ritate. Audiatur Rufinus: *Discessuri ab invicem Apostoli, normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alius alio abducti, diversum aliquid his qui ad fidem invitabantur, exponerent.* Quid est injuria Spiritus Sancti, Scripturæ, Apostolorum, si hoc non est? Hem! *ne forte alius alio abducti, diversum aliquid exponerent*: Ergo ne iners vis Spiritus Sancti, quo ad veritatem colendam in æternum adjuti recti Apostoli fuere, promittente Domino. Nonne Scriptura in his omnibus abundabat quæ docentur a Symbolo? uno Deo, omnium Conditore; Filio unigenito, pro mortalium peccatis in crucem acto; ad vitam excitato? An non quod ubique gentium prædicabant Apostoli, editis Dei oraculis ex Vet. Testam. deductis comprobabant, atque firmabant? Non-ne Paulus seorsim, & inconsultis Apostolis incubuit Evangelio per triennium prædicando? Aliquid-ne diversi a fide Apostolica instillavit auribus Arabum, quos apud concionabatur? Facescat igitur conditi Symboli causa futilis.

Quanto sapientior Rufino facundus ille Chrysostomus; qui Apostolos lyræ fidibus, & Spiritum Sanctum plecto musicove eas pulsanti, composuit, Hom. de Ignat. t. 5. *Καθάπερ γὰρ ἐν Λύρᾳ μιᾷ διάφοροι μὲν αἱ νεῦραι, μία δὲ ἡ συμφωνία οὕτω, καὶ ἐν τῷ χορῷ τῶν Ἀποστόλων διάφορα μὲν τὰ πρόσωπα, μία δὲ ἡ διδασκαλία, ἐπειδὴ ἡ καὶ εἷς ὁ τεχνίτης ἦν, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κινοῦν τὰς ἐκείνων ψυχάς.* An potuit Rufinus brevius solidiusque refelli? Unus erat Apostolorum concentus, unus consensus, & conspiratio doctrinæ, ob Spiritum Sanctum eos ubique & conjunctos, & divulsos, impellentem ad veritatem prædicandam. Contra communem sententiam militant argumenta plurima: ac primum omnium, illud perpetuo triumphans e silente Scriptura deductum. Quis enim mente & animo fingat, Lucam omisisse tanta sapientia concinnatam Regulam, in qua totius Ecclesiæ salutem reponi existimabat? Silentio quidem non præteriit Apostolicum de sanguine, suffocatisque prohibitis decretum, quod secutis temporibus refigendum erat: æternâ-ne contrivisset oblivione, Symbolum mutua Apostolorum conspiratione conditum; perpetuam fidei & prædicationis Regulam, qua pietas tutissima est a sacrilegorum injuriis?

Omiserit Lucas, omiserint & Apostoli, præsidio Traditionis, ac

ac Ecclesiæ vigilantia, sufficiente ad regulam conservandam. Si Symbolum condidissent Apostoli, quos constat ipsius charitatis propemodum habuisse præcordia, annon hujusce virtutis, quæ finis Legis est, atque Evangelii complementum, mentionem agitassent in Symbolo, quod charitatis cum Dei, tum proximi omittit memoriam? Quid referam altum de Sacramentis silentium, quibus hinc copulamus societatem cum Deo; inde devincimus hominum inter homines consuetudinem. Par ut de fide, sic de Sacramentis metuendi ratio debuit esse; ne *forte alius alio abducti, diversum aliquid de sacris mysteriis traderent.* Præterea, diu Apostolos demorati sunt Judæi, antequam divellerentur; nota est Apollonii apud Eusebium Traditio, l. 5. c. 18. Cui accedit & Clem. Alex. Διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Πέτρος εἰρηκέναι τὸν Κύριον τοῖς Ἀποστόλοις: ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι, μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν: *propterea dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis: si quis ergo velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata: post* 12. *annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Strom. l. 6. 459. Chrysostomus Hom. 70. in Matth. *Propterea Apostoli Judæis primo prædicaverunt, longoque temporis spatio cæsi, & flagellati, in Judæa manentes; at demum ab ipsis propulsi, in Gentes profecti sunt.* Jacobus vero Zebedæi filius, ante profectionis Apostolicæ tempus, a Chrysostomo, Clemente Alex. Apollonio scriptis suis consignatum, rebus humanis exemptus, symbolam suam condendo Symbolo conferre non potuit.

Regula fidei a Tertulliano proponitur non semel; at Symbolo ut reipsa consentiens, sic verbis quam longissime discrepans. Quin etiam nonnulli Symboli nostri articuli, puta descensus Jes. Christi ad inferos, & Ecclesia Catholica, in tessera Religionis a Tertulliano exhibita, desiderantur: *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis; credendi, scilicet, in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium ejus J. Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato; tertia die ressuscitatum a mortuis; receptum in cœlis; sedentem ad dexteram Patris; venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam Resurrectionem.* [margin: art. de Vel. Virg. c. 1.]

Ratio vocesque Symboli istis longe discrepant: nec facile inducam in animum, Tertullianum a consuetis Symboli verbis recessisse, si sub ea quæ in manus nostras pervenit forma, traditum ab Apostolis fuisse existimasset. Innocuum forte hunc in errorem inducere potuerunt, Rufinum, Hieronymum, alios, verba Tertulliani: *Expedite autem præscribimus adulteris nostris illam esse Regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius*: unde orta cogitatio, quod Symbolum Regula fidei appellatum, manarit ab ipsis Apostolis, quod & nonnullo respectu verissimum. Sicuti enim sparsa huc & illuc, atque disseminata auri ramenta, crassiorem in massam confluunt ope artificum; sic varii illi, ex quibus constat Symbolum, articuli, in Scriptura ab Apostolis dispersi fuere; qui pastorum ope collecti, in hodiernam Symboli formam contracti sunt. Si nil aliud Latini sibi volunt, orbum erit forum litibus: at contendunt præterea contextum verborum, articulorum seriem atque ordinem, fœtum esse Apostolicum, qua in re injuriam faciunt veritati.

Magnum Augustini nomen, ad confirmandam de Symbolo ab Apostolis condito Traditionem, obtenditur a Baronio: *Petrus dixit; Credo in Deum omnipotentem: Joannes dixit; Creatorem cœli & Terræ: Jacobus dixit; Credo & in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum: Andreas dixit; Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex virgine Maria: Philippus ait; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Thomas ait; Descendit ad inferos, tertia die Resurrexit a mortuis: Bartholomæus dixit; Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Matthæus dixit; Inde venturus est judicare vivos & mortuos: Jacobus Alphæi; Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam: Simon zelotes; Remissionem peccatorum: Judas Jacobi; Carnis Resurrectionem: Mathias complevit; Vitam æternam. Amen.* Quæ exscripta sunt ex Sermone 115. de Temp. cujus Augustinus non est Autor, fatentibus eruditis. Argumentum non fallax petitur ex germano Augustini *de Fide & Symbolo* tractatu, ubi futilis hæc in Apostolos secta divisio Symboli, nullo vestigio reperitur; nec potuit reperiri, cum a Christi sepultura ad ejusdem Resurrectionem continuo transeat. Quin etiam Rufinus, cui Symbolum germanus Apostolorum fœtus esse videtur, articuli de Christi descensu

censu ad inferos, insolens est: *Sciendum sane est* (verba sunt Rufini) *quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, descendit ad inferna; sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.* Quibus apparet & promptum est, lepidam illam Traditionem de 12. Apostolis, symbolam suam condendo Symbolo solventibus, otiosorum hominum esse figmentum; alioquin ex reverentia Thomæ retinuissent articulum, *descendit ad inferna.*

A Mimatensi alia ratione fabula narratur, Ration. l. 4. *Traditur enim postquam Apostoli Spiritum Paracletum acceperunt, cum jam forent ad prædicandum Evangelium profecturi; conferentes in unum, super articulis fidei statuerunt, ut sicut omnes erant in una fide concordes, sic omnes unam fidem concorditer prædicarent — Petrus namque apposuit, Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & Terræ: Andreas, & in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum: Jacobus, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex virgine Maria: Joannes, passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Philippus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: Bartholomæus, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Thomas, inde venturus est judicare vivos & mortuos: Matthæus, credo in Spiritum Sanctum; Jacobus, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem: Simeon, remissionem peccatorum: Thaddæus, carnis Resurrectionem; Mathias, & vitam æternam.* Sic in narranda fabula discrepant, ut figmentum luce clarius nunc appareat. Personatus Augustinus Joannem dicentem inducit, *Creatorem cœli & terræ*: apud Mimatensem vero, Petrus uno Spiritu fundit totum hunc articulum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*: ibi Joannes post Petrum solvit symbolam suam; hic Andreas. Denique, perturbata & confusa omnia cernere est. Profecto, absurdi speciem arripit, quod Apostoli se congregarint atque conjunxerint ut partem adeo minutam quisque conferret Symbolo. Dicere sic tolerabilius esset, Apostolorum uni mandatam esse condendi Symboli provinciam, quod omnes suffragio suo ornarunt, atque confirmarunt; sed obstat Pontificis Leonis ad Pulcheriam Augustam Epistola 96. qua traditur, *Symboli brevem & perfectam confessionem, duodecim Apostolorum consignatam esse sententiis.*

Non me levis incessit opinio ex Scripturæ articulis Symbolum a Pa-

tribus fuisse conditum, erroribus Gnosticorum, Simonianorum, Ebionitarum, ejusmodique furfuris hominum coarguendis, atque confutandis. Gnostici bonum Deum & malum, suis in dogmatibus habere dicebantur: pestilentissima hæresis his evertitur; *Credo in Deum*. Menander Simonis discipulus, mundum asserebat, *non a Deo, sed ab Angelis* factum: huic oppositum; *Creatorem cœli & terræ*. Carpocrates Jesum hominem ψιλὸν, & de utroque sexu natum esse docebat: hoc impugnatum ex verbis; *Christum conceptum de Spiritu Sancto*. Basilidiani non credebant Jesum a Judæis fuisse *crucifixum, sed Simonem Cyreniensem*: paucis quidem, sed solidissimis verbis confutantur; *Mortuus est, ac sepultus*. Carnis Resurrectionem abjiciebat Carpocrates, cum Marcella sectæ socia: dictum; *Credo Resurrectionem carnis*. Omnes Symboli articulos sigillatim percurrenti, planum fiet ad errores tum grassantes referri. Quocirca, pace Leonis, Baroniique, non existimamus *omnes Hæreticorum opiniones, hoc solo gladio posse detruncari*: non Pelagianum virus, & ingenitum originis vitium, & Gratiæ illud extinguentis efficaciam perimens: non Socinianorum venena, Christi Sacrificium vere ἱλάστικον illudentium; necnon & impiorum Resurrectionem, & cruciatus æternos pro figmentis habentium.

Symboli non minimus usus fuit: Symbolum Catechumeni fideliter discebant, ac memoriter discebant antequam sacris undis expiarentur; Augustinus lib. de fide & moribus: *Cur ergo Baptizandis Symbolum tradimus, reddendumque reposcimus? Nihil tale enim factum est erga illos, quos per Mare Rubrum Deus ab Ægyptiis liberavit*. Sed de die multa variavit antiqua disciplina: die Palmarum Catechumenis Baptismum flagitantibus tradi in Hispania, notum est ex Isidoro: *Hoc autem die Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant*. In Germania, Symbolum Catechumenorum memoriæ commendabatur, quarta Hebdomada Quadragesimæ, in 4. feria. Amalar. de Eccl. Offi. l. 1. c. 8. *Eadem die instruuntur de autoribus & initiis quatuor Evangeliorum: eadem die percipiunt Orationem Dominicam & Symbolum ad reddendum in Sabbato Sancto Paschæ*. Alium diem reddendo Symbolo, Laodicenum Concilium Competentibus præfinivit; c. 46. *Baptizandos*

Isidor. de Offic. Eccl. l. 1. c. 27.

tizandos oportet fidei Symbolum discere, & quinta feria ultima septimanæ vel Episcopo, vel Presbytero reddere. In solemnibus Baptismi ceremoniis, & Symboli recitatio annumerabatur; lib. 3. Gem. ani. c. 62. *Cum vero Symbolum & Dominicam orationem super capita eorum dicit, quasi Templum Dei contra Dæmones munit.* Nec dandum oblivioni, quod de legendo Constantinopolitano Symbolo, a Toletana Synodo 3ª. c. 2. decretum est: *Petitione Reccaredi Regis constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ & Gallicæ, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est* 150. *Episcoporum, Symbolum fidei recitetur; & priusquam Dominica Oratio voce clara prædicetur, quo fides vera manifesta sit, & testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.*

Catechumenis Symbolum tradendi ratio, in Ordine Romano legitur, Bibl. Pat. t. 10. p. 42. *Dilectissimi nobis, accepturi Sacramenta Baptismatis, & in novam Creaturam Sancti Spiritus procreandi, fidem qua credentes justificandi estis, toto corde concipite; & animis vestris vera conversatione mittatis ad Deum, qui mentium vestrarum illuminator est: accedite, suscipientes Evangelici Symboli Sacramentum a Domino inspiratum, ab Apostolis institutum; cujus pauca quidem verba sunt, sed magna mysteria — Intentis itaque animis Symbolum discite, & quod vobis sicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis adscribite. Confessio itaque fidei quam suscepistis, hoc inchoatur exordio. Ipsa expleta, accipiens Acolytus unum ex ipsis infantibus masculum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum super caput ejus dexteram, & interrogat eum Presbyter Græce, dicens:* Ποίᾳ γλώττῃ ὁμολογοῦσιν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν; *& respondet Acolytus,* Ἑλληνιστί: *iterum dicit Presbyter* ἀνάγγειλε τὴν πίστιν αὐτῶν, πῶς πιστεύουσιν: *& dicit Acolythus Symbolum Græce, decantando his verbis.* Πιστεύω — *Hoc expleto, vertit se ad fœminas, & facit similiter. Iterum Acolythus alter accipiens ex ipsis infantibus masculum unum, & tenens in Brachio, ponit manum dextram super caput ipsius, & interrogat eum Presbyter Latine, qua lingua confiteatur Dominum nostrum J. Christum, & respondet Acolythus, Latine. Iterum dicit Presbyter, annuncia fidem ipsorum, qualiter credant: & ponens manum Acolythus super caput infantis, dicit Symbolum Latine, decantando his verbis: Credo in unum*

Deum. --- *Hoc finito, iterum accipit alter Acolythus ex ipsis infantibus fœminam sicut supra, & interrogat Presbyter sicut antea: hoc expleto loquitur Presbyter his verbis: Hæc summa est dilectissimi nobis, fidei nostræ: hæc verba sunt Symboli, non sapientia humana sermone facta, sed vera Divinitatis ratione disposita....Diabolus qui hominem tentare non desistit, munitos vos hoc Symbolo semper inveniat.--- Ergo dilectissimi præfatum Symbolum fidei Catholicæ in præsenti cognovistis, nunc euntes edocemini, nullo mutato sermone.* Cæterum, licet Autor indicare videatur præfatum Symbolum Apostolicum esse, certo tamen certius est; Constantinopolitanum repræsentari, cui Latine addita est particula hæc, *Filioque*, quæ Græce non legitur. Quod additamentum, alendis odiis Græcos inter & Romanos, materiam præstitit. Hinc Lombardus, Dist. 11. B. *Addunt etiam,* Græci, *ad assertionem suæ opinionis, & in testimonium nostræ damnationis, de Symbolo fidei, quod secundum Traditionem prædictorum Conciliorum, Leo 3. Rom. transcriptum in tabula argentea, post altare B. Petri posita, posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, & cautela fidei Orthodoxæ.*

Hæc erat reddendi Symboli ratio ex Ordine Romano, p. 75. *Sabbati vero die sancto, ac solemnissimo, primo mane ornetur Ecclesia, cum omnibus utensilibus suis. Post tertiam denique horam Sabbati procedant ad Ecclesiam qui Baptizandi sunt, cum Patrinis & Matrinis, & ordinentur ab Acolytho per ordinem, sicut scripti sunt; masculi in dexteram partem, fœminæ vero in sinistram: & tunc qui possunt, reddunt Orationem Dominicam, & Symbolum, sive Patrini pro ipsis, atque Matrinæ eorum qui suscepturi sunt: & faciens crucem Sacerdos cum pollice in frontibus singulorum, dicit; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Postea imposita manu super capita singulorum, dicit hanc orationem ad Catechizandos infantes,....p. 28. Deinde Presbyteri aut Diaconi etiam si necesse fuerit, & Acolythi induentes se vestibus mundis, vel candidis, ingrediuntur in fontem, intro in aquam, & Baptizantur, primo masculi, deinde fœminæ, sub hac interrogatione, quis vocaris? Resp. ille, vel illa. Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ Resp. credo,* &c.

De Catechumenis. Origo nominis. Instituendis Catechumenis modo Presbyteri, modo Lectores, sed eruditi tamen, impositi. Locus institutionis olim extra Ecclesiam, teste Eusebio. Accurata observatio Valesii. De ritibus ad faciendos Catechumenos adhibitis; ac manuum impositione. Locus ordinarius χειροθεσίας, *Ecclesia. Quo tempore Constantinus Imperator Catechumenis insitus? Paulo ante obitum in Catechumenorum ordine annumeratum fuisse, ostenditur ex Eusebio De variis Catechumenorum gradibus. In tres ordines divisos non fuisse probatur contra Maldonatum. An quatuor Catechumenorum Classes? Affirmantis Bonæ Cardinalis sententia, multis rejicitur. Competentes, Orantes, Electos, unum & eundem Catechumenorum ordinem constituisse, declaratur. Geminus tantum Catechumenorum ordo, Audientium, atque Competentium. Miserrima Audiendientium fortuna, vel a privatis fidelium precibus exclusorum. De Competentibus. Necessitas addiscendi Symboli ipsis imposita, cujus officii contemptio castigata divinitus. An panis Benedictus Catechumenis traditus? Affirmantium opinio rejicitur. Canonis Carthaginensis explicatio Petaviana refellitur. De velamine Competentibus imposito. An semper Catechumenis abdita religionis mysteria? De gradu Catechumenorum in Ecclesia. An eminerent Pœnitentes? Distinctione quæstio solvitur, & Antiquitas illustratur. Iniqua apud veteres Catechumenorum conditio. Varia Antiquorum disciplina de tempore* κατηχήσεως.

Tam

TAm arctis conjunctionibus Symbolum cum Catechumenis copulatur, ut negligentiæ non immerito postularemur, si ne brevi quidem stilo, depasceremus ubertatem tam copiosæ illustrisque materiæ: animum ergo appellere juvat ad felix hoc Ecclesiæ seminarium.

E sacra Pagina petitum esse Catechumeni nomen, fidem faciunt Lucas, atque Paulus: ille, Act. 18.25. De Apollo οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου: *hic erat initiatus in via Domini.* Hic de Judæo, Rom. 2.18. Κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου: *institutus ex Lege.* Equidem jubente Christo, sapientiæ rudes instituendi erant, atque imbuendi, ut sacris fontibus immergerentur: *Docete omnes Gentes, Baptizantes.* Quæ vero præcepta auribus instillabantur, ex Luca sciri facillime potest, qui Summam Catechismi retulit: sic enim de Candaces Dynasta, *Philippus ipsi Evangelizavit Jesum.* Copiosiori explicatione Veteris Ecclesiæ Patres Catechumenis tradidere mysteria Religionis; Autor Clement. Constit. l. 7. c. 39. *Qui in sermone pietatis instituendus est, erudiatur ante Baptismum cognitione Dei ingeniti, instruatur etiam notitia Jesu unigeniti, & fide Spiritus Sancti: discat variarum creaturarum ordinem.* Augustinus vero ut captus erat Catechumenorum, ipsis sermonem accomodat suum: *Si forte se* (Catechumenus) *divinitus admonitum vel territum esse responderit, ut fieret Christianus, lætissimum nobis exordiendi aditum præbet, quanta Deo sit cura pro nobis.* Alia ratione Grammaticos Rhetoresve instituebat: *Sedulo,* inquit, *monendi sunt, ut humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare.*

Euseb. Hist. l. 6. c. 6. Huic peragendo muneri, viri illustres præponebantur: Πανταίνου δὲ Κλήμης διαδεξάμενος τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν κατηχήσεως εἰς ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ καθηγεῖτο: *per idem tempus Clemens qui Pantæno successerat, apud Alexandriam Catechumenorum institutioni præerat.* Huic & muneri præfuit Origenes: Ἔτος δ' ἦγεν ὀκτωκαιδέκατον καθ' ὃ τοῦ τῆς κατηχήσεως προέστη διδασκαλείου: *annum porro ætatis octavum decimum agebat, tum cum Catechumenis instituendis præfectus est.* Cyprianus Ep. 24. *Quando aut Saturno die Pascha semel atque iterum lectionem dedimus: aut modo cum Presbyteris doctoribus Lectores diligenter*

ter probaremus, Optatum inter Lectores doctorem Audientium constituimus. Itaque tunc etiam in Lectoribus eruditio & doctrina.

De loco ubi Catechumeni instituebantur, egregia sunt verba Clarissimi Valesii in illa Eusebii, ἔνθα καὶ διαλέγεσθαι, καὶ τὰς τε θείας ἑρμηνεύειν γραφὰς ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἐκκλησίας οἱ τῇδε Ἐπίσκοποι, τὸν τῆς τοῦ Πρεσβυτερίου χειρολονίας οὐδέπω τετυχηκότα αὐτὸν ἠξίουν: *ubi etiam ab illius Regionis Episcopis rogatus est, ut publice in Ecclesia dissereret, & Divinas Scripturas, tametsi nondum Presbyter ordinatus, exponeret.* Quæ sic annotationibus Valesianis illustrantur: *Hinc colligitur Origenem, qui Catechetes fuerat Alexandriæ, in privato auditorio, non autem Ecclesia, Catechumenos instituisse. Neque enim Alexandro, & Theoctisto Episcopis, id objecerit Demetrius, quod Origenem in Ecclesia docere jussissent, si Alexandriæ idem ab Origene factum fuisset. Quare fallitur Rufinus qui in c. 3, hujus libri ita scribit: Videns Demetrius Episcopus quod ad ipsum præcipue doctrinæ gratia, & prædicationis verbi Dei, multitudines plurimæ convolarent, Catechizandi ei, id est, docendi magisterium in Ecclesia tribuit. Certe Catecheses olim non fiebant in Ecclesia, sed in Baptisterio, aut in aliquo alio extra Ecclesiam loco: docet id Joannes Hierosolymitanus in Epistola ad Theophilum Alexandrinum, quam refert B. Hieronymus. De fide, inquit, & omnibus Ecclesiasticis dogmatibus hæc locuti sumus, quæ & semper gratia Dei indeficienter in Ecclesia docemus, & in Catechesibus.*

Faciendis Catechumenis ritus quidam adhibebantur: Isidorus l. 2. de Eccl. Offic. c. 20. *Catechumeni sunt, qui primum de Gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum: & quia primum exhortationis præceptum est in Lege Dei; Audi Israel, Dominus tuus Deus unus est; inde est, ut is cui per Sacerdotem, quasi per Mosem, Deus primum loquitur, Catechumenus, id est, Audiens nominetur: scilicet, ut unum agnoscens Deum, relinquat errores nefarios Idolorum. Puto autem omnes a Joanne in pœnitentiam Baptisatos Catechumenorum prætulisse figuram: exorcizantur autem hi primum, deinde salem accipiunt, & unguntur.* Prætermissam ab Isidoro χειροθεσίαν, quæ creandis Catechumenis, permagni momenti erat, non mirari non possum: usurpatam quippe hanc ceremoniam fuisse, testis est Canon 39. Eliberitani Concilii: *Gentiles si infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, &*

fieri Christianos. Augustinus l. 2. c. 62. de peccatorum Remissione & in Sermo. 3. de Sancto Laurentio: *Non uniusmodi est Sanctificatio: nam & Catechumenos secundum quendam modum suum, per signum crucis, & orationem manus impositionis puto Sanctificari.* Locus ordinarius manus imponendæ ad Catechumenos creandos, Ecclesia fuit: legitur tamen apud Sulpitium Severum, Dial. 2. c. 5. de Miraculis Martini: *Postremo cuncti catervatim ad genua Beati ruere cœperunt, fideliter postulantes ut eos faceret Christianos; nec cunctatus in medio ut erat campo, cunctos, imposita universis manu, Catechumenos fecit.*

Ecclesiam porro locum fuisse ordinarium imponendæ manus Catechumenis docemur ab Eusebio de Vita Constantini, l. 4. c. 61. Cum magnus ille Imperator institisset reputare secum ipse, quod sacris Baptismi undis peccata expiarentur. *Γόνυ κλίνας ἐπ' ἐδάφους, ἱκέτης ἐγίγνετο τοῦ Θεοῦ, ἐν αὐλῷ τῷ Μαρτυρίῳ ἐξομολογούμενος, ἔνθα δὴ καὶ πρῶτον τῶν διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο: genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens, in ipso Martyrio, quo in loco manuum impositionem, cum solemni precatione primum meruit accipere.* Quin complurimis hæc inaudita, recondita, novaque videantur, illis præcipue qui Constantinum Romæ Baptisma consecutum fuisse existimant, nullus dubito. Hem! Constantinum primum Helenopoli Catachumenum factum appetente morte? Atqui & Valesio hæc sententia: *Cum igitur Constantinus* (verba sunt Eruditissimi Viri) *tunc primum manus impositionem in Ecclesia accepisse dicatur, constat eum Catechumenum nondum fuisse. Sed dicet aliquis; Quis credat Imperatorem Constantinum ad id usque temporis Catechumenum non fuisse; cum & Nicæno Concilio interfuerit, & tot Leges ac Rescripta pro Christianis ediderit; tot Ecclesias exstruxerit; Gentiles ad suscipiendam fidem Christi omnibus modis incitaverit, & Hæreticos ac Schismaticos Basilicis suis spoliaverit? — Hæc omnia & multo adhuc plura quæ afferri possent, Constantinum Gentilem non fuisse convincunt, sed eundem Catechumenum fuisse non arguunt. Certe in his quatuor Eusebii libris, quibus Constantini pietas & Religio celebratur, nusquam legitur Constantinum in Ecclesia cum reliquis Catechumenis preces fecisse, nec Sacramentum Catechumenorum percepisse.* Recte atque sapienter. Plurimæ quidem *χειροθεσίας* species fuere; sed illa qua Constantinus in Templo Helenopolitano donatus est, ad solam Catechumenorum manus impositionem revo-

cari

cari poteſt, non ad *Curatoriam*: Imperator tum non ægrotabat: non ad *Confirmatoriam*; nondum Regenerationis lavachrum conſecutus fuerat: non ad *Reconciliatoriam*; inter Pœnitentes non agebat. Ergo ad Catechumenorum impoſitionem pertinuerit neceſſe eſt. Gemina porro fuit Catechumenorum χειροθεσία: altera, in Audientes creabantur: altera, Competentes ad Baptismum præparabantur. Dionyſii Eccleſ. Hier. *Explanata initiando Divina vita, & ut ita dicam, converſatione, ex eo præterea quærit, num ita inſtituat vivere, cum promiſit; manum ejus capiti admovet, ſignoque edito Sacerdotibus imperat ut viri, atque ſponſoris nomina perſcribant.* Ordo Rom. p. 76. *Impoſita manu ſuper capita ſingulorum, dicit hanc orationem ad Catechizandos infantes.* Cum hæc illa χειροθεσία obtinuerit in ipſo ſolemnis Baptismi ſuſcipiendi procinctu, profecto, manus impoſitio qua in Templo Helenopolitano Conſtantinus donatus eſt, in hujuſce χειροθεσίας ordine annumerari nequit: relicta quippe Helenopoli, ad *ſuburbana Nicomediæ digreſſus*, ibi Baptismum adeptus eſt. Ad primam igitur χειροθεσίαν qua fiebant Catechumeni, Helenopolitana illa Conſtantini referenda eſt.

Catechumenis Audientium nomen olim addebatur: *Nemo ergo ſibi aduletur, quia inter Auditorum Tyrocinia deputatur, quaſi eo etiam nunc ſibi delinquere liceat... An alius eſt Intinctis Chriſtus, alius Audientibus?* quæ leguntur apud Tertullianum, de Pœnitentia c. 6. Quo etiam nomine Catechumeni afficiuntur a Cypriano, Epiſt. 12. *Audientibus etiam, ſi qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit; implorantibus Divinam gratiam miſericordia Domini non denegetur.* Verum *Audientium* nomen, veluti genus quoddam, in ſpecies certas diviſum eſt. In tres ordines, Audientes a Maldonato diſtribuuntur. *Erant autem*, inquit, *tres gradus Catechumenorum. Qui valde erant Tirones, vocabantur a Græcis ἀκουόμενοι, & a Latinis Auditores, ſive Audientes.. Qui autem ita inſtituti jam erant ut digni viderentur Baptiſmo, vocabantur Competentes, quaſi ambientes Baptismum. Alii erant, qui poſtquam cœperant Catechizari, lapſi erant in aliquod peccatum publicum; quod cenſebatur eſſe ſummum nefas, & propterea relegebantur in numerum Pœnitentium Chriſtianorum, & debebant expectare tres annos.* At tertius ille Catechumenorum gradus ſomnium eſt ex Eburnea porta, teſte Nicæ- Mald. de Bapt. c. 8.

na Synodo, C. 14. *De Catechumenis lapsis, placuit Sancta & Magna Synodo, ut ii tribus annis Audientes tantum sint, postea orent cum Catechumenis:* Fingebat itaque sibi somnia Maldonatus: non in numero locoque Christianorum qui se turpi vitio contaminarant, habebantur lapsi illi Catechumeni, sed *Audientibus* ascribebantur, sive Tironibus qui infimum Ecclesiæ gradum tenebant; quique sola manus impositione consignati, precibus publicis interesse non poterant: nec in locum inferiorem descendere possibile fuit.

Bona Lit.l.1. c.16.n.4. Illustrissimo simul & Doctissimo Cardinali Bonæ, crescit Catechumenorum numerus. *In Latina Ecclesia omnes Classes ad quatuor redacta sunt... Quidam enim ab infidelitate ad fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum; & ii dicebantur Audientes. Alii audito sermone procumbebant in genua, & orationum Ecclesia aliquo modo participes erant, & vocabantur Substrati, sive genua flectentes: Alii in fide recte instituti Baptismum petebant, & dicti sunt competentes. Qui vero ex istis in albo Baptizandorum descripti erant, Electi nuncupari solebant.* Quatuor illas Catechumenorum Classes nusquam invenio gentium: & Bonæ tergeminus ille, Substratorum, Competentium, Electorum ordo, unus & idem est; Competentium, scilicet, variis titulis ornatorum Classis: quod aperte ostendit Neocæsariensis Synodi Canon quintus: *Catechumenus si in Dominicum ingrediens, in ordine Catechumenorum steterit, is autem peccat; Si genu quidem flectens, audiat non peccans amplius: sin autem etiam audiens peccet, expellatur.* Duo Catechumenorum ordines exhibentur coram oculis, γονυκλινόντων & ἀκουόντων. Neocæsariensibus Patribus orantium Catechumenorum Classis suprema est, quæ Eruditissimo Purpurato tertia. Nec rationi fuisset consentaneum, omissis illis Catechumenis qui altiorem gradum ascenderant, de inferioribus solum agitare mentionem, cum priorum ut majus flagitium, quia ad Fideles propius accessissent, sic pœna gravior esse debuit. γονυκλίνοντες itaque a Competentibus, Electisque nullo discrimine graduve distinguuntur; aut, quod fidem non admittit, fatendum peccantibus Electis, & Competentibus, nullam a Synodo pœnam fuisse irrogatam. Ordines Catechumenorum accurate explanavit Rabanus descripsitque, sed quatuor illæ Catechumenorum Classes nullo sunt

numero.

numero: *Post Catechumenos autem secundus gradus est Competentium. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoque appellantur Competentes, id est, gratiam Christi petentes. Nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt; sunt enim quasi hospites & vicini Fidelium: de foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur Fideles. Competentes autem jam petunt, jam Catechizantur, id est, imbuuntur instructione fidei, & sacramentorum: istis enim traditur salutare symbolum, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.* Nec a Rabano dissident, qui scribendis Officiorum Ecclesi. libris operam dedere; Isidorus, Amalarius, Strabo. Raban. de Inst. Cler. l. 1. c. 26.

Si verum volumus; Orantium, Competentium, Electorum nomina, unum eundemque ordinem Catechumenorum designant. Leo Magnus solemnia Baptismi ministrandi tempora Episcopis Siciliæ præscribens; *Baptizandis*, inquit, *in Ecclesia Electis, hæc duo Tempora de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus.* Quæ appellatio non semel in Ordine Romano Competentibus accomodatur: *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscitis.* Electos in albo Baptizandorum descriptos fuisse, ut faciles largimur Eminentissimo Purpurato Bonæ, sic inscriptionem hanc, ab illa Competentium diversam fuisse, non fatebimur. Sic est, in Ecclesiæ libro competentium nomen semel inscriptum fuit: Augustinus l. 16. de Cura pro mortuis: *Pascha appropinquabat, dedit nomen inter Competentes.* Electi, porro, nostro quidem judicio, vocabantur, vel quia Catechumenorum erant præcipui, vel quod ex Audientibus conquisiti atque electi, ut Sacrorum candidatos agerent. Cæterum, hæc Audientium in duos ordines distinctio etiam atque etiam est observanda, ad intelligendam Antiquitatem, solvendasque difficultates quæ divisionem non attendentibus lucem eripiunt, & quasi nubem quandam rebus offundunt.

Audientibus sors miserrima fuit, quibus ne vel privatis orationibus fidelium interesse licuit, nedum publicis. Eo pertinet insignis ille locus apud Athanasium: Ἐὰν ᾖ εὑρεθῇ κατηχουμένη ἐν τρα- Ath. t. 1. de Virgin.

πέζῃ, μὴ συνευχέσθω κατὰ τῶν πιστῶν, ὐδὲ μὴ καθίσεις φαγεῖν τὸν ψωμόν σε μετ' αὐτῆς : quod si adsit Catechumena in mensa, ne oret cum fidelibus, neque sedebis ut una cum illa panem comedas. Contra Catechumenos similem duritiem induebat Autor ille Constitutionum, Clementis nomine editarum : *Fidelis cum Catechumeno nec domi oret : non enim est aequum initiatum cum eo qui non est initiatus eo inquinari.* Chrysostomus Hom. 79. ad Pop. Antioch. *Quid hac igitur sit oratione potentius, quae columnam & Ecclesiae turrim adjuvit ; & Catechumenis quidem permissum hoc nondum est, quoniam ad hanc nondum pervenerere fiduciam.* Ad Competentes haec pertinere nullus crediderim ; quibus interesse publicis Ecclesiae orationibus licitum fuit, illine domesticis fidelium precibus excluderetur ? Majora igitur Competentibus fuere privilegia quam Audientibus. Quaenam Audientium conditio fuerit docetur a Constantinopolitana Synodo, C. 7. *Primo die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio Exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando, & sic eos Catechizamus.* Audientibus nefas publicis adesse precibus ; nec dubium facit animum alicujus Nicaenorum Patrum Canon 14. *De Catechumenis lapsis, placuit Sancta & Magna Synodo, ut ii tribus annis audientes tantum sint, postea orent cum Catechumenis* : quibus luce clarius est, legem Ecclesiae tum vetasse Audientes orationibus interesse, quibus γονυκλίνοντες non prohibebantur.

Const. Apost. l. 8. c. 48.

Competentes longe meliori sorte utebantur ; orabant publice, quae oratio Catechumenorum nomen habuit. Laodicenae Synodi Canon 19. *Oportere seorsum primum, post Episcoporum Sermones, Catechumenorum orationem peragi ; & postquam exierint Catechumeni, eorum qui poenitentiam agunt, fieri orationem.* Praeterea, Competentes Symbolum publice docebantur, Concilii Agathensis Canone 13. teste : *Symbolum placuit in Ecclesia publice tradi Competentibus.* Tanta porro addiscendi Symboli necessitate astringebantur, ut ejus contemptus Divina manu fuerit in Gabiniano vindicatus ; audiatur Augustinus, Alipio Ep. 67. *Dicitur ergo ille senex tandem conversus ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse Christianum fore, si filiam salvam videret ; factum est : at ille quod voverat dissimulabat exolvere ; sed adhuc manus excelsa : nam repentina caecitate suffun-*

funditur. Statimque venit in mentem, unde illud esset exclamavit, confitens, atque iterum vovit se recepto lumine impleturum quod voverat. Recepit, implevit, & adhuc manus excelsa: Symbolum non tenuerat; aut fortasse tenere recusaverat, aut se non potuisse excusaverat.

Per animos virorum eruditissimorum antiqua pervasit opinio, panem Benedictum fuisse Competentibus erogatum: sic Bellarminus l. 2. de Effect. Sacr. c. 25. Augustinus *vocat Sacramentum panem quendam Benedictum, qui dabatur Catechumenis*: sic Maldonatus; sic Baronius; imo, sic Breviaria Ecclesiæ Rom. atque Manualia. Nituntur autem his Augustini l. 2. de peccat. Mer. & Remiss. c. 26. *Nam & Catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi, & orationem manus impositionis puto Sanctificari]: & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, Sanctum est tamen, & Sanctius quam cibi quibus alimur.* At falluntur animi: cibus ille a Catechumenis acceptus, *sal* fuit, non panis: Augustinum ipsum adduco testem l. 1. Confess. c. 11. *Audieram ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa, per humilitatem Filii tui Domini Dei nostri, & signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale.* Hoc unum fuit Sacramentum, quod in vicem corporis Christi dabatur Catechumenis: Hinc Decretum a Carthaginensi Synodo 3. promulgatum, C. 5. *Placuit ut per solemnissimos Paschales dies, Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal.* Augustini seculum sibi panem Benedictum nondum instituerat, ut explicamus alibi. Secus itaque quam debuit Canonem Carthaginensem interpretatus est Eruditissimus ille Petavius, Animadv. in Epiph. p. 366. *Cum sal Catechumenis præberi consuetum esset, appetentibus Paschatis feriis, extraordinarium quiddam concessum illis est. Non utique Eucharistia, nec enim tantum insaniisse quenquam arbitror. Neque vero per Sacramentum intelligi puto Symbolum: sed panem ipsum ac vinum ex quo Eucharistia consecrata fuerat.* Quæ Petavii explicatio fronte adversa cum Canone pugnat: unum quippe Sacramentum, videlicet, *solitum sal*, per solemnes Paschatis dies Catechumenis conceditur. Nil mutatur de ritibus; nova symbola non accipiunt: quamobrem? quia *si fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenis oportet mutare.* Aut igitur Catechumeni recipiebant jugiter panem & vinum, ex quo Eucharistia consecrata fuerat; aut ne, vel appentibus Paschalibus

bus feriis, ut extraordinarium quid, hæc alimenta concedebantur.

Non capiam oblivionem insignis ceremoniæ a Competentibus usurpatæ, quam indicat Cyrillus Hierosoly. Præfationis p. 5. Ἐσκέπασαί σου τὸ πρόσωπον, ἵνα σχολάσῃ λοιπὸν ἡ διάνοια, ἵνα μὴ τὸ βλέμμα ῥεμβόμενον, ποιήσῃ ῥέμβεσθαι καὶ τὴν καρδίαν. Τῶν δὲ ὀφθαλμῶν σκεπασμένων, οὐκ ἐμποδίζεται, τὰ ὦτα δέξασθαι τὸ Σωτήριον: *velatus est vultus tuus, ut mens tua vacet, neve oculus vagus efficiat ut mens vagetur: clausis vero oculis, aures minime impediuntur salutaria suscipere.* Quibus adjungi debet Clarissimi Valesii observatio: *Augustinus Sermone 4. in Dominica Octavarum Pascha, hodie Octava dicuntur infantium: Revelanda sunt capita eorum; quod est indicium libertatis: habet enim libertatem ista spiritalis Nativitas. Contra Catechumeni tectis capitibus per publicum incedebant, cum typum gererent Adæ a Paradiso expulsi, ut ait Junilius in lib. 2. c. 16. Hoc autem velamen ipsis auferebatur in Baptismo; vel certe 8°. post Baptismum die; hoc enim potius innuunt Augustini verba, paulo ante a nobis commemorata: idem quoque confirmat Theodorus, Cantuariensis Episcopus, in libro Pœnitentiali. In Monachorum ordinatione Abbas debet Missam canere, & tres orationes complere super caput ejus: & septem dies velet caput ejus; septimo die abstollat velamen; sicut in Baptismo Presbyter velamen infantum tollit.*

Val. Annot. in Euseb. p. 228.

Justini Martyris ævo, solemnis jejunii ritus domabat Catechumenos ac simul totam Ecclesiam, atque precibus pascebat: *Quicumque persuasum habuerint, & crediderint, ea esse vera quæ a nobis docentur & dicuntur, ac vivere se ita posse solliciti fuerint, docentur orare jejunantes, & a Deo anteriorum peccatorum veniam postulare, nobis una cum illis orantibus, & jejunantibus.; Deinde, a nobis ducuntur ubi aqua est, & eodem Regenerationis modo quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.* Justin. Apolog. 2. In Africa, ni fallor, usus luminis adhibebatur in Catechismo: August. in Ps. 67. *Noli festinare ad aquam, ut transeas & aquam; propterea & in Sacramento, & in Catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis.* Eo tendebat & ille ritus ut igne significaretur Spiritus Sancti illustratio.

Catechumenis occultata olim fuisse Religionis mysteria, certum explora-

exploratumque est. Nazianz. Or. 42. Ὀυκ ἐξοίσομεν δὲ οὐδὲν, οὐδὲ εἰς τὸ πρωὶ καταλείψομεν, ὅτι μηδὲ ἐκφορὰ τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων Μυστηρίων: *nec vero quicquam efferemus, neque usque mane relinquemus, quoniam ne ad exteros quidem magna mysteriorum pars efferenda est.* Cyrilli Hierof. Præf. p. 6. Ὅτε τοίνυν κατηχήσις λέγεται, ἐάν σε κατηχούμενος ἐξέτασῃ τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω: Μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν, καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος: *cum autem Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant doctores, nihil dicas externo: mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradidimus.* Ambrof. l. off. c. 50. *Non omnes vident alta Mysteriorum, quia operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent.* Hinc Missa Catechumenorum; hoc est, missio: remissam quippe Antiqui pro remissione dicebant, A Diacono Catechumeni dimittebantur hac voce; *Si quis est Catechumenus, exeat foras.* Romæ sic amandabantur; *Si quis non communicat, det locum:* ut monemur a Gregorio, Dial. l. 2. c.23. Quocirca Julius in Epistola ad Orientales ex præsentia Catechumenorum colligit, nondum peragi mysteria. Ἐι γὰρ ἔνδον ἦσαν οἱ κατηχούμενοι, οὔπω ἦν καιρὸς τῆς προσφορᾶς: *intus adhuc agentibus Catechumenis, tempus oblationis nondum esse potuit.*

Hinc oritur gemina quæstio; altera, quinam fuerat fons hujusce consuetudinis: altera vero, an seculis Apostolicis obtinuerit? Priorem quæstionem quod attinet, hic sectam Ethnicorum atque instituta esse Patres persecutos de pellendis Catechumenis, vix dubito. Hanc sane disciplinam Ethnicos tenuisse, certo certius est: Plutarchus de Garulitate: Τοῦ μὲν λέγειν ἀνθρώπους, τοῦ δὲ σιωπᾷν θεοὺς διδασκάλους ἔχομεν, ἐν τελεταῖς καὶ μυστηρίοις σιωπὴν παραλαμβάνοντες: *Dicendi homines, tacendi Deos magistros habemus, in eorum Sacris & mysteriis una nobiscum accepto silentio.* Cui concedit & Apulejus l. 2. Fab. Miles: *Quaras forsitan satis anxie, quid deinde dictum, quid factum? Dicerem, si dicere liceret: cognosceres, si liceret audire; sed parem noxam contraherent aures, & lingua temeraria curiositatis.* Eo tandem res a Christianis perducta est, ut Catechumenos a mensa vel communi, atque oratione privata, amandarint, ut jam docuimus.

Alta de Mysteriis Religionis silentia non agebant Apostoli; nec

Catechumenos arcebant Sacramentorum conſpectu. An domorum in quibus ſacra Euchariſtia ſingulis diebus celebrabatur, incolæ omnes initiati? Quibus fas erat intereſſe precibus, concionibus, agapis, alio-ne amandabantur, dum conſecranda parabatur Euchariſtia? Patentem vel ipſis Ethnicis fuiſſe tum Eccleſiam, poni non poteſt in dubio: *Si eodem convenerit tota Eccleſia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem Idiotæ vel infideles, nonne dicent vos furere?* 1 Cor. 14. Quo jure, qua vi, Ethnicis Nobilioribus ad concionum, orationumque celebrationem admiſſis, Presbyteri intonaſſent, *procul, procul eſte prophani?* Quantum in Chriſtianos odium excitaſſent quam acerbum? Ea tum fuit Sacramentorum ſimplicitas, ut ante oculos exponi potuerint, absque injuria ſuæ majeſtatis. A Walafrido Strabone accuratiſſime ſimul ac veriſſime obſervatum eſt, *primo ſimpliciter in fluviis, vel fontibus Baptizatos credentes.* Nulla tunc ſecreta arcanaque luendis Competentibus Baptiſteria: palam ac publice, non ſecus ac Joannes Baptiſta, ſacrum Regenerationis myſterium peragebant. Nec ſervi quibus Candaces Reginæ Dynaſta comitatus erat, a Domino ſuo procul recedere juſſi ſunt, eo in aquas deſcendente: conſentiente Philippo Evangeliſta, ſacræ ceremoniæ teſtes oculati fuere. Apoſtolicam diſciplinam imitando effinxit atque expreſſit Juſtinus ille Martyr, qui in Apologia 2ª. ore rotundo atque aperto Chriſtianorum Sacra pandit, absque verborum involucris, atque integumentis: *Sub finem precum nos inter nos oſculo ſalutamus: deinde ei qui præpoſitus eſt fratribus, panis offertur, & poculum, aqua & vino temperatum; quæ cum accepit, laudem Deo tribuit.* Nulla circuitione utebatur Sanctus ille Pater, Idololatrarum auribus Sanctiora Religionis myſteria committebat: an aures caſtiores oculis? Si Sacramenta illis revelata fuere, hisne impervio velamine tegenda? Quantum inter Juſtinum, & Innocentium interfuit? Decentio Eugubino Præſuli ſcribens Innocentius de Confirmatione: *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Tertio ſeculo ineunte Tertullianus ab *arcani diſciplina* quam longiſſime alienus fuit: ſic enim Ethnicum his compellat, Apologet. c. 31. *Qui ergo putas nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, literas noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt.* Cui bono

bono fuiſſet aut uſui diſciplina arcani, aditu ſcripturæ omnibus patefacto? Num Ethnicos latere potuit Euchariſtiæ cum materia, tum forma, nec non ſacra conſecrationis verba, atque myſteria? Scilicet, Catechumenis jam mente atque animo Chriſtianis, ea tum occultaſſent; Miram certe ſapientiam, atque præpoſteram ſolertiam! Eo minus occultari Catechumenis debuere myſteria, quo fama ubique emanarat, de nefanda Chriſtianorum diſciplina: *Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramento infanticidii, pabulo inde, & poſt convivium inceſto: quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundia procurent*: quæ leguntur apud Tertullianum Apol. c. 6. Quod graviſſimum ſane ſcelus, fœdamque maculam non immerito inuri ſecum reputaſſent, ſi ex hominum conſpectu myſteria abdidiſſent: profecto, juſtæ ſuſpicioni locum dediſſet arcani diſciplina. Hoc ſolo argumento Miſſa Jacobi ſubdita deprehenditur, vel invitis Bona Cardinale, Leoneque Allatio: *μή τις τῶν κατηχουμένων, μή τις τῶν ἀμυήτων, μή τις τῶν δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι: nullus Catechumenorum, nullus eorum qui nondum initiati ſunt ad Sacra, nullus eorum qui orare nobiſcum non poſſit, interſit.* Ævo Jacobæo occultandi Catechumenis myſteria mos nondum inductus fuerat: debetur hæc mutatio tertio ſeculo præcipiti. Sed de Quæſtione coercenda eſt oratio, cum, Deo dante, plura ſuo loco dicenda ſint, adverſus Eruditos Viros Clem. Shelſtratum & Antonium Pagium, quibus diſciplina arcani cordi eſt.

Convertamus nunc animum ad gradum quem Catechumeni tenebant in Eccleſia: ac prima ſpecie ad ultima relegandi videntur ſubſellia. Dionyſius qui vulgo audit Areopagita, Eccl. Hier. *poſtremus quidem ordo Catechumenis, id eſt, iis qui erudiuntur, tributus eſt— Energumenorum autem multitudo a ſacris quidem arcetur, ſed ſecundum locum in ſuperiore parte extremitatis Catechumenorum obtinet.* Ex altera parte Auguſtinus de Sancta virginitate c. 48. *Ab Apoſtolis usque ad ultimos Pœnitentes, quaſi a ſummis cœlorum usque ad terminos eorum*: quaſi fæces & ſordes Eccleſiæ Pœnitentes haberentur. Quæſtioni explanandæ, gradus tum Catechumenorum, cum Pœnitentium, accurate ſunt diſtinguendi. Hinc enim apparebit, modo Catechumenos Pœnitentibus eſſe ſuperiores; modo Pœnitentes

Catechumenis præstitisse. De Pœnitentibus legitur in Epist. Canonica Gregorii Thaum c. 41. Ἡ προσκλαύσις ἔξω τῆς Πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστὶν, ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι· ἡ ἀκρόασις, ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ Νάρθηκι. Ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξερχέσθαι, ἀκούων γὰρ φησὶ τῶν γραφῶν, καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς: *fletus seu luctus, est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco quem Narthecem vocant: ubi oportet eum qui peccavit stare post Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, post Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione ne dignus censeatur.* Pœnitentes qui flentium appellatione donabantur, infra omnes infimos homines, ipsosque Catechumenos fuisse, merito putantur; cum liminbus arcerentur Ecclesiæ, in quam ingredi Catechumenis audientibus datum erat. Secundus Pœnitentium gradus, quibus Audientium nomen fuit, Competentibus cedebant in dignitate: fas quippe huic Catechumenorum ordini, interesse nonnullis orationibus, quarum Pœnitentes audientes, indigni existimabantur. Sed & apud Alexandrinos, Catechumeni, Lectores agebant Ecclesiæ. Socrat. l. 5. c. 21. Ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον, εἴτε κατηχούμενοι εἰσὶν, εἴτε πιστοί. *In eadem urbe Alexandria, Lectores, & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt, tam Catechumeni, quam Fideles.* Quam opinor provinciam Pœnitentibus audientibus non dedissent. At pœnitentes γονυκλίνοντες eminere cœperunt, vel Competentium ordinem; quocirca post orantes Catechumenos, illi Ecclesiam exibant; ut a Laodiceno Canone 19. monemur: *Postquam exierunt Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri oportet orationem.*

Fatendum interea est, conditionem Catechumenorum fuisse durissimam, atque miserrimam: audiamus sonantem Chrysostomi eloquentiam; *Alienus est Catechumenus a Fideli: non habet idem principium, non eundem parentem; non victum, non vestitum, non mensam; non castrum, non domum, nil commune: etenim terrena Catechumeni, cælestia Fideles sunt.* Hom. 24. in Joan. *Deum,* inquit idem ille Pater, *Deum placamus pro defunctis orantes; verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide decesserunt: Catechumenos vero,*

neque

neque isto solatio dignamur : sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quidem dempto ; Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, unde illis nonnihil refrigerii accidit. Mollius hæc interpretantur, tum eruditus Sixtus Sinensis, cum alii complures : *Crediderim*, (verba sunt Sixti) *hæc esse intelligenda, non de privatis ac secretis orationibus, sed de publicis & solemnibus precationibus ; hoc est, de Psalmorum cantu, & Missarum sacrificiis.* Sed a præjudiciis orta est hæc explicatio. Unum quidem Catechumenis defunctis, Chrysostomus affert Eleemosynarum auxilium, quæ ut plurimum privatim & domi peragebantur. Itaque rotundo apertoque ore Autor de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustinum c.74. hæc sciscit : *Nullum Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus.* Bracarensis Synodus prima c. 35. & qui per venenum, præcipitium, aut suspendium, sibi violentas manus inferebant, & Catechumenos, eodem loco habuit : *Placuit ut Catechumenis, sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium ; nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Æquiori tamen animo Ambrosium fuisse erga Catechumenos, constat ex Oratione de Valentiniani obitu, nisi Augusteæ purpuræ nescio quid accesserit privilegii.

Sixt. Sin. Bibl. l. 6. n. 311.

Apostoli moram Baptismi non afferebant : subito & Candaces Dynastes, & æditūus, & Simon magus, edita fidei professione mersi sunt. Volventibus annis, longiora conferendo Baptismo tempora præfiniri placuit ; sed & hic variabat antiqua disciplina. Autor Recognitionum l. 3. *Accedat ergo qui vult ad Zachæum, & ipsi det nomen suum, & ab eo audiat mysteria Regni Cœlorum : jejuniis frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, ut tribus his mensibus consummatis, in die festo possit Baptizari :* quæ ni fallor ad Competentes pertinent. Status & conditionis Catechumenorum ratio, ut plurimum habebatur : de Flaminibus Ethnicorum, sic cautum ab Eliberitana Synodo, C. 4. *Flamines, si fuerint Catechumeni, & se a Sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad Synodum admitti debere.* Aliorum quibus casti pudicique mores fuere, Baptismus ultra biennium non prorogabatur. Catechumenæ quæ a marito injuste discesserat, si gravi morbo la-

borasset, intra *quinquennii tempora* Baptizabatur. Agathensis Concilii Canon 2. octo mensium vinculis Judæos in Catechismo detinebat. Expleto tandem κατηχήσεως tempore, ad sacrum fontem accedebant Competentes, atque ibi cum magna ceremoniarum pompa mergebantur. Hora porro nona peragendo mysterio deligebatur, Alcuino teste: *Ea de causa, quia Angelus Domini venit ad Cornelium hora nona, annuntians ei, quod orationes ejus ac eleemosynæ ascenderint in conspectum Domini. Sed & hoc decentissimum est, quia hora nona Autor vitæ emisit spiritum, eadem hora nona, Ecclesia Sancta percipiat Baptismum.*

Bibl. Pat. t. 10. p. 258.

AN. XLIV. NUM. XXI.

De Apostolorum in Orbem terrarum Legatione. Tempus profectionis incertum. Baroniana de hac profectione Chronologia, ab illa Patrum multum diversa. De Provinciis Petro mandatis. Qua de causa Judæi Petro crediti in dispersione dicuntur? Accurata Valesii observatio. Quæstio ex insigni loco Josephi explicata. Baroniani erroris retractatio, frigida, nec satis candida. De Provinciis Andreæ mandatis, & mortis loco. An cruci decussatæ affixus? Erudita Francisci Combefixi animadversio. Quænam Regiones assignatæ Thomæ? De monumentis ejus in Indiam Legationis, & a Baronio ex Osorio, & a Kirkero in China illustrata suppeditatis. Compluribus argumentis monumenta hæc configuntur. Palum cingulo Thomæ alligatum, signo crucis facillime, non secus ac paleam, tractum, fabulam esse demonstratur, perinde atque crucem in lilia desinentem. Thomam Apostolum, cum Thoma Cananæo qui Anno Dom. 800. in Indiam contendit, restituendæ

Re-

Religioni, permixtum fuisse, ex Semedo Jesuita ostenditur. An Lucas, Crescensve missi in Gallias? Eruditissimi Præsulis Petri de Marca secundum Epiphanium sententia, ad examen revocata. Stata fuisse vocandorum populorum tempora, ad quos non suo, sed Spiritus Sancti nutu accesserunt Apostoli. Hujus rei ex Augustino ratio, qua fundamenta Illustrissimi Præsulis convelluntur. Petavius notatus. Eusebium iis potius annumerandum qui Crescentem in Gallias missum esse contendunt, probatur. An Galliæ nomen olim Cisalpianæ inditum, deletum sit jam a divisione Italiæ ab Augusto peracta? Error Eruditi Petri de Marca a Strabone & Plinio castigatus. Gallias luce Evangelica nondum refulsisse, vitam ducentibus Apostolis, aliquod argumentis declaratur.

Apostolos constanti mente Christi Domini sui mandata & tenuisse & peregisse, consentiunt omnes qui Religionem profitentur. Lege & officio præscriptum est Apostolis, *profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni Orbi condito.* Marc. 16. Executionem ejus negotii lubentes suscepisse, scimus & tenemus. Sed & Baronio mente atque voce consentimus; *Dicimus singulos Apostolorum in eas orbis Regiones esse amandatos, ad quas Spiritus Sanctus privato instinctu voluit eos proficisci.* De profectionis tempore dissentimus a Purpurato, freti autoritate Patrum, Apollonii, Clementis Alex. Chrysostomi, qui Legationem Apostolicam in Orbem terrarum, serius contigisse quam sibi Baronius induxit in animum, testificantur: qua de re jam audivimus testimonia. Verumtamen non incidit nobis in mentem hæc res, quod valeamus attingere cognitionem temporis, vel anni, quo relicta Judæa ad Gentes profecti sunt: involutus Historiæ obscuritate latet annus profectionis, ut temere, simul & falso, hanc Anno Claudii 2°. Christi 42. Legatio-

gationem Apoſtolos obiiſſe, Baronio creditum ſit. Supereſt igitur, ut de Regionibus in quas Sanctiſſimi illi Legati contenderunt, aliquid proferamus, quo obſcura illuſtrentur Hiſtoriæ.

Antiquis cantatum Aſiæ Provincias Petro fuiſſe mandatas. Hippolytus: Πέτρος μὲν ἐν Πόντῳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ Καππαδοκίᾳ, καὶ Βιθυνίᾳ, καὶ Ἰταλίᾳ, καὶ Ἀσίᾳ κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, ὕστερον ὑπὸ Νέρωνος ἐν Ῥώμῃ σταυροῦται, κατὰ κεφαλῆς: *Petrus quidem, cum prædicaſſet Evangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia, atque Aſia; poſtea a Nerone Romæ crucifigitur, capite deorſum verſo.* Conſentit & Hippolyto Origenes qui hæc obſervanda prodidit: Petrum ſcilicet κεκηρυχέναι τοῖς ἐν διασπορᾷ Ἰουδαίοις: *prædicaſſe Judæis qui in diſperſione erant.* Multa temeritate, atque incuria viſum olim Baronio, Judæos hanc appellationem nactos eſſe ex Hieroſolymitanorum diſperſione, poſt Stephani Martyrium oborta. Quæ ſane ratio abſona extra modum, & merito ab ipſo Autore improbata fuit, licet nec aperte, nec candide, ut virum decet qui in veritatis amorem incidit. An. 45. n. 21. *Nihil eſt quod prohibeat*, inquit, *etiam ad alios Judæos eam ſcriptam Epiſtolam, eo quod ſoliti ſunt vocari Judæi diſperſionis, illi qui in diverſis Regionibus, pro animi cujuſque libitu, loca colerent.* Atqui affirmandi neceſſitate cogimur, Judæis diſperſionis illos inſeri qui vel ſponte degebant extra Palæſtinam: doctiſſime more ſuo Valeſius, Annot. in Euſ. p.39. *Porro, Judæi per totum Orbem diſperſi ſunt variis temporibus, & varias ob cauſas. Primo quidem cum abducti ſunt ab hoſtibus in Babylonem, & in Ægyptum, ac Syriam: cumque a Romanis, duce Pompejo, victi, & in ſervitutem redacti ſunt. Deinde ſpontanea migratione, ut contigit temporibus Macchabæorum, cum quidam ſponte ex Judæa in Ægyptum ſedes tranſtulerunt. Lex enim non vetabat ne Judæi in alias terras migrarent; ut ex libro Ruth colligere eſt. Tertio, id contingebat ob proſelytos, quos cum ex omnibus gentibus admitterent Judæi, hinc fiebat ut per totum Orbem diſpergerentur.* Favore Xerxis, conceſſa quidem Judæis facultas redeundi in antiquam Patriam; ſed eorum bene multi non uſi ſunt Regio beneficio; qua de re inſignis eſt locus apud Joſephum: Πολλοὶ δ' αὐτῶν καὶ τὰς κτήσεις ἀναλαβόντες, ἦλθον εἰς Βαβυλῶνα, ποθοῦντες τὴν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα κάθοδον: ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν, κατὰ χώραν ἔμεινε, διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας, καὶ τῆς Εὐρώπης

Joſeph. Ant. l. 11. c. 5.

Εὐφράτης, Ῥωμαίοις ὑπακούουσαι, αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτε ἕως δεῦρο μυριάδες ἄπειροι: *multi vero ex eis, assumptis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolyma: reliqua Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere. Quapropter duæ tantum Tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt imperio: decem autem Tribus nunc quoque ultra Euphratem, sunt infinita hominum millia.* In Assyriam Petrum contendisse multum mihi verisimile est, ex ejus Epistola scripta Babylone.

Andreas Scythiam, Thraciamque habuit autoritate Spiritus Sancti & forte; ut ab Origene Hippolytoque scripto proditum: addidit Epirum Nazianzenus, qui verbis brevissimis quidem, sed significantibus Provincias indicavit in quas Christi Legati contendere: Τί Παύλῳ κοινὸν πρὸς τὰ ἔθνη, Λουκᾷ πρὸς Ἀχαΐαν, Ἀνδρέᾳ πρὸς Ἤπειρον, Ἰωάννῃ πρὸς Ἔφεσον, Θωμᾷ πρὸς Ἰνδικὴν, Μάρκῳ πρὸς Ἰταλίαν; *Quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ Epiro, Joannes cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia.* Ora. 25. Unum est de Andrea ex Hippolyto observandum: Ἀνδρέας Σκύθαις, καὶ Θρᾳκαις κηρύξας, ἐσταυρώθη ἐν Πάτραις τῆς Ἀχαΐας, ἐπὶ ἐλαίας ὄρθιος, καὶ θάπτεται ἐκεῖ: *Andreas cum Scythis ac Thracibus prædicasset, cruci affixus est Patris in Achaia, rectus in olea arbore, ibique sepelitur.* Qua de re accurata & meditata est Eruditi Combefixi commentatio, a nobis describenda: *Peculiare est quod addit, ut* ἐπὶ ἐλαίας ὄρθιος *solum videatur dictum ad differentiam τοῦ καταϰεφαλῆς, ac pœna crucis inversæ, quam Petrus modestia ferre voluit. Quid si etiam ad exclusionem crucis decussatæ, quam Andreanam vocant, & quæ passim pictores repræsentant? haud certe omnino in ea videatur homo rectus, qui ita divaricatis manibus ac pedibus pendeat: sic nostro Galloprovinciæ Traditio habet. Servatur enim Massiliæ ad S. Victorem Andreæ crux, eadem prorsus figura cum Christi cruce.*

De Provinciis Thomæ mandatis nonnihil variant Antiqui. Martyrologium Rom. *Calamina Natalis Beati Thomæ Apostoli, qui Parthis, Medis, Persis & Hyrcanis Evangelium prædicavit, ac demum in Indiam perveniens, cum eos populos in Christiana Religione instituisset, Regis jussu lanceis transfixus, occubuit.* Quæ optime cum Hippolyto consentiunt. Sed & Origenes nec-non Autor Recognitionum l. 9. Parthiam Thomæ vindicant, de India cum aliis Gregor. Naz. conspirat. Chrysostomus

 vero

vero Æthiopiam assignat Thomæ. Hic certamen Baronius nobis injicit: *De veteribus monumentis Thomæ prædicationis apud Indos consule Hier. Osorium*; quæ fusioribus verbis exequitur An. 57. n. 13. Sacra illa profectionis Apostolicæ in Indiam signa atque indicia, crux est, quam Apostolicis temporibus in Ecclesiis erectam fuisse imaginatur. *Satis est*, inquit, *afferre memorabile quidem, & plane admirabile illud Antiquitatis monumentum, quod de sculpta cruce a S. Thoma Apostolo in Ecclesia ubi preces ad Deum fundere consueverat, apud quam etiam casus, martyrium consummavit*; Osorius memoriæ prodidit. Nostro seculo eruditus Kirkerus similibus monumentis peregrinationi Indicæ Thomæ quæsivit fidem: Chinæ Illustr. c. 7. p. 91.

Exscribam Kirkeriana verba, ut diligentius circumstantiarum omnium pondera examinentur, debellandæ fabulæ. *Porro ex Caphurstan Divum Thomam penetrasse dicitur Guzaratam minorem, non longe a Regno Casimir, de quo supra, a Labor triduano itinere ad Septentrionem suscepto dissitam — Fertur relatione digna fide, in Ecclesia Maliaporensis Archivio litteras adhuc Syriaca lingua, in pervetusto pergameno scriptas conservari; quibus Sanctus Thomas, Episcopos in dictis Regnis a se consecratos, id est, in Candahar, Chabul, Caphurstan, Guzarata minori, cæterisque conterminis locis, ad Concilium Maliaporense evocarat.* In eodem Chinæ Illustratæ libro, cernitur crucis effigies mysticos inscripta characteres, a Joanne Lucena, de Jesuitarum Grege, explanatos; quibus Apostoli Thomæ in Indiam adventus comprobatur. *Anno trigesimo, vigesima die Decembris, post Legis Christianæ factam toto Orbe promulgationem, Sanctus Apostolus Thomas in Maliapora mortuus est, a quo etiam tenet cognitionem Dei, mutationem Legis, & destructionem Dæmonis. Natus est Deus ex Virgine Maria, & sub ejus obedientia 30. annos morabatur, & Deus erat sine fine. Hic Deus suam Legem 12. Apostolos docebat, e quorum numero unus advenit Maliaporam, manu tenens baculum: alii dicunt regulam fabri lignarii, & palum. Fertur hic palus e mari in littus rejectus, ejus fuisse vastitatis ut complures ad eum loco movendum non fuerint sufficientes, quem tamen Sanctus Apostolus pro Ecclesia constituenda fundamento a Rege donatum, cingulo proprio alligatum, in virtute Christi & Sanctæ crucis, non secus ac paleam levissimam, traxisse traditur. Rex Maliaporæ & Coromandel, & Pandorum, aliique diversarum Nationum & sectarum Principes, prompta*

ta omnes voluntate, sese Legi Thomæ certatim submittere, maximo viso miraculo, constituerunt. Venit tempus, quo Sanctus Thomas occumberet, Brachmani cujusdam manu: & de proprio sanguine, hæc crux 18. Decembris festo virginis — quotannis tempore Missæ solemnis, in varios se mutare colores solet, quin & subinde sanguinem cum sudore copiosissimo mittere—Crux, dum Sanctus Apostolus sanguinem funderet, ex ipsius sanguinis fluxu expressa in lapide quodam miraculose comparens, in hunc diem Maliaporæ in Ecclesia Sancti Thomæ, summa devotione indigenarum, conservatur.

Hæc sunt Baronio & Kirkero, Sacra Thomæ in Indiam Legationis monumenta, ac *sincerissima* pignora. Mihi vero portenta Religionis, ac pene funera. Nulla sane Apostolica aura afflatur hac in Traditione. Usurpabatur-ne crucis signum ab Apostolis? Qui testes; quæ indicia; quæ argumenta? Oblata sæpius est Apostolis occasio commoda & idonea signi exequendi; sive ad pellendos Dæmones, sive ad sanandos ægros, sive ad benedicenda alimenta, sive ad pericula; adhibitum vero crucis signum nullo vestigio in Scriptura reperitur. Miraculum porro Thomæ vindicatum, Spiritu Christi indignum est, & gravitate Apostolica: hæc est illa vis Miraculorum patrandorum a Christo Discipulis indita: *Per nomen meum Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: male valentibus manum imponent, & bene habebunt:* Marc. 16. Hisce prodigiis ad utilitatem mortalium conducentium, in Indiam Thomas ingredi debuit, minime vero cum *palo tantæ vastitatis, ut complures ad eum loco movendum non fuerint sufficientes.* Vix ovium ovo similius est, quam Thomæ Apostoli, & Claudiæ Vestalis miraculum: Ille palum *ingentem cingulo proprio alligatum, non secus ac paleam levissimam, traxisse dicitur*; hæc, ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingula duxisse navem, quam multa hominum millia trahere nequiverant. Jesuiticum est quidem, nec admodum credibile, Maliaporæ Regem, Principesque Regionum, & sectarum bene multos, viso *maximo miraculo*, certatim se Legi Thomæ submisisse. Illis certe robur & triplex circa pectus non erat, qui ad portentum quod Dæmonum viribus editius non est, antiqua Religione abdicata, induerint subito novam, quæ Dominum gloriæ, coeli & terræ condi-

torem, affixum cruci prædicat. Felicem Thomam, cui mentes tam teneræ, tam molles, tam flexiles, notitia Christi imbuendæ contigerunt! cum cæteri Apostoli dura ferreaque pectora tractarint, ut pauci numero Religionem imbiberint, aliis vel ad cælestia prodigia & digna Deo, vehementer obdurescentibus. His porro missis, mihi fit in ea Traditione scrupulus: quænam est illa Epocha, *Anno trigesimo, vigesima die Decembris, post Legis Christianæ factam toto Orbe promulgationem?* Quid obscurius, aut insolentius? Atqui Sacri Autores annis Imperatorum, Regumve designant, historiam suam ut aliquid certi & noti, de narratione lectores habeant. Quin etiam antiqua Traditio, de morte Thomæ, cum nova illa Osorii, & Kirkeri pugnat. Θῶμας ἐλάτῃ ἐλογχιάσθη τοῖς τέταρσι μέρεσι αὐτοῦ ἐν πόλει Καλαμίνῃ τῆς Ἰνδικῆς, καὶ θάπτεται ἐκεῖ: *Thomas abietina lancea quatuor sui corporis partibus confossus est Calamina, quæ est urbs Indiæ, illicque sepelitur.* Sic Hippolytus in libello de 12 Apostolis. In nupera Traditione, non Calaminæ, sed Maliaporæ, & ultimum obiisse diem, & sepultum fuisse, narratur. Quæ contradictio vitari nequit, ni certis argumentis ostendatur, Calaminam, & Maliaporam, unam esse & eandem urbem: quod mihi probari velim. Sed nec omnino inter se conspirant Orosius, atque Kirkerus. Ille, *fuerat quoque ante quatuordecim annos, in illo colle inventa crux in lapide incisa, in cujus fastigio columbæ imago insidebat: basis vero erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissime videbantur, collocata: & tam fastigium quam basis, & brachia in liliorum formam desinebant.* At columba hæc, fastigio crucis insidens, a Kirkero mutatur *in pavonem,* qui Regis Narsingæ insigne est. Quærant boni illi viri peregrinos. Concesso Thomam Apostolum cruces apud Indos erexisse, an vero simile est, crucis Dominicæ non arripuisse similitudinem? An crucium Melitensium in morem, suas finxisset Thomas Apostolus, imo sacri ligni effigiem quam accuratissime expressisset: crucis vero Dominicæ fastigium, basis, brachia in liliorum formam non desinebant.

Bene est nobis: Jesuita nomine Semedo, in Historia sua Sinensi, ad Traditionis fontem digitum intendit: *Le flambeau de la foi estant esteint aux Indes, fut ralumè environ l'an* 800. *dans la Citè de Mogodoven, ou Patana, par un Chrestien Armenien, nomme Thomas Cananeen:*

neen; lequel aiant renouvelè l'ancienne Religion, repara les Eglizes basties par ce S. Apostre, & dressa des autels. Ce qui a donné sujet de croire sur la conformité des noms, que tous les Bastimens qu'on y voit, sont des ouvrages du premier S. Thomas. Apostolo Thomæ ascriptum & est miraculum ejusdem farinæ ac illud a Kirkero traditum. Legitur apud Paulum Venetum: *Aiunt Anno Dom.* 1277. *Tale apud Thomæ tumbam miraculum factum. Cum Princeps terræ illius, messem risi haberet multam, & locus illi sufficiens non esset ad recondendum risum, usurpavit sibi domos, & Ecclesiam Divi Thomæ, & in eas invitis custodibus, reposuit risum. Factum est autem, ut parvo post tempore, nocte quadam Sanctus illi appareret; & manu fuscinulam ferream tenens, & ad guttur ejus applicans, minaretur illi exitium, dicens; Nisi domos meas quas temere occupasti, citius evacuaveris, mala peribis morte: & ille evigilans, statim ut edoctus fuerat, Ecclesiam Apostolicam evacuavit.* Paul. Venet. l. 3. c. 27.

Nunc cum viris Baronio longe oculatioribus contrahendum est certamen. Quæstionis est, an Apostolis vitam ducentibus, ab Evangelistis Galliæ Christi Religionem susceperint? Certa quidem res est, si fides adjungitur Epiphanio, Hær. 51. n. 11. *Lucæ*, inquit, *prædicandi Evangelii munus est creditum*; Καὶ κηρύττει πρῶτον ἐν Δαλματίᾳ, καὶ Γαλλίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Μακεδονίᾳ, ἀρχὴ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ: *idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit, sed in Gallia præ cæteris.* Sed nec unum Lucam in Gallias contendendi provinciam suscepisse, indicat Epiphanius, sed & Crescentem ibi quoque legatum esse existimat: Κρίσκης φησὶν ἐν τῇ Γαλλίᾳ, οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινὲς πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν τῇ Γαλλίᾳ: *Crescens, inquit, in Gallia, non enim in Galatia legendum est, ut quibusdam immerito placuit; sed in Gallia.* Epiphanianæ narrationis autoritas apud Eruditissimum Petrum de Marca plurimum valuit: testis est Epistola Clarissimo Henrico Valesio scripta. Nec æquo animo patitur Illustrissimus ille præsul, ardens amore Galliæ, nobile Regnum adeo contemptum ab Apostolis dici, ut neminem de fide docenda ibi legaverint. *Galliis quippe detrahunt,* (verba sunt doctissimi Archiepiscopi) *quam Æthiopibus & Indis sciunt exhibitam Evangelii prædicandi curam; ac si florentissimæ, & vicinæ Nationes capiti gentium Romæ, quam sanguine suo Petrus & Paulus consecrarunt,*

cearunt, remotissimis illis, extraque Romanum imperium sitis regionibus posthabitæ fuissent.

Civilem Præsulis animum majori laude cumulabo, quam vim rationis suæ. Stata erant vocandorum populorum momenta temporis: nec ullus unquam Apostolus, aut Evangelista, in aliquam Regionem pedem intulit, quin ageretur a Spiritu. Magnum hac de re exemplum adducitur coram oculis: *Phrygia autem peragrata, & Galatica Regione, prohibiti a Spiritu Sancto loqui sermonem Dei in Asia: cum venissent in Mysiam tentabant ire versus Bithyniam, sed non sivit eos ire Spiritus.* Act. 16. Posthabitæ sunt, vel invito doctissimo Marca Regiones illæ florentissimæ Indis & Æthiopibus; quidni & Galliæ? Tentavit olim causas Augustinus, cur Gentibus tam sero Gratia Christi oblata sit, Epistola 49, ad Deogratias. *Quid respondebunt, si excepta illa altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud Divinum consilium, aliud secretius latet, sine præjudicio etiam aliarum forte causarum, quæ a prudentibus investigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratia, in hujus quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.—Ita salus Religionis hujus, per quam solam veram, salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit: & ab exordio propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.* Itaque vana hæc argumentatio est, atque inefficax: *Paulus, testibus Græcis Athanasio, Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoreto, Hispanias petenti, pergendum fuit per celeberrimam apud Veteres viam illam publicam, quæ ab Italia per Gallias in Bæticam ipsam ducit.* Quidni ut jubente Spiritu, eundi in Asiam & Bithyniam, sic & pergendi per Gallias in Bæticam, omissum a Paulo consilium fuit? Quidni navi ab Italia Hispaniam advectus est? Nunquamne inducemus in animum profectionibus Apostolocis Spiritum præsedisse; Gratiamque Christi patefieri, & quando vult, & modo, & ratione qua vult? Profecto, Hippolytus Paulinæ in Gallias Legationis insolens est, licet admittat profectionem ejus in Hispaniam: καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, περιῆλθεν ἕως τοῦ Ἰλλυρικοῦ, καὶ Ἰταλίας, καὶ Σπανίας: *incipiensque ab Jerusalem, pervenit usque ad Illyricum, & Italiam, ac Hispaniam.*

Præcipuum

Præcipuum opinionis suæ fundamentum Doctissimus de Marca in Epiphanio collocavit: *Autorem habemus locupletem hujus narrationis Epiphanium, qui Lucam principium fecisse prædicationis in Gallia, sive potiorem ejus curam gessisse, disertissime testatur.* Sed Epiphanii testimonium de Luca fluxæ est autoritatis, quippe quod cum nullo conspiret: nec permitti debet licentia fingendi, *Epiphanium petivisse suam narrationem ex vetustiori Scriptore, quo ut plerisque aliis caremus.* An soli Epiphanio notus ille Scriptor antiquus? Nazianzenus sane Achaiam, non Gallias assignat Lucæ. Paulo plus momenti in est in Crescente; sed audire juvat Eruditissimum Petavium, Animadv. in Hær. 50. p. 90. *Κρίσκης φησὶν ἐν τῇ Γαλλίᾳ, imo εἰς Γαλλίαν: Nam, vulgo εἰς Γαλατίαν: quæ est vetustissima & certissima lectio, quidquid affirmet Epiphanius: quam & Eusebius l. 3. Hist. c. 4. Chrysost. Ambrosius, Theodoretus, ac Græci & Latini omnes agnoscunt; quanquam non desunt qui per Γαλατίαν apud Paulum, Galliam intelligant, ut Theodoretus. Crescentem vero Galliarum & Galatiæ pariter Apostolum fuisse, Ado in Martii 5. Kal. Jul. & in Chronico testatur, ut & Rom. Martyrologium novum; vetus enim Galatiæ duntaxat meminit. Et certe dubitari potest, utrum non modo Crescens, sed vel alius quisquam, per illa tempora Galliis Evangelii lucem importarit.* Hinc constat vitiosam esse Epiphanianam lectionem, quæ Clarissimo Marca admodum placuit. Atque concesso Γαλλίαν substitui debere in locum vicemque τῆς Γαλατίαν, legendum tamen esset, εἰς Γαλλίαν, non ἐν τῇ Γαλλίᾳ: Petavium porro valde miror, qui in eorum classe, qui vulgatæ lectioni favent, Eusebium annumerat. Editio Valesiana, quæ omnibus merito est anteponenda, Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας σταλεὶς, ὑπὸ αὐτοῦ μαρτυρεῖται: *Crescens quidem ab eo missus in Gallias Pauli ipsius testimonio declaratur.* In Versione quidem Christophorsiana, secundum vulgatam habetur *Galatiam*; sed ad oram libri additum, εἰς Γαλλίαν: sed & in vetusta Eusebii Versione a Goffredo Boussar adornata, *Stephano Poncher Galliarum Senatu præsidenti dignissimo* nuncupata, legitur, *Crescens quidem ad Gallias profectus est.* Cæterum, censuræ illustrissimi Præsulis, pœnas dedit animadversio Petaviana, de profectione Lucæ in Gallias. *De Gallia enim Cisalpina loqui Epiphanium notat. Scilicet, apud illum Autorem Cisalpinam Galliam intelligimus, quæ nulla tunc erat ab ipsis Augusti temporibus, qui novam Provinciarum imperii divisionem instituit.*

stituit. *Amovit ab Italia nomen Galliarum quas objectu Alpium terminavit.* At pace cinerum eruditissimorum, non æquum dicitur. Post defunctum Augustum, Geographia Strabonis*condita est: retinet tamen Gallia Cisalpina, pristinum nomen: *Cisalpina igitur Gallia, hisce terminis includitur* l. 5. Plinius Hist. l. 3. c. 14. *Jungitur his sexta Regio, Umbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminium. Ab Ancona Gallica ora incipit, togata Gallia cognomine.* Nondum igitur nomen *Galliæ*, his Regionibus olim impositum, oblivio deleverat; phrasisque Epiphaniana harum Provinciarum situi quam aptissime respondet: Ἐν Δαλματίᾳ, καὶ Γαλλίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ: *in Dalmatia, Gallia, Italia.* Transalpina sane Gallia, Dalmatiam inter & Italiam non est media.

Rem ipsam quod attinet, animus mihi est in dubio, an vitam ducentibus Apostolis, a Joanne si discesserimus, Gallia luce Evangelica refulserit: *Gallia est omnis divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur*, inquit Cæsar Commentariorum initio. Primi Celtæ Christo nomen suum dedere, quos apud Viennam atque Lugdunum; quæ urbes antiquissimas Galliarum omnium fovebant Ecclesias. Decio imperante Gratianum Turonensem, Trophimum Arelatensem, Paulum Narbonensem, Martialem Lemovicensem, Dionysium Parisiensem, Saturninum Tolosanum, Stremonium Avernensem, primos in illas Galliarum partes lumen Evangelii intulisse, suo loco comprobabitur. Observandum interea vel B. Martini temporibus, in Turonum Regione Idololatriam lacertos moventem, caputque exerentem exhiberi. Hinc & superstitiosa funera; & Gallorum rusticis consuetudo, simulachra Dæmonum candido tecta velamine, misera per agros suos circumferendi dementia; & innumeræ Martino datæ occasiones cælestem patrandorum miraculorum vim exerendi, deturbandis Idolis: quæ non obscura quidem sunt vestigia, nullas vitam protrahentibus Apostolis, has in Provincias Christi præcones fuisse legatos, cum & tanta temporis longinquitate, Religio Dei, sensim eripuisset superstitiones, & Ethnicis convertendis tot miraculis Martini nil opus fuisset. Etenim a morte Apostolorum ad Martinum florentem, ac miracula patrantem, anni circiter ter centum interfuere. Cæterum, ne credam

dam ante ſeculum ſecundum in Gallias Evangelium fuiſſe introductum, authoritas Sulpitii Severi apud me plurimum valet. Sic enim de perſecutione ab M. Aurelio & Lucio Vero Imperatoribus, circa annum Dom. 162. mota; *Ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans alpes Dei Religione ſuſcepta.* Hiſt. Sacr. l. 2. Quod teſtimonium & eruditi, & antiqui viri, æqualis nempe Hieronymi & Rufini, & quod in prima commendatione in ea re quam tractamus poni debet, Galli hominis, narrationi Græcorum omnium merito eſt anteponendum; cum majori rerum quæ in ſua Patria contigere notitia inſtructus ſit, quam Epiphanius, Theodoretusve, a Galliarum Provinciis quam longiſſime remoti. Nitiobriæ Sulpitius fuit; vixit nunc Primuliaci, nunc Eluſone, ſed & Tholoſæ habitavit. Hunc hominem ad ſcribendam Hiſtoriam Sacram animum appellentem, ignarum fuiſſe Traditionis ævo ſuo vigentis, vix credere poſſim. Atqui fama tum per Gallias diſcurrens, ferebat Religionem Chriſti *ſerius trans Alpes* fuiſſe ſuſceptam; quocirca imperante Marco Aurelio primum *intra Gallias Martyria viſa.* Quæ ratio etiam atque etiam eſt obſervanda. Nec enim Neronis furor, Domitiani, atque Trajani, qui in Chriſtianos invaſerat, peperciſſet ulla in re, qua ad vexandas Galliæ Eccleſias opus erat. Viſa itaque fuiſſent & Martyria, non minus intra Gallias, quam in aliis Imperii Provinciis. Non viſa ſunt, quia nulla: nulla porro, quia nullæ tum apud Gallias florebant Eccleſiæ, quæ non longe a Roma remotæ, remotiorum incendio deflagraſſent. Si a Paulo, ſi a Creſcente, ſi a Luca in Galliam inductam fuiſſe fidem Sulpitius exiſtimaſſet, ſcribere nec potuiſſet, nec debuiſſet, ſerius trans Alpes fuiſſe ſuſceptam. Si verum volumus, fluctuantur incerti animi, de Provinciarum converſarum tempore, quod ex ſola Traditione ſuppeditatur: nec tuta ſatis, aut certa fama eſt, ut ipſi committamus fidem. Sed & ut plurimum latet primorum apud hiſce Regiones Evangelii Præconum nomen; ab hominibus obſcuris Evangelica luce ſæpius illuſtratæ ſunt ut urbes nobiliſſimæ, ſic Provinciæ. Ignotis debent elementa ſuæ fidei, cum Roma, tum Antiochia. De Scriptor. Eccleſ. Hieronymus: *Creſcens in Galliis prædicavit Evangelium & illic ſepultus eſt.* Ne fidem extorqueat obſtant ſequentia: *Eunuchus Candaces Æthiopum Reginæ in Arabia Felici, & in Taprobana inſula maris rubri prædicavit Evangelium.*

AN. XLIV. NUM. XXXVI.

De Jacobo fratre Domini. An ab Alphæi Jacobo diversus? Negantis Baronii sententia ab Erudito Combefixo temeritatis postulata. Patrum bene multorum opinio, ab illa Purpurati diversa. Jacobum fratrem Domini, & Jacobum Alphæi, inter se non differre, vero similius. Argumenta ex Clemente Alex. & Hippolyto, qui Recentioribus merito sunt anteponendi. An Hegesippus de tribus Jacobis sententiæ faveat? Affirmantis Combefixi assertio rejicitur. Jacobum fratrem Domini, in majori Apostolorum ordine reponendum esse, contra Clarissimum Valesium, atque ὁμοδόξους, *ostenditur. Argumentum ex 1 Cor. 15. ab adversariis petitum, nullius ponderis. Ex verbis Paulinis ad Galatas, Jacobum maximis Apostolis inserendum esse, demonstratur. Cur frater Domini dictus?*

DE Petro, Andræa, Thoma, jam satis dictum: superest agitanda quæstio, quid Provinciæ datum sit Jacobo? Hic magnam in difficultatem incidimus, antiquis novisque Scriptoribus, multa de Jacoborum numero variantibus. Si Jacobus frater ille Domini, ille Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præses, & Jacobus Alphæi, unus & idem homo sit, facillime & certissime quæstio decideretur: cum Hierosolymitanam Ecclesiam curasse compertum habeatur, atque in hac urbe sanguinem de Christo fudisse. At non conspirant inter se nec veteres nec novi rerum Ecclesiasticarum Scriptores; nec desunt ex Latina Ecclesia viri Clarissimi, qui plus modestiæ hac in Baroniana sententia requisiverint: *Qui hac tradiderunt, tertium quem diximus Jacobum, extra numerum duodenarium Apostolorum imprudenter quidem nimis constituunt.* His certe commotus est Eruditissimus Combefix, ad Hippolytum de duodecim Apostolis. p. 840. *Imprudentes*

dentes vero nimis, ac inconsultissimos homines quos audens dicis? Utique Gregorium Nyssenum 2. Orat. in Pascha, cum ita pronunciat, clarius longe Clemente seu vero, seu suppositio; ὁ δὲ Μάρκος Ἰακώβου τοῦ μικροῦ, καὶ Ἰωσῆ μητέρα αὐτὴν εἶπεν· ἐπείπερ ἦν ἄλλος Ἰάκωβος, ὁ τοῦ Ἀλφαίου, διὰ τοῦτο μέγας, ὅτι τοῖς Ἀποστόλοις τοῖς δώδεκα συνηρίθμητο: *Marcus autem Jacobi parvi, & Josetis matrem eam vocavit, quia erat alter Jacobus Alphei, magnus idcirco, quia duodecim Apostolis accensus erat.* Inficiari certe non possumus a Baronio dissensisse Autorem tum Clementinarum Constitutionum, cum Recognitionum, Eusebium, Epiphanium, Græcos, Syros, Æthiopes, quorum testimonia petantur ex pereruditæ illa Combefixiana dissertatione. Ex Recentioribus in hanc sententiam descenderunt Valesius, Hammundus, aliique plures, quorum nomen edere nil opus est. Me quod attinet eorum sententiæ sum, qui Jacobum fratrem Domini, & Jacobum Alphæi, unum & eundem hominem esse existimant, cum melioribus in fundamentis, ac firmioribus posita videatur.

Quo Patres ad Apostolica tempora propius accedunt, eo gravius est eorum testimonium de rebus Historicis, ni erasse certis argumentis deprehendantur. Jam vero qui Jacobum fratrem Domini, & Jacobum Alphæi, pro uno eodemque homine habuerunt, illi alios secus opinantes superant antiquitate. Clemens Alex. apud Euseb. Hist. l. 2. c. 1. Δύο δὲ γεγόνασιν Ἰάκωβοι, εἷς ὁ δίκαιος, ὁ κατὰ τοῦ πτερυγίου βληθεὶς, καὶ ὑπὸ κναφέως ξύλῳ πληγεὶς εἰς θάνατον. Ἕτερος δὲ ὁ καρατομηθείς. Αὐτοῦ δὲ τοῦ δικαίου καὶ ὁ Παῦλος μνημονεύει, γράφων· ἕτερον δὲ τῶν Ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον, τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου: *ceterum, duo fuere Jacobi: alter cognomento Justus, qui ex Templi fastigio præcipitatus, & a fullonis fuste percussus, interiit; alter qui capite truncatus est. Porro, Jacobi illius Justi meminit etiam Paulus, ita scribens: Alium autem ex Apostolis vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.* Tres Jacobos nescit doctus ille Presbyter, qui ineunte seculo tertio floruit. Hippolytus Portuensis Episcopus, Clementi Alex. coevus in libello de 12. Apostolis: Ἰάκωβος δὲ Ἀλφαίου, κηρύσσων ἐν Ἱερουσαλὴμ, ὑπὸ Ἰουδαίων καταλευσθεὶς, ἀναιρεῖται, καὶ θάπτεται ἐκεῖ παρὰ τῷ ναῷ: *Jacobus Alphæi prædicans Hierosolymis, lapidatus a Judæis occiditur, illicque prope Templum sepelitur.* Ex Antiquorum sententia dicit & Oecumenius: Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου ὁ

ἐπικληθεὶς δίκαιος, ὡς καὶ πρῶτος ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐπισκόπευσε, λίθοις ὑπὸ Ἰουδαίων βληθεὶς, ἀνῃρέθη ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐκεῖ θάπτεται: *Jacobus Alphæi, qui cognominatus est Justus, qui & primus Hierosolymis Episcopatum suscepit, a Judæis lapidatus, interiit in civitate Jerusalem, ac ibidem in Templo sepelitur.* Nec me præterit quidem, probandæ dissimili sententiæ, Hegesippum omnium antiquissimum a Combefisio adduci testem: sed verba quibus vir eruditus innititur, non magis tres Jacobos, quam duos indicant: ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο: *Jacobi enim nomine multi vocabantur*: unde sic colligit, *dixisset, nam erat Jacobus alius, nempe major, ac Zebedæi, si quidem agnovisset tantum duos Jacobos*: Quæ consequentia infirma est. Quid? si regeram: *Dixisset, nam erant duo Jacobi alii, nempe Zebedæi, & Alphæi*? Cum multa uni opponantur, Hegesippus phrasi sua duos Jacobos apte significare potuit.

Sed ex Sacra Scriptura argumenta longe firmiora petuntur; etsi Valesio aliter visum, non nesciam. *Multi*, inquit, *ex Veteribus, Jacobum fratrem Domini, eum qui primus Hierosolymorum Episcopus est ordinatus, non ex 12. Apostolis, sed e numero Discipulorum Domini fuisse, scripserunt—Certe huic opinioni favere videtur Paulus in Epistola ad Corinthios; ubi recensens eos quibus Christus post mortem apparuerat, postquam 12. Apostolos nominavit, & quingentos alios, addit deinde: Postea visus est Jacobo & reliquis Apostolis. Jacobum ergo distinxit a 12. Apostolis.* Annot. in Euseb. p. 18. Virum Eruditissimum valde miror, qui tam inerti argumento se moveri passus est. Apposite sane Estius: *At vero consequens ex hoc loco non est, (quod nonnulli consequens esse volunt) Jacobum, fratrem Domini, non fuisse ex Apostolorum numero, de quibus jam dictum est, & post hoc undecim sive duodecim: nihilo magis quam si inde colligas Petrum ex eo numero non fuisse: quoniam & de illo seorsum ait; visus est Cephæ. Tantum ergo significare voluit, Christum his duobus, Petro & Jacobo singulariter, hoc est, utrique soli, visum esse.* Ex singulari hac patefactione Christi, quæ Jacobo contigit, concludendum potius est, Jacobum, fratrem domini, in loco aliquo inter Apostolos esse repositum.

In præcipuis quidem fuisse hunc Jacobum, vincit eximius ille Pauli locus: *Alium autem ex Apostolis non vidi quenquam, nisi Jacobum, fratrem Domini*: Gal. 1, 19. Geminum Apostolorum in Scriptura

genus

genus eſt ; quod ab Ambroſiaſtro indicatur c. 1. in Gal. *Apoſtolum ſe non ab hominibus electum, & miſſum ad prædicandum teſtatur, ſicut erant quidam, qui electi ab Apoſtolis mittebantur ad Eccleſias roborandas.* Quam Apoſtolici nominis ſignificationem Paulus attendebat inter ſcribendum: *Salutate Andronicum & Juniam, qui ſunt inſignes inter Apoſtolos.* Rom. 16. Sed & Euſebius de Thaddæo, poſt aſcenſum Jeſu Chriſti, Judas qui etiam Thomas dictus eſt : *Θαδδαῖον τὸν Ἀπόστολον, ἕνα τῶν ἑβδομήκοντα: Thaddæum Apoſtolum, unum e Septuaginta, ad Abgarum miſit.* Quæſtionis igitur eſt, primo-ne Apoſtolorum ordini, Jacobus Domini frater inſeri debeat, an ſecundo? quod ſi in prima & magna Apoſtolorum claſſe eſt annumerandus, de trium Jacoborum ſententia conclamatum eſt. Atqui maxime Apoſtolorum ordini Jacobum Domini fratrem inſitum a Paulo fuiſſe, ex his apparet: *Cumque cognoviſſent gratiam mihi datam Jacobus, Cephas, & Joannes, qui exiſtimantur eſſe Columnæ, dexteras dederunt mihi ac Barnabæ ſocietatis*, Gal. 2. Potuitne diſertius ſignificari, Jacobum in numero maximorum Apoſtolorum eſſe repoſitum? An primo loco nominaretur, niſi perinde atque Joannes, & Petrus, ex maximis illis fuiſſet Apoſtolis, quos Orbis doctores Chriſtus deſignaverat? An una cum Petro, & Joanne inſigni pulchroque Columnæ titulo donatus, ſi de gente Apoſtolorum infima? Quid de majoribus Apoſtolis majus dici potuit, aut cogitari? An de Timotheo qui Evangeliſtam, hoc eſt, Apoſtolum inferioris ordinis præſtabat, eadem Paulus ſcripſiſſet; Timotheus, Cephas, & Joannes qui exiſtimantur eſſe Columnæ, dederunt mihi dexteras ſocietatis? An non hoc ſignum fuit æqualitatis in munere? in æqualitatem ſane Apoſtolicam Evangeliſtæ non aſſurgebant. Profecto, ſi Jacobus cognomento Juſtus, ſuo diſcrimine ab Alphæi Jacobo diſtinguitur, habet admirationem hæc res, quod nec Provinciam huic Jacobo aſſignatam prædicando Evangelio; nec Martyrium ejus antiqua commemoraverit Eccleſiæ Traditio. His quidem non obſcuris veſtigiis ſatis ſuperque indicatur, Jacobum Alphæi, & Jacobum Domini fratrem, nil differre.

His accedat Joannis teſtimonium: *Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus; Maria Cleopæ uxor; & Maria Magdalena.* Joan. 19. 25. Quænam vero fuerit illa Maria Cleopæ, a Mar-

eo notatum est, atque designatum accuratius, c. 15. 40. *Erant autem etiam & mulieres e longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi, & Jose mater.* Quæ proinde eadem & una cum uxore Clopæ habenda est. Alphæus porro & Clopas, distingui non videntur, cum חלפי pro vario τ‌ȣ ח pronunciandi modo, Græce per K. vel per A. efferri possit. Jacobus itaque, parvus, Jacobus frater Domini, Jacobus Alphæi, unus est & idem homo. Quocirca, Lucas in Historia Apostolica duorum tantum Jacoborum mentionem agitat, tertium si novisset Jacobo Justo majorem, illum non omisisset, discriminis causa. Quid porro causæ fuerit, cur Jacobus Alphæi, nomine fratris Domini donatus sit, Clemens Alex. aperire tentavit: Τότε δῆτα καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Κυρίου λεγόμενον ἀδελφὸν, ὅτι δὴ καὶ οὗτος τοῦ Ἰωσὴφ ὠνόμαστο παῖς: *tunc etiam Jacobum, qui frater Domini dicebatur, eo quod esset Josephi filius.* Euſ. l. 2. c. 1. Cui accedit & Epiphanius. Hær. 29. n. 4. Jacobus *enim Josephi, ex alia fuit quam Maria conjuge filius.* Sed nullis argumentis hanc in sententiam descenderunt: imo, non obscure a Scriptura refelluntur, quæ Mariam Clopæ, B. Virginis sororem fuisse aperte declarat. Joan. 19. Qua vero ratione Maria Mater Jacobi, sororis B. Virginis nomine affecta sit, adhuc est in dubio. An Germana iisdem parentibus sata? crediderim potius ideo Virginis sororem dici, quo Clopas ejus uxor, Josephi frater fuit. Ex Hebræorum quippe placitis, *familia matris non familia* : משפחת אם לא משפחה *familia seu cognatio materna, minime appellatur familia, seu cognatio, qua semper sequitur patrem,* inquit Eruditiss. Seldenus de Success. c. 12. De Clopa porro secundum Hegesippum sic memorat Eusebius l. 3. Τὸν γὰρ οὖν Κλώπαν, ἀδελφὸν τοῦ Ἰωσὴφ ὑπάρχειν Ἡγήσιππος ἱστορεῖ: *Nam Cleopham fratrem Josephi sic Hegesippus.*

An Paulus in Hispaniam profectus sit prædicando Evangelio? Affirmantis Pearson, aliorumque bene multorum cum illo conspirantium, opinio, ad examen revocata. Fundamenta hujusce sententiæ in verbis Paulinis jacta. Unde Patres hanc Pauli peregrinationem sibi affixere animo familiarius. Nutare Hispanicæ

panicæ profectionis fundamentum eo demonstratur, quod verba Paulina Legationem in Hispaniam indicantia, non ex oraculo, sed humano consilio dicta sint. Legatio Pauli Hispanica incognita Origeni, & Eusebio. Cum Annalibus Paulinis non conspirat. Paulus Neronianis vinculis liberatus, non contendit in Hispaniam, sed in Asiam, nec sine causa. Nullum Apostolicæ Ecclesiæ a Paulo in Hispania conditæ, in monumentis Antiquorum. Inscriptio Pisvergana, de purgata a Nerone Hispanica superstitione, falsi postulatur.

ILlustratur magnis in Ecclesiam meritis virtus Pauli: Deum immortalem! quot Provinciæ peragratæ? quot populi adacti Christi jugo a Sanctissimo illo Apostolo? *Ab Hierosolymis*, inquit, *& circum jacentibus Regionibus, usque ad Illyricum, implevi prædicandi Evangelii Christi munus.* Cumulandæ gloriæ Paulinæ, & Hispaniam fidei luce illustrandam suscepisse censent, cum Veterum, tum Recentiorum plurimi: quæ Traditio meis ponderibus est examinanda, cum ad Apostolicam Provinciarum divisionem pertineat. Clarissimus Pearson profectionem Paulinam in Hispaniam pro re certæ fidei habuit: *Et certe*, inquit, *eam Regionem vidit quam Clemens Rom. ejus itinera commemorans, appellat τὸ τέρμα τῆς δύσεως.* De hac quidem explicatione non immerito dubitari potest; & Clementis verba eodem jure accomodarentur peregrinationi Gallicæ, quam eruditus Parisiensis Præsul Petrus de Marca, sibi videre visus est. Mihi certum non Hispaniam, sed Italiam a Clemente designari; quippe quæ maris inferi respectu sic appellari potuit. Διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου: *in justitia mundum universum instruens, & ad Occidentis terminos veniens, & sub Imperatoribus Martyrium subiens, sic e mundo migravit.* P. 8.

Gravioribus argumentis Paulina in Hispaniam Legatio firmari potest, quibus prima specie multam induit veri similitudinem. Ac

primum

primum Paulus non semel futuræ profectionis Hispanicæ mentionem agitavit; Rom. 15. 24. *Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos.* Nec frustratam fuisse Pauli expectationem, illustrium Patrum sententia est. Hos inter magnus ille Athanasius nomen profitetur suum, ad Dracontium Epistola t. 1. p. 956. Καὶ μὴ ὀκνεῖ μηδὲ εἰς τὴν Ῥώμην ἀπέλθειν, μηδὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀναβῆναι: *neque Paulus segnescebat, omittebatve, quin Romam iret, & in Hispanias ascenderet.* Consentit & Athanasio Cyrillus Hier. Catech. 17. p. 204. Καὶ τὸν πότε διώκτην, κήρυκα καὶ δοῦλον ἀγαθὸν ἀπειργάσατο: ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὲν, καὶ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ Εὐαγγέλιον. Κατηχήσαντα δὲ καὶ τὴν Ῥώμην, καὶ μέχρι Σπανίας τὴν προθυμίαν τοῦ κηρύγματος ἐκτείναντα: *& persecutorem, in prædicatorem servumque bonum mutavit, qui ab Hierosolymus usque ad Illyricum disseminavit Evangelium; qui Regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam usque promptitudinem prædicationis extendit.* Legantur Epiphan. Hær. 27. n. 5, Chrysost. Orat. 7. in Paulum. Theodoret in Philip. 1. Hieron. in Esaiam c. 11. His omnibus antiquior Hippolytus: προῆλθεν ἕως Ἰλλυρικοῦ καὶ Ἰταλίας, καὶ Σπανίας, κηρύσσων τὸ Εὐαγγέλιον ἔτη λε: *pervenit usque ad Illyricum, & Italiam, ac Hispaniam, prædicans Evangelium per annos* 35.

Paulinæ in Hispaniam profectionis fundamenta in hisce locis collocantur: at si rem diligenter perpenderimus, tanti non sunt hæc testimonia, ut exceptione majora habeantur. Verbis Paulinis omnia innituntur: *Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos.* Atqui hæc non dicebantur ex oraculo, sed ex humano judicio, cui prosperi successus non semper dantur a Deo. Optima quippe consilia, non semper optime, & ex voto cadunt. Argumento est Paulus ipse: venit quidem Romam, sed catenatus, quam sane Legationem non attendebat inter scribendum: *Spero enim fore ut istac præteriens, conspiciam vos, & a vobis deducar illuc.* Nonne voluit iterum Corinthum contendere? *Volui*, inquit, *ad vos venire, ut secundam gratiam haberetis; & per vos transire in Macedoniam, & rursum a Macedonia venire ad vos, & a vobis in Judæam. Hoc igitur cum deliberarem num qua levitate sum usus?* 2 Cor. 1. 16. Quibus indicat spem hanc ipsi Deum præcidisse. Voluit & in Asiam, ac Bithyniam tendere, intercessit conatibus Spiritus ille Sanctus.

Mult

Multa ſunt quidem, quæ profectionem Pauli in Hiſpaniam in dubitationem adducunt. Origenem latuiſſe atque Euſebium his apparet: Τί δεῖ περὶ Παύλου λέγειν, ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκότος τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, καὶ ὕστερον ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος μεμαρτυρηκότος: *de Paulo jam quid attinet dicere, qui ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum, munus Evangelicæ prædicationis implevit, ac poſtremo Romæ ſub Nerone Martyrio functus eſt?* Profectio illa Paulina in Hiſpaniam veniſſet in notitiam Euſebio, rerum Eccleſiaſticarum ſcrutatori diligentiſſimo: atqui non venit, cum in Annales ſuos non retulerit. Præterea, Hiſpania tres in partes olim dividebatur; Bæticam, Luſitanicam, Tarraconenſem; An omnes, aut earum partem aliquam Paulus peragraverit, non declaratur a Patribus; adeo incerta eſt fama peregrinationis, atque confuſa. Sed nec cum Annalibus Paulinis conſpirare videtur in Hiſpaniam Legatio. Expleto biennio quo Sanctus ille Apoſtolus in libera cuſtodia detentus Romæ, Evangelium docuit, in Hiſpaniam inde navigare debuiſſet, ut munus promiſſi conficeret: Aſiam vero petiiſſe, indicio eſt Epiſtola ad Philemonem, v. 22. *Simul autem etiam para mihi hoſpitium: ſpero enim me per preces veſtras donatum iri vobis.* Locos bene multos quos poſt receptam libertatem Paulus peragravit, Scriptura commemorat: in Creta Inſula prædicavit, relicto ibi Tito, ut quæ reliqua erant corrigeret, & Presbyteros ibi per ſingulas urbes ordinaret. Epheſi aliquamdiu moratus Paulus, Timotheum ibi, cum inde in Macedoniam proficiſceretur relinquit, ut eam Eccleſiam, ſe abſente, adminiſtraret, 1 Tim. 1. 3. & 3. 14. 15. In Macedonia vero apud Philippenſes permanſit, ſicut eis antea promiſerat c. 1. 25. 25. 26. & 2. 24. Sed & cognoſcere poſſumus ex Epiſtola priori ad Timotheum, quidnam cauſæ ſit, cur Paulus Hiſpaniam non petierit: Hymenæus & Alexander, naufragium fidei facientes, teterrima hæreſeon lolia ſeminarant; ſimiliter Hymenæus cum Phileto, futuram reſurectionem negabat. Ad hæc extirpanda venena Paulus accurrit in Aſiam. Romam iterum rediiſſe Paulum monemur ex poſteriori ad Timotheum Epiſtola: *In prima defenſione mea, nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: ſed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me, ut per me impleretur prædicatio, & Gentes au-*

Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 1.

audirent. Urbem non exiisse, sed apud Gentes, Romam veluti ad communem Patriam, confluentes concionatum fuisse, hæc demonstrant: *Nam ego jam libor, & præstitutum tempus meæ dimissionis instat.* 2 Tim. 4. 6. Quibus accurate perpensis, non apparet, Roma relicta, Paulum in Hispaniam se contulisse.

His accedit quod nulla sunt disseminatæ a Paulo apud Hispanos fidei vestigia. Apostolicis peregrinationibus præsidente Spiritu, debuit profecto Paulus magnos ex sua Legatione fructus decerpere; numerosum populum convertere; Ecclesias fundare, quæ maximo honori fuissent ex claritate conditoris. Sua sic ratio Apostolis fuit, ut ampliores peterent urbes, Evangelio imbuendis hominum animis, sicque ex civitatibus Metropolitanis, magno veluti ex fonte, in minores urbes Religionis fluenta deducerentur. Insignis in hanc rem locus legitur apud Tertullianum de Præsc. c. 20. *Statim igitur Apostoli primo per Judæam contestata fide in J. Christum, & Ecclesiis institutis, dehinc in Orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei Nationibus promulgarunt; & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes.* Concesso Paulum in Hispaniam contendisse, constituit sane Ecclesias Apostolicas, propagandæ Religionis matrices, a quibus traducem fidei, cæteræ in eadem Provincia mutuatæ sunt. Certum porro est, atque obvium, Ecclesiis Apostolicis Antiquos justum sublimemque honorem habuisse, ex dignitate positoris. Sed & apparet ex Annalibus Ecclesiæ, viros insignes & Apostolicos, regendis Ecclesiis matricibus fuisse impositos: sic Linus Romanæ, Dionysius Athenienſi, Timotheus Ephesinæ, Titus Cretensibus Ecclesiis præfectus. Quid igitur causæ est, si Paulus condidit Ecclesias in Hispania, quod nominis & Ecclesiarum, & Episcoporum Apostolica manu ordinatorum, tanta posteritatem inobscuravit oblivio? In Tenebris Ecclesias Hispanicas, manu Pauli fundatas, abscondi potuisse, incredibile est; cum non modo fama hujus rei ubique locorum in Imperio Rom. volasset, sed & arctum cum sororibus

roribus Apostolicis, Ecclesiæ illæ coluissent commercium, & Legationibus & Epistolis. Liceat mihi defensores Paulinæ in Hispaniam peregrinationis, verbis Tertulliani compellare. Cœterum, si quæ Ecclesiæ apud Hispanos sint a Paulo conditæ; *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem, a Petro ordinatum edit: proinde utique & cætera exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant.* Tertul. de Præscript. c. 32.

Non me fugit quidem, a magno Scaligero, Grutteroque, veterem exhiberi inscriptionem, quæ jam Neronis temporibus, Christi Religionem in Hispania floruisse testificatur: *Ex ea Inscriptione deducendum,* inquit Doctiss. Pagius, *non tantum in Hispaniis, ejusmodi de Christiana Religione prostrata, erecta Trophæa, sed & in aliis Provinciis similiter factum est.* Sic habet Inscriptio: Ant. Pag. Crit. An. 64.

NERONI CLAVDIO CÆSARI AVG. PONT. MAX. OB PROVINCIAM LATRONIBVS ET HIS QVI NOVAM GENERI HVMANO SVPERSTITIONEM INCVLCARVNT PVRGATA.

QUa de Inscriptione sic censet illustris ille Scaliger l. 5. de Emend. Temp. p. 471. *Extat vetus Inscriptio in Hispania, loco Pisverga vocato, in qua, sine dubio, hæc crudelitas tangitur, si quidem vera est illa Inscriptio; nam dubito.* Gravem erudito Critico concitavit offensionem dubitatio Scaligerana: *Dubitat*, inquit, *an ea genuina sit; verum perperam; cum suæ suspicionis rationem nullam in medium afferat, nec cum fundamento afferri possit.* Nos dubitationis causas jam attulimus: nec nobis fit verisimile, Anno Christi 64. adeo in Hispania Religionem Christianam floruisse, ut de ea extincta atque suffocata, impio Neroni Trophæa erigerentur. Quin etiam incredibile est, tantæ carnificinæ, qua nefarius ille titulus sceleribus Neronis redditus est, *ob Provinciam, his qui novam generi humano superstitionem inculcarunt, purgatam*; carnificinæ, inquam, Ecclesiasticorum Annalium

nalium conditores adeo insolentes atque ignaros fuisse, ut hanc lanienam perpetuæ oblivionis tenebris obruerent: cum Ecclesiæ a Nerone deletæ, Apostolicæ essent, & a viris ubiqne gentium clarissimis administratæ. Denique, Gelasius Papa in Pauli peregrinationem intendit se adversarium, teste Baronio, An. 61. n. 2. *Beatus Paulus Apostolus* (verba sunt Gelasii) *non ideo, quod absit, se fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius, quoniam cum ad* His*panos se promisisset iturum, dispositione Divina majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronunciavit, quod revera voluisset efficere: quantum enim ad Divini secreta Consilii, quæ ut homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus, agnoscere, superna prætermisit dispositione præventus.* Mihi nunquam persuaderi potuit, Hispaniam fidei luce ante Gallias fuisse illustratam: atqui Galliæ serius Dei Religionem suscepere diu post extinctum crudeli funere Paulum.

ANNO XLIV. NUM. XXXVIII.

De adducta ad Christi disciplinam Africa. An Augustinus Salvianusque tradiderint, Africacos ab Apostolis Evangelium accepisse? Affirmantium & Francisci Combefixi error, repræsentatis Salviani, & Augustini verbis, coarguitur. Clarissimi Shelstrati argumentum ex Hippolyto petitum, ad imminuendam Dorothei, & Nicephori de Simonis Cananæi Legatione Africana autoritatem, iners esse perhibetur. Jacobum fratrem Domini, non decessisse Simoni Apostolo, compluribus ostenditur. Simon Clopæ Episcopus Hierosolymitanus a Simone Apostolo multum diversus. Magnum Valesii παρόραμα *circa Dorotheum. Shelstratiana de tempore Evangelii in Africam propagati sententia, ad examen revocata. In quibusdam Africæ Provinciis instillatam fuisse Christi Religionem, vitam ducentibus Apostolis, demonstratur.*

tratur. An Tertullianus Augustinusque initia Religionis Christianæ in Africa, ex Ecclesia Rom. repetant? Errores Shelstratiani complures coarguuntur.

DE Africa interventu Apostolorum ad Christi disciplinam adducta, testes Augustinum, Salvianumque Baronius suppeditat: *Augustinus*, inquit, *nec non Salvianus Massiliensis, constanter affirmant, Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse.* Quem & errorem Erudito Francisco Combefixo fœneravit: *Sic certe August. de Unit. Eccl. c. 15. & Salvianus de Provid. constanter affirmant accepisse Africanos Evangelium ab Apostolis*; quæ leguntur in Commentariis ad Hippolytum de 12. Apostolis. Ego vero constanter affirmabo pro certo, nec Combefixo, nec Baronio hic esse credendum. Hoc non dixit Augustinus, non Salvianus, quod aperte patebit, locis exhibitis. Audiatur Augustinus de Unitate Ecclesiæ, c. 15. *Si dicitis periisse in illis locis quod erat per Apostolos seminatum, & ideo esse rursus ex Africa seminandum; respondetur, legite nobis hoc ex divinis oraculis.* Sed ex Donatistarum sententia, non ex sua loquutus est Augustinus: *Si dicitis* inquit, &c. In Salviano majori huc errore decipiuntur. *Quid rogo*, inquit Salvianus l. 7. *fieri illic prodigiosius potuit in urbe Christiana, in urbe Ecclesiastica, quam quondam doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronarant; Viri in semetipsis fœminas profitebantur.* Quæ Massiliensis ille Sacerdos, non de Carthagine queritur, sed de Roma. Quid his Salviani clarius? *Hac ergo impuritas in Romanis, & ante Christi Evangelium esse cœpit, nec post Evangelium cessavit.*

Cæterum, Dorotheus in Synopsi, sibi induxit in animum, a Simone Zelote Africam Christi Religione fuisse imbutam: *Simon Zelotes peragrata Mauritania, & Aphrorum Regione, Christum prædicavit.* Cujus in sententiam descendit Nicephorus l. 2. c. 40. *Simon Zelotes Cyrenem & Aphricam, deinde Mauritaniam, & Lybiam peragravit.* Languida quidem Dorothei autoritas non immerito videtur erudito Shelstrato: sed tamen movetur inerti argumento: *Habemus*, inquit, *editum novissime a Francisco Combefix Hippolyti de 12. Apostolis ex MS. Codice Bibliotheca Regia historiam, &* Shelf. Eccl. Afric. Dissert. 1. c. 2. n. 2.

in ea, in Simone Zelote, ne γρῦ quidem de Africa. Sed vero consentire Traditionem Hippolyti fidem non habet. Σίμων ὁ Καναναίτης, ὁ τοῦ Κλωπᾶ, ὁ καὶ Ἰούδας, μετὰ τὸν Ἰάκωβον τὸν δίκαιον Ἐπίσκοπος γενόμενος Ἱεροσολύμων, ἐκοιμήθη, καὶ θάπτεται ἐκεῖ: *Simon Cananaeus, filius Cleophae, qui & Judas, post Jacobum Justum creatus Hierosolymorum Episcopus, obiit, sepeliturque eodem loco.* Hem! Apostolum creatum in Episcopum, ut decessori succedat! Quid est importare dignitati Apostolicae detrimentum, sic hoc non est? Nec id arrisit Erudito Combefixo: *Pro sententia Nicephori non leve videatur, videri minus congruum, ut Apostolus unus de duodecim, ei Sedi addiceretur, ceu peculiaris Episcopus, ubi maxime praefuisset alius secundi ordinis Apostolus.* Profecto, quem successorem Jacobi memorat Eusebius, forma dissimili in Simonem Apostolum erat: Καὶ δὴ ἀπὸ μιᾶς γνώμης τοὺς πάντας Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ, οὗ καὶ ἡ τοῦ Εὐαγγελίου μνημονεύει γραφὴν τοῦ τῆς αὐτόθι, παροικίας θρόνου ἄξιον εἶναι δοκιμάσαι: *omnes itaque uno consensu Symeonem, filium Cleopae illius cujus in Evangelio fit mentio, Episcopali Sede dignum judicaverunt.* Nec Apostoli titulus Simeoni adjungitur, nec de viro quem Christus duodecim eximiis Apostolis inseruerat, dignum diceretur. Itaque Clarissimus Valesius, *Hegesippi*, inquit, *& Epiphanii sententiam sequi malim, & Symeonem Clopae filium, qui Episcopus fuit Hierosolymitanus, a Symone, Josephi filio, distinguere.* Ne id quidem praetereundum est, in errore gravi hic versari Valesium: *Porro, hunc Symeonem, Clopae filium, quidam cum Simone Apostolo confuderunt, inter quos & Dorotheus in libello de Apostolis.* Aliud agebat quidem, vir ille in quo diligentia cum doctrina certat. Simon Zelotes Apostolus, a Symeone Clopae aperte distinguitur apud Dorotheum, nedum confundatur. *Symon* (verba sunt Dorothei) *Judas cognominatus, qui & post Jacobum Hierosolymorum Episcopus factus est, arbitror eum esse Jacobum Alphaei, sub Trajano Rege cruci alligatus, occisusque est in Ostracina, civitate Aegypti*, Itaque pro Simone Cananaeo, Simon successor Jacobi non habitus est a Dorotheo. His omnibus apparet & promptum est, Hippolytum non satis habere autoritatis ad imminuendam illam Dorothei, & Nicephori, de Simone Apostolo, Mauritaniam Afrorumque Regionem peragrante, ut Emmanueli Shelstrato visum.

Eusеb. Hist. Eccl. l. 3. c. 10.

An

An conjectura quadam Africanarum Ecclesiarum antiquitatem assequi possimus, nunc est videndum. Qua de quæstione doctissimus Shelstratus suam sic ostendit sententiam: *Secundo itaque Christi sæculo, statim post Apostolorum tempora, Africa fidem Catholicam recepit.* Eccl. Afr. Disser. 1. c. 2. n. 7. Quæ confusius dicta videntur. Provinciis compluribus Africa Romana constabat: Plinius libro quinto: *Mauritaniam, Tingitanam, Numidiam, Africam qua proprie vocatur Africa, Cyrenaicam, eandem Pentapolitanam Regionem, illustrem Ammonis Oraculo, Libyam, Mareotim, Ægypto conterminam*, in Africæ Provinciis annumerat. Quibus ex meliorum Geographorum scitis, Ægyptus inserenda: sed nec Æthiopia est prætereunda. Contra Meroitas arma Romanos disposuisse Strabo testis est: *Æthiopes quoque qui ad meridiem Meroenque pertendunt, nec ipsi valde multi sunt, nec congregati: quippe qui fluvialem Regionem longam angustamque habitant, qualem ante diximus; nec ad bellum, nec ad aliam vitæ rationem bene instructi: quin etiam nunc eodem modo tota Regio se habet: cujus rei indicium est, quod a tribus Romanis cohortibus, nec iis satis plenis, ea custoditur.* Evangelica luce refulsit Æthiopia diu antequam Petrus Paulusve in Italiam contenderent, ope ministri Reginæ Candaces, quem Philippus sacris undis Baptizatum expiaverat. Cyrenaicam Regionem Apostolis nondum defunctis, Christianam imbibisse Religionem, ad veri similitudinem accedit. Argumento sunt *illi Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam, loquuti sunt Hellenistis*: Act. 11. Cum popularium suorum amore pene omnes retineantur, simul atque Cyrenenses illi in Patriam remearunt, vix dubitari potest, quin Sanctam Christi notitiam, cum ea communicarint. Ignotis enim obscurisque hominibus Deus usus est sæpius, tradendo Evangelio; quocirca latent, atque absconditæ sunt Ecclesiarum bene multarum origines. Vitam ducentibus Apostolis, Alexandrina Ecclesia condita est; in urbem hanc florentissimam, quæ unius Romæ assurgebat honori, vicinarum Ægypti Provinciarum populi confluebant: ibi multos aura Evangelica afflatos fuisse, longe probabilissimum est, quin etiam Alexandrini fideles, pro sua pietate atque amore Christi, Evangelium per Regiones Alexandriæ proximas disseminarunt. Africam quæ proprie vocata est quod attinet, non ante vel præceps vertensque primum

seculum,

ſeculum, vel ſecundum rude, ibi conſtitutas eſſe Eccleſias aperte ſatis monemur a Tertulliano de Velan. Virg. c. 2. *Sed eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtolici viri condiderunt, & puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eandem conſuetudinis autoritatem, tempora & anteceſſores opponunt magis quam poſtera iſta.*

De fonte Eccleſiarum Africanarum atque principio ſic cenſet Eruditus Shelſtratus: *Conſtans omnium Veterum ſententia eſt, Romanam Eccleſiam, miſſo uno aut pluribus prædicatoribus, Africam fide imbuiſſe.* Diſſer. 1. c. 2. n. 7. Probandæ conſtanti huic omnium Veterum ſententiæ, Tertullianus atque Auguſtinus teſtes adducuntur. Pace ſua dixerim, animi candor non certat una cum Viri Clariſſimi doctrina. Qua de re faciendum judicium ex teſtibus excitatis. *Addit Tertullianus* (verba ſunt Shelſtrati) *videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit: ac ſi diceret; Quænam ſigna Religionis, teſſerarum inſtar, cum Africa poſuerit, quibus Africa cum Roma in unam fidei ſocietatem confœderatæ ſunt:* Egregium vero argumentum, ad faciendam fidem de miſſis in Africam *ab Eccleſia Rom. prædicatoribus*! Subtilitatem tuam Shelſtrate, atque explicationem illudimus, quam nullis exemplis firmare potes. Non eſt, non eſt in ullo Autore, vel Lingua, probandæ explicationi phraſis. Vox illa Tertulliani, *conteſſerant, ſigna Religionis, teſſerarum inſtar, cum Africa ponere*, non ſignificat; ſed teſſeras conjungere. Qui intellectus ut Grammaticæ Regulis, ſic & ſcopo Tertulliani atque conſilio eſt maxime conſentaneus. De Præſcriptionibus, c. 32. *Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis autorem ſuum proferant, ut multo poſteriores; quæ denique quotidie inſtituuntur: tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Conſanguinitati probandæ, viam hanc oſtendit, atque indicat Tertullianus, c. 36. *Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ; percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur; apud quas ipſæ authenticæ Literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſantantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque autoritas præſto eſt —*

Videamus

Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Nunc luce clarius est quid sibi Tertullianus voluerit: nimirum fidei conspirationem significat, Religionis concordiam, *doctrinæ consanguinitatem*, quibus mutuis veluti tesseris, Africanæ Ecclesiæ cum Romana copulabantur. Hoc est illud Tertullianicum, *quid cum Africanis Ecclesiis contesserarit.* Itaque non dicit Septimius, videamus *quid Roma docuerit Ecclesias Africanas*, quæ phrasis usurpanda fuit a Tertulliano, si voluerit ostendere fidem ab Ecclesia Romana in Africam fuisse derivatam. Dixit, *quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*; ut doctrinæ conspiratione, & illam, & has Ecclesias consentire declararet. Silentio dissimulanda non est festiva jocularisque in eam rem, Tertulliani Shelstratiana interpretatio; Dissert. 12. p. 64. *Et hoc erat quod Tertullianum, qui vel primos Religionis prædicatores noscere poterat, aut certe cum iis conversatus est qui eos noverant, fecit exclamare contra Hæreticos fidei Romanæ osores, c. 36. Præscriptionum; Habes Romam, unde nobis quoque autoritas præsto est.* Audiamus argutum Commentatoris acumen: *Vox authoritas, hic significat originem, ut notat eruditus Lovaniensium Doctor Christianus Lupus, idque juxta phrasim Tertulliano familiarem, ut hæc verba: Unde nobis quoque autoritas præsto est, nihil aliud significent quam Africanam Ecclesiam ex propagine Romanæ Ecclesiæ fundatam.* Felicem, Divinamque solertiam! stolidi erant, & Pamelius, & Rigaltius præ Shelstrato, & Lupo. Pamelius ille, Romanæ Sedi quantumvis obnoxius; Rigaltius, Vir ille amplissimus, in quo candor animi cum eruditione certabat, non eo solertiæ processere, ut *authoritatem* in Tertulliani verbis *significare originem* vel olfacerent. Nil miri, lupi acutum cernunt. Nos vero crassioris Minervæ homines, quibus tam acres insunt oculi, egregium illud acumen non cernimus in Tertulliano: imo vero, præcise negamus Lupo, & Shelstrato *autoritatem* significare Tertulliano, *originem.* Sed & adversarios magnis clamoribus provocamus, ut vel ex Tertulliano, vel ex Patribus, similis phraseos exemplum ullum præbeant: *Unde nobis autoritas præsto est, hoc designat, unde prima origo nascentis Africanæ Ecclesiæ.* Autoritas igitur in laudato Tertulliani loco, argumentum est atque regula judicandi de doctrinæ conspiratione Africanarum Ecclesiarum, atque *consan-*

guinitate, cum Romana illa Apostolica, apud quam ipsa authentica Pauli Epistola recitabatur, sonans vocem, & repræsentans faciem ejus.

Prodeat nunc Augustinus, testis alter Shelstratianus: Tertulliano *consonat D. Augustinus*, *Ep.* 162. *ubi loquens de Ecclesiis transmarinis, Romam extollit*: *Unde*, *inquit*, *Evangelium ad ipsam Africam venit.* Dissert. 1. c. 2. n. 7. Miram hominis confidentiam; facinus audax pene dicam. *Constans-ne omnium Veterum sententia* de Africa, a Romana Ecclesia Christi Religione primum imbuta, hisce fundamentis collocatur? Atqui Baronius, licet quo jure, qua injuria Romanæ Ecclesiæ honori velificetur, titubanter tamen atque timide Augustino utebatur: An. 44. n. 39. *Cæterum, Augustinus videtur profiteri Afros a Romana Ecclesia Evangelium accepisse.* Hem! videtur profiteri: hoccine est *Constanter* affirmare? Longe verecundior & parcior Baronius in judicando de Augustino, quam Shelstratus, cujus sane audacia non scitis pro meritis exagitari potest. Temeritatem contundat ipse Augustinus ex Epistola laudata: *Unde non mediocris utique autoritatis habebat Episcopum*, *qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum*, *cum se videret*, *& Romanæ Ecclesiæ*, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*; *& cæteris terris*, *unde Evangelium ad ipsam Africam venit*, *per Communicatorias literas esse conjunctum.* Non dixit ergo Roma Evangelium ad ipsam Africam venisse; imo, non obscure ab Ecclesia Romana distinguit *terras* illas unde in Afros derivata est Christi Religio. Romanæ Ecclesiæ assignat semper vigentem Apostolicæ Cathedræ principatum: aliis vero de terris deducit Evangelii in Africam propagationem. Quod & in Epistola ibi, Honorato scripserat: *Nosse debes quod facillime potest in illis omnibus partibus*, *unde istas terras Evangelium Christi perfudit*, *nec nomen Donati sciri*, *nec nomen Macarii.* Quibus Augustini, Tertullianus ipse illustratur: nec enim animo atque cogitatione fingi potest, Tertullianicæ sententiæ Augustinum fuisse insolentem. Itaque si Evangelii in Africam derivati, fontem atque principium Romanam Ecclesiam habuit Tertullianus, utique ad *terras* ab Ecclesia Rom. diversas, attulisset. Tantum abest ut Augustinus *Romanam Ecclesiam misso uno*, *aut pluribus prædicatoribus*, *Africam fide imbuisse*, existimarit; quinimo, contrarium ex ejus Epistolis

Epiſtolis non obſcure colligitur. In uno igitur Innocentio de Africana Eccleſia a Romana propagata, Traditio primum recumbit, qui teſtis facillime repelli poteſt ex Auguſtino. Nec Romani Pontifices de ſuæ Eccleſiæ privilegiis ac honoribus arbitri ſunt conſtituendi, gratiæ hic nimis obnoxii. Si Romana Eccleſia, *unum aut plures prædicatores* legaſſet in Africam, de diſſeminando Evangelio, incredibile eſt horumce Virorum nomen perpetua oblivione fuiſſe deletum: pro virili parte unaquaque nitente Eccleſia, Romana, ſcilicet, & Africana, ut æternæ memoriæ mandaretur.

AN. XLIV. NUM. XXII. & XL.

An Apoſtoli ad omnia mundi climata perrexerint? Tornielli & Antonii Pagii ſententia, ad examen revocata. Profectionem Apoſtolicam in Americam ex Scriptura probari non poſſe, demonſtratur. In novum Orbem excurſus Apoſtolicos, ignotos fuiſſe Patribus, oſtenditur ex eorum opinione de Antipodibus. Lactantius, Auguſtinus, Zacharias Papa adverſi atque infeſti Antipodibus, quibus tamen America eſt inſerenda. Tertullianus Mexicanas Peruvianasque Regiones in Provinciis Chriſto ſubditis, bene multis non annumerat. Origenis, Auguſtinique ævo, partes Orbis plurimæ inſolentes ignaræque Evangelii. Pagiana contradictio. Ex læto proſperoque Evangelii ſucceſſu tot Orbis Romani Provincias Apoſtolico miniſterio illuſtrantis, veritas Chriſtianæ Religionis aperte oſtenditur. Inſignia hanc in rem Clementis Alex. Auguſtini, Chryſoſtomi argumenta, atque teſtimonia. De percelebri Suetonii loco. An Chreſtus, cujus cauſa a Claudio Judæi Roma pulſi, Chriſtum Dominum ſignificet? Negantis Magni Uſherii ſententia rejicitur. An nominatim pulſi Judæi? Affirmans

firmans opinio, contra Clar. Valesium propugnatur. De Christianorum Romam incolentium numero, ex Cornelii ad Fabianum Epistola, solers Clar Sarisburiensis Episcopi conjectura. Romanorum Christo venerationem exhibentium multitudinem, summa Burnetiana longe majorem esse, ostenditur ex Plinio, atque Tertulliano.

DE Apostolorum in Orbem terrarum Legatione, jucundam secundum Torniellum quæstionem affert Eruditus Antonius Pagius, quam intactam præterire non possumus: *Quo anno Apostolorum divisio facta, est incertum; quemadmodum & utrum Apostoli ad omnia mundi climata perrexerint? Aliqui Scripturæ S. Interpretes aiunt in loco Marci c. 16. v. 15.* Omnem creaturam; *vel* omnem terram *in Ep. ad Rom. c. 10. v. 18. dici per Synecdochen, ita ut maxima pars pro toto usurpetur: vel Hyperbolicam esse locutionem, innuentem quantum paucorum industria valuerit. Sunt tamen, qui propagatam ubique terrarum Evangelii notitiam Apostolorum ævo scribant, quod multo sincerius, in proprio nimirum sensu, Apostoli verba intelligantur. Quod si quis dicat, non potuisse Apostolos transvehi in novum Orbem, & in Peruanas, ac Mexicanas Regiones; respondet Torniellus in Annales V. Testamenti, An. mundi 1931. n. 45. Americam cum aliis Orbis partibus habitatis, præsertim cum Asia, qua late patet, aut occultis semitis continuari, aut brevi aliquo freto distingui: in medio Oceani cursu non raras esse insulas, quasi scalarum vice per has vias ferri & homines & bruta potuisse; aut naufragio præter spem in vastissimas illas plagas appelli; nec forsan defuisse Angelorum obsequia, cum Angelis de prædicatione Evangelii cura, Deo jubente, fuerit.* De hac quæstione Eruditissimus Criticus pendere animi non videtur: sed in eam aperte inclinare, cum ad observationis suæ oram addiderit, *Evangelium etiam in America annuntiatum.* Crediderit, necne, nil refert: hoc unum urgeo, eam opinionem, quæ ubique terrarum Evangelii notitiam Apostolorum ævo propagatam fuisse contendit, longe falsissimam esse.

Ant. Pag. Critic. An. 42. n. 2.

Quatuor sunt corroborandæ firmandæque sententiæ præsidia: Scriptura,

Scriptura, videlicet, Ratio, consensus Antiquitatis, experientia. His omnibus auxiliis, ni me fallit animus, Tornielli, Pagiique sententia destituitur. In Novo Testamento plurima quidem loca sunt, quæ Tubæ Evangelicæ sonitum ubique increpuisse ævo Apostolico, dicere videntur: ac in primis celebris ille Pauli locus ad Coloss. 1. v. 23. *Non dimovemini a spe Evangelii quod audivistis*, *Evangelii, inquam, prædicati toti creato mundo, qui sub cœlo est*: certum præcepti Dominici, *prædicate Evangelium omni rei creatæ*, felixque complementum. Si majestas Scripturæ, quæ semper est conservanda, flagitat ut in proprio sensu hæc intelligantur, nulla Hyperboles admissa figura; nec in similibus utique locis, majestas hæc solvi debet. Quocirca, verba Lucæ, *erant Hierosolymis habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione eorum qui sub cœlo sunt*, de Americanis & Peruvianis Regionibus interpretari licebit: arctissimam famem ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην: *in toto terrarum orbe futuram*, Agabus cecinerat: incubuitne dira hæc fames & oris Magellanicis, & Regionibus Terræ Australis incognitæ, ad quas magna navigandi peritia nondum penetravit. Quid; si constituendæ Sacrorum codicum majestati, ex verbis Paulinis, *Evangelium prædicatum est toti creaturæ, quæ sub cœlo est*, descendamus in Clementis Alex. sententiam? Apostolos, scilicet, iis quoque qui erant apud inferos, annunciasse Evangelium. Nonne mundus ille subterraneus, perinde ac novus Orbis cœli convexis contegitur? Itaque, si figuram admittunt laudati Lucæ loci, quamobrem Synecdochem, Hyperbolemve respuerent, & illi Paulini, qui Apostolicæ in Americam Legationi accomodantur, nullus video. Omnibus affigi debet intellectus vel simplex propriusque, vel figuratus & Hyperbolicus: de similibus quippe idem ferendum est judicium. Non levi porro de causa Christus impulsus est, ut verbis adeo magnificis, Apostolis Legationem imperaret suam. Lex exiguis Judæorum limitibus definiebatur, ad quos salus tum pertinebat: idcirco a Christo dictum perhibetur Apostolis, primam Legationem obeuntibus; *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne ingrediamini.* Quos nunc removens terminos, exiguis Regni Judæorum angustiis opponit totius Orbis amplitudinem: *Docete*, inquit, *omnes Gentes.* Quis serio inducat in animum, ante quintum Neronis annum, Christi vero nonum &

& quiquagesimum, quo Epistola Colossensibus inscripta perhibetur a multis, Paulum in scribendo; *Evangelium prædicatum est toti terra, quæ sub cælo est*, hoc significasse, quod fides Peruvianis, Brasiliensibusque jam illuxerat? Apage explicationem.

Adjungendis Christo laudibus, lætos Evangelii successus ubique Scriptura commemorat: Paulum *ab Hierosolymis & circumjacentibus* Regionibus, ad Illyricum usque concionantem exhibet; nec varios in Asia, Europaque silet Apostolorum excursus. Quanto gloriosius ex America Christus triumphasset? Quam Pulchrum & decorum portari in Triumpho Barbaras gentes Romanis inaccessas, incognitas Orbi nostro, atque victricis Religionis jugum collo ducentes. Apostolos de dispergendo ubique terrarum Evangelio exhausisse mandata, non est in dubio. Porro, non id officii Christus imperavit quod supra captum Apostolicum fuit. Atqui vires paucorum numero hominum superabat quod totum Orbem terrarum, & veterem & novum, Americam, Africam, Asiam, Europam Ecclesias condendo, Evangeliumque ministrando, paucis adeo annis peragrarent, ac interfuere inter Christum cœlo donatum, & Paulum ad vincula Romana damnatum.

Si Americanis annunciatum fuit Evangelium, Patres tantæ peregrinationis abjecisse memoriam, non est vero simile: nullos tamen in Annales id Legationis relatum fuit. Quis inducat in animum, Tertullianum Legationem hanc Americanam in celeberrimo loco adversus Judæos, c.7. præteriisse silentio? *In quem enim alium universæ Gentes crediderunt, nisi in Christum qui jam venit? Cui enim & aliæ Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & Regionem Africæ quæ est trans Cyrenem inhabitantes? Romani, & incolæ tunc & in Hierusalem Judæi, & cæteræ Gentes: ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ Nationes, & Brittannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita.* Quid plura? America Antipodibus est inserenda: proindeque Apostolicæ in Americam Legationis Patres insolentes fuisse, certum atque exploratum, cum in fabulis Antipodes reposuerint. Lactantius, l. 3. c. 23. *Quid illi qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant?*

tant? Num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sunt superiora quam capita? Aut ibi quæ apud nos jacent inversa pendere; fruges & arbores deorsum versus crescere; pluvias, nives & grandines sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari, cum Philosophi & agros, & maria, & montes pensiles faciant. Hæc & opinio Augustini animum imbuerat, De Civit.l.16.c.9. *Quod vero & Antipodas esse fabulantur, id est, homines a contraria parte terræ, ubi Sol oritur quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia; nulla ratione credendum est. Neque hoc ulla Historica cogitatione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinatione conjectant, eo quod intra convexa cœli terra suspensa sit.* Sequentia sunt observatu dignissima: *Deinde, etiamsi nuda sit terra, neque hoc statim necesse est ut homines habeat, quando nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur: nimisque absurdum est ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse.* Denique, Papa Zacharias, Epist. ad Bonifacium Anno 748. scripta, Virgilium Presbyterum impietatis insimulat, quod Antipodas esse statuerit. *De perversa autem & iniqua doctrina, quam contra Deum, & animam suam locutus est; si clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alius mundus, & alii homines sub terra sint, hunc, accito Concilio, ab Ecclesia pelle, Sacerdotii honore privatum.* Usherii Syll. Epist. Hibern. Ep. 17. Si judicio Vicarii Christi steterimus, insignem sane impietatis notam non effugiet Pagiana Torniellianaque sententia: quippe quæ vera esse nequeat, nisi alii homines *sub terras* agant, quos Evangelii fax illustravit. His tuto colligere possumus & venerandam Antiquitatem, Apostolicæ in Americam Legationis ignaram fuisse, atque insolentem; & Legationis hujusce fautores Tridentinæ adversari Regulæ, prohibenti, ne Scriptura explicetur *contra eum sensum quem tenuit Ecclesia.* Certe autem & certo scio loca Novi Testamenti ad Peregrinationem Americanam accomodari contra Patrum omnium sententiam, atque explicationem.

Argumentorum agmen claudet experientia: Seculo quippe Origenis Religio Christiana ubique terrarum nondum propagata fuerat, nedum ævo Apostolico ubique volasset: *Et in hoc statu,* inquit, *consti-* Orig. Hom. 28. in Matth.

constitutis rebus, Evangelium *quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo; multi enim non solum Barbararum, sed etiam nostrarum gentium usque nunc non audierunt* Christianitatis *verbum: tunc autem prædicabitur, ut omnis gens* Evangelicam *audiat prædicationem.* Testis & Augustinus, qui ævo suo, multas Regiones, ne vel levissima Christi auditiuncula respersas fuisse, tradidit: *Sunt apud nos, hoc est, in Africa, Barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum* Evangelium, *ex iis qui ducuntur inde captivi, & Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Pauci tamen anni sunt, ex quo quidem eorum rarissimi, atque paucissimi, qui pacati* Romanis *finibus adhærent, ita ut non habeant* Reges *suos, sed super eos præfecti a* Romano *constituantur imperio, & illi ipsi eorum præfecti* Christiani *esse cœperunt. Interiores autem qui sub nulla sunt potestate* Romana, *prorsus nec* Religione Christiana *in suorum aliquibus detinentur.* Quænam Apostolica profectio in illas Regiones, quas & mulier captiva apud Iberos, & Frumentius, Ædesiusque ad Christi Religionem adduxere? An lux Evangelica refulserat in Regionibus ad Bonæ spei Promontorium jacentibus, ubi tam atra nox ignorantiæ incubabat, cum Europaæ naves eo pervenere; ut Barbari Dæmonum, Deorumque prorsus insolentes, ipsam humanitatem exuisse viderentur. Quid? An Apostoli, Evangelistæve in Jucatanensem Regionem penetrarant? Audiatur Martyr, Libro de insulis nuper repertis: *Templa frequentant, ad quæ primarii vias ex propriis domibus sternunt: Idolorum culturæ indulgent; sunt recutiti.* Si Barbarorum auribus fides nonnunquam instillata fuit, obscura quædam susceptæ olim Religionis vestigia agnosci debuere a Christianis, ad has oras applicantibus: nec injuria temporis, Christi nomen, aut Baptisma penitus deletum fuisset apud Barbaros, & institutorum suorum tenacissimos, & nullum exteris cum populis colentes commercium. An sibi consentiat Eruditus Pagius, ipse viderit: An. 42. n. 5. p. 38. *Schelstratus Bibliotheca Vaticanæ præfectus* (verba sunt Pagiana) *in Dissertatione* 1. *de Ecclesia Africana c.* 2. *Demonstrat, nullam in Africa Ecclesiam per Apostolos institutam fuisse — existimatque fidem secundo Ecclesiæ seculo in Africa disseminatam esse.* Jam vero si fides secundo Ecclesiæ seculo in Africa disseminata est, *propagatam ubique terrarum Evangelii notitiam, Apostolorum ævo* fuisse, longe falsissimum est. Ex

Aug. Epist. 80 Hesychio.

Ex læto prosperoque Evangelii successu quod paucis adeo annis tot imperii Romani Provincias luce sua collustravit, potentissimum ducitur argumentum ad veritatem Christianæ Religionis confirmandam. Itaque, dum in hac cogitatione animum voluto, placet tam illustri materiæ ex Patribus nonnulla addere, quæ plurima observatione sunt dignissima.

Admiratione plurima Clementis Alex. mulcebatur animus, cum efficaciæ Evangelii advertebat animum. Ad genua Tyrannorum humi prostrata Philosophia ceciderat; ipsos vero Tyrannos, perinde atque Philosophiam, triumphavit Evangelium: Καὶ τὴν φιλοσοφίαν τὴν Ἑλληνικὴν ἐὰν ὁ τυχὼν ἄρχων κωλύσῃ οἴχεται παραχρῆμα, τὴν δὲ ἡμετέραν διδασκαλίαν ἔκτοτε σὺν καὶ τῇ πρώτῃ καταγγελίᾳ, κωλύουσιν ὁμοῦ Βασιλεῖς, καὶ τύραννοι, καὶ οἱ κατὰ μέρος ἄρχοντες, καὶ ἡγέμονες, μετὰ τῶν μισθοφόρων ἁπάντων: πρὸς δὲ καὶ τῶν ἀπείρων ἀνθρώπων καταστρατευόμενοι ἡμῶν, καὶ ὅσῃ ἐκκόπτειν πειρόμενοι, ἡδὲ μᾶλλον ἀνθεῖ: *Et Græcam quidem Philosophiam, si quis Magistratus prohibuerit, ea statim perit: nostram autem doctrinam a prima usque prædicatione prohibent simul Reges & Tyranni, & singuli Duces & Magistratus, cum universis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus in nos belligerantes; illa autem magis floret.* Clem. Alex. Strom. l. 6. Sapienter & docte Augustinus l. 22. de Civit. c. 5. *Tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt: Incredibile est enim, Christum Resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis, persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti cum quibus agimus credere: secundum coguntur & cernere, quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium.* Quibus & ea addenda sunt quæ fusius Sanctus ille Pater exequitur ejusdem libri c. 6. *Quis autem prohibitus est aut Romulum, aut Herculem, aut alios tales homines Deos dicere, & mori maluit quam non dicere? Aut vero aliqua gentium coleret inter Deos suos Romulum, nisi Romani nominis metus cogeret? Quis porro enumeret, quam multi quantalibet sævitia crudelitatis occidit, quum Christum Deum negare maluerunt. Proinde metus quamlibet levis indignationis quæ ab animis Romanorum si non fieret, putabatur existere, compellabat aliquas civitates positas sub jure Roma-*

no, tanquam Deum colere Romulum. A Christo autem Deo non solum colendo, verum etiam confitendo, tantam per Orbem terræ Martyrum multitudinem metus revocare non potuit: non levis offensionis animorum, sed immensarum variarumque pœnarum, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur.

Chryf. Demonft. quod Chrift. fit Deus.

Hæc de causa Magnus ille Chrysostomus, ex illa Evangelii efficacia, veritatis Religionis Christianæ primum argumentum duci voluit. *Si ad Gentilem dixero Christus creavit cœlum, vel terram, vel mare, non me feret; incredulus enim est. Sin dixero mortuum excitavit, cæcos curavit, Dæmones fugavit, neque hoc accipiet. Denique, si dixero quod Regnum & ineffabilia bona promiserit, hoc non solum non credet, sed videbit. Unde igitur illum, maxime si idiota est, instituemus? Non aliunde quam ab iis quæ inter nos & illum confessa sunt, & quæ in dubium revocari nequeunt—Quæ igitur sunt, quæ & ille fecisse Christum confitetur, & non contradicit? Quod Christianorum genus plantavit Christus. Neutiquam enim contradicet, quod omnes undequaque Ecclesias Orbis Christus fundaverit. Hinc faciemus Demonstrationem virtutis Christi, & ostendemus ipsum Deum. Etenim non est puri hominis in tantis rebus Orbem terræ marique tam brevi tempore comprehendere; & tam absurdis moribus præventum, tantisque malis irretitum, liberare hominum genus, & non Romanos tantum, sed & Persas, & omne ut sic dicam Barbarorum genus. Insuper quod hæc confecit nullis usus armis, nullos faciens sumptus, nullos movens exercitus.*

Quanti vero obices Evangelio propagando objecti sint, carceribus, exilio, morte, sciunt vel pueri qui nondum ære lavantur. Roma pulsi Christiani illi qui ex Judæorum Grege se Dominicæ disciplinæ addixerant. Quod & a Suetonio scripto proditum c. 25. *Judæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Claudius Roma expulit.* Cui insigni loco tenebras offudit Magnus ille Usherius, qui ad Christum referri debere Suetonium præcise negat in Annalibus: Æræ Dom. Anno 54. Eruditissimi viri verba sunt: *Hujus Chresti solus, ni fallor, meminit Suetonius: nam Christum D. N. a quo Christiani, alibi ab eodem memorati, denominationem acceperunt, hic ab illo fuisse intellectum, adhuc mihi persuadere non possum.* At mea quidem sententia, de alio quam de Domino Servatore Suetonius nequit explicari.

Nec

Nec dubium fecisset alicujus animum Historicus ille, si *Chresti* loco, Christum posuisset. Hoc vero, an illo modo nomen scriptum fuerit, nil refert; cum certo sit certius ab Ethnicorum antiquioribus *Chrestum* pro *Christo*, & scribi, & pronunciari. Argumento sit Tertullianus adversus Gentes c. 3. *Sed cum perperam Chrestianus pronunciatur a vobis, nam nec Numinis certa est notitia penes vos, de suavitate, vel benignitate compositum est.* Quibus apparet Romanos, ut Chrestianos pro Christianis; sic Chrestum appellationis fontem atque originem, non Christum dixisse. Sed & in hanc rem Lactantius disertissimus est testis, atque locuples. l. 4. c. 7. *Sed exponenda hujus nominis ratio est, propter ignorantium errorem, qui cum immutata litera, Chrestum solent dicere.* Judæos porro Christo addictos, cum aliis Roma pulsos esse, Valesius non diffitetur quidem; sed *nominatim* ejectos fuisse non existimat. *Ac profecto*, inquit, *nequaquam verisimile est, Claudium Imp. qui tanta benevolentia semper Judaos complexus est, ut patet ex multis ejus Edictis quæ apud Josephum leguntur, ipsos nominatim Judaos Urbe expulisse. Crediderim potius cum magna Roma fames orta esset, id quod Anno Claudii decimo refertur in Chronico Eusebii, Claudium omnes peregrinos Urbe expulisse, inter quos etiam fuere Judæi.* Annot. in Euf. l. 2. p. 33. Vereor ut Clarissimi Viri sententia ad Lucam, Suetoniumque quadret. De Judæis diserte Urbe pulsis, non de peregrinis a Suetonio mentio agitatur: & arctior olim, Claudio imperante, Romanos fames invaserat, nec ideo Claudius decreto suo viduarat Urbem Judæis. Ad famem sane hæc referri nequeunt; *Judaos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Claudius Roma expulit.* Ingenium Principum varium & mutabile semper. Nec a veri specie abhorret Claudium, sive inconstantia animi, sive Libertinorum instigationibus, aut alia quacunque de causa, benevolentiæ suæ erga Judæos ardorem remisisse.

Divinæ Evangelii efficaciæ potens & argumentum florentissimus, Papa Cornelio sedente, Ecclesiæ Romanæ status suppeditat. Arxerat Idololatriæ Roma, omni etiam voluptatum genere circumfluens, atque fuso Martyrum sanguine infecta. Epistola porro Cornelii, Fabiano scripta, maximum tum fuisse Romanorum Religionem Christi profitentium numerum, ostendit, declaratque. Ergo

ille Evangelii vindex Novatianus, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; Πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα — χήρας σὺν θλιβομένοις ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας: *in qua tamen sciebat, quomodo enim illud nescire potuisset? Presbyteros quidem esse quadraginta sex*, (ingenti errore Typographi legitur in Editione Valesiana, *quatuor* & quadraginta) *septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolythos duos & quadraginta — Viduas denique cum infirmis & egentibus plusquam mille, & quingentas.* Ad numerum tot hominum Christi Numini venerationem exhibentium obstupui non semel admiratione. Admiranti mihi incidit Itinerarium Helvetiæ, Italiæque, a Cl[illegible]mo Burneto Sarisburiensi Episcopo conditum: acumine in[illegible]ii non exiguo Doctissimus ille Præsul, ex laudata Cornelii Epistola, numerum hominum quibus anno 251. Ecclesia Romana constabat, deprehendere sibi visus est: tôtam porro multitudinem ad quadraginta circiter hominum millia redigit, ratione habita tum Presbyterorum, cum viduarum, egenorumque quibus Dei benignitas alimenta suppeditabat. Meo quidem judicio, numerus longe major existimandus est, si Plinio Tertullianoque fides. Plinius scribens ad Trajanum de Bithyniæ, cui præerat, Christianis: *Certe*, inquit, *satis constat prope jam desolata Templa cœpisse celebrari, & Sacra solemnia diu intermissa repeti, passim venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur.* Nec vero simile est Christi Religionem minus in urbe Romana floruisse, quam in Bithynia. Cujus rei defixum ad memoriam omnium gentium sempiternum judicium, reperitur in Apologetico Tertulliani c. 37. *Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacunque unius tamen loci, & suorum finium gentes quam totius Orbis? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, forum: sola vobis relinquimus Templa---Si enim tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique damnationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, imo etiam & ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem*

Euseb. Hist. l. 6. c. 35.

nem vestram, ad silentium rerum & stuporem quendam, quasi mortuæ urbis, quæsissetis quibus in ea imperaretis. Ingentem Christi cultorum in urbe Romana multitudinem, qua pulsa, civitas illa tot incolarum millibus abundans, *mortuæ urbis* similitudinem arripuisset.

AN. XLIV. NUM. XXV.

De Petri Romam adventu. Baronii, Bellarmini, Petavii, aliorumque bene multorum, Petrum in Urbem venisse Anno Claudii secundo statuentium, sententia, accurate ad examen revocata. Cum Antiquitatis pene totius opinione pugnare ostenditur. Orosius Anno 1°. Claudii, non secundo; Marcellinus Comes ultimo Caligulæ; Beda Claudii quarto adventum Petri Romam illigavit. Eusebiana de Petro Romam proficiscente Chronologia, ex Josepho falsi damnata. Agrippa rudi anno Claudiani imperii secundo Romæ agens, ante Paschale festum adesse Hierosolymis non potuit, ut Jacobum ad mortem, Petrum ad vincula damnaret. Ex anno Agrippæ emortuali refellitur & Chronologia Eusebiana. Baronii contradictio. Petrum Sedem Romanam non tenuisse annos sive quinque, sive quatuor & viginti, demonstratur cum ex Scriptura, tum ex Patribus. Episcopatus ille Petrinus titulum Apostoli Gentium abdicat Paulo. c. 2. ad Gal. v. 7. Explicatur ex Gregorio n. 29. & Ambrosiastro. Tertullianus, Clemens Alex. Lactantius, Sulpicius Severus, Augustinus, Latinorum Traditioni de Petro viginti quatuor annos Sedem Rom. occupante, adversarii. Lapsus Petavii circa Dionysium Corinthium. Fraus Bellarminiana in laudando Eusebio de profectione Petrina Romam. Iners

Purpurati ratio probandæ institutioni Romanæ Ecclesiæ ministerio Petri. Ex Tertulliano, Autore Recognitionum, rationeque ostenditur, Petrum in urbem Rom. fidem primum non invexisse.

NObilem de Petri in Urbem adventu quæstionem, nunc ingredimur. Viri quidem præstantissimi, vetusta Patrum Traditione totis viribus pugnantes, omnium ore celebrem Peregrinationem, veluti commentum fabulosum eliminant ex Historia. Alii vero, numero longe plures, quorum potior sententia nobis videtur, atque melior, de Petrina Romam profectione non dubitant. *Quæ, malum, impudentia est, id quidem quod nemo Veterum dixit, temere affirmare? Petrum, scilicet, sedem fixisse Babylone: id vero quod Veteres omnes Ecclesiastici Scriptores disertissime prodiderunt, adventum videlicet Petri in Urbem Romam pertinaciter negare.* Quæ Clarissimi Valesii plus æquo commoti, aspera in adversarios verba sunt. Eorum porro qui constanti de Petrina in Urbem profectione favent Traditioni, non una est Chronologia. Eusebiano calculo Baronius, Bellarminus, Petavius, Cabassutius, aliique complures adhæsere. *Petrus igitur ante Paulum* (verba sunt Petavii Doct. Temp. l. 11. c. 24.) *Romam venit, & Episcopus ibidem fuit; imo vero primus Christianam eo fidem invexit, si Dionysio Corinthiorum Episcopo credimus, qui apud Euseb. l. 2. Hist. c. 24. Petrum ait Romanam Ecclesiam fundaße.* Hac in Chronologia veluti stabili fundamento, Errores plurimi collocantur. Episcopatus videlicet Petrinus, annos quinque & viginti Romæ perdurans: Legatio Marci Alexandriam, Anno Claudii tertio: prima Petri Epistola hoc ipso anno scripta: Evangelium Marci in Romanorum gratiam Latine conditum: missio Trophimi Martialisque in Gallias: perturbata Martyriorum tempora, aliaque ejusmodi quæ & Historiæ, & Chronologiæ portenta sunt, ac pene funera. Ab imis itaque sedibus convellenda est Chronologia tam absona.

Satis mirari adversariorum pertinaciam non queo. Si mendis quidem omnibus bene purgaretur Eusebiana Chronologia, ne vel ad latum unguem ab ea discedendi, felici quadam necessitate astringeremur. At in multis peccare, vel illi ipsi profitentur, quibuscum dimicamus, & jam satis probatum est. Præterea, cur a comitatu Eusebii

Eusebii, Hieronymique nolint divelli, nulla causa est; cum ab Eusebiana Chronologia Antiquorum illa quam longissime diffideat: ut si altam vetustatem, numerumque secus opinantium attenderimus, nil est cur Traditionem constantem laudent. Equidem non possum Baronio gravem temeritatis notam non inurere: *Petrum*, inquit, *hoc anno Claudii Imper. secundo, venisse Romam, communis omnium sententia est.* An verissima dixerit, sequentibus docebimur?

Ex illorum numero, qui Claudio imperante Petrum Romam se contulisse existimant, plurimi a Chronologia Eusebiana discrepant. Nisi me animus fallit, Petrinum adventum, primo Claudii Anno, asseruit Orosius, l. 7. *Exordio Regni Claudii Petrus Apostolus Domini nostri J. Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem, fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque exinde Christiani Romæ esse cœperunt.* Ad suam quidem opinionem Eusebiani hunc testem accomodant, sed frustra omnino: secundus Claudii quippe annus pene vertens incongrue dicitur, *Regni exordium.* Pars orationis prima qua auditoris attentio captatur, appellatur *exordium.* Et legitur apud Ciceronem, *atque hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus.* Nec mirum Orosium ad Claudiani Regni initium Apostolicam retulisse Peregrinationem: in eandem pene sententiam descendit Marcellinus Comes in Chronico, p. 51. *Indictione 3ª. Filoxeno & Probo Coss. Joannes Rom. Ecclesiæ Papa 51. Anno a Petro Apostolorum Pontificumque præsule 485. Sessionis ejus, Theodorico Rege pro Arianorum suorum cæremoniis reparandis laborante, solus duntaxat Romanorum sibi decessorum, Urbe digressus Constantinopolim venit.* Annus erat Christi quingentesimus vigesimus quintus: at si quadringentos quinque & octoginta annos deduxerimus a summa annorum 525. supersunt anni 40. qui in ultimum Caligulæ incidunt. Monendus interea Lector est, errore Typographico affectam esse Marcellini Chronologiam, locoque numeri CCCCLXXV, legendum esse CCCCLXXXV, ut monuit me magnus Scaliger, Euseb. Animadv. p. 189. Alioquin Anno Christi 50. Claudii decimo, Petrus Cathedram Romanam posuisset, quod nulli Veterum Chronologiæ consentit; & Baronianam evertit.

Anno Claudii 4°. Petrum ad Urbem appulisse, Bedæ sciscit Chro-

Chronologia : *Sequitur ergo Beat. Petrum, eodem 14. post passionem Domini anno, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus, Romam venisse credamus, id est, quarto Claudii Cæsaris Anno.* Quæ leguntur in Chronico Urspergensi p. 44. & quod mirum dictu, Scriptorum omnium animos opplevisse hanc opinionem ibi narratur: *Petrum 40. Claudii Anno Romam venisse, fere omnes Sanctorum temporum Scriptores testantur: & hoc exinde verum conjicitur, quia Petrus Sedem Rom. viginti quinque annis tenuisse dicitur, & ultimus Neronis annus, quo Petrus passus esse narratur, vigesimus quintus a 4°. Claudii numeratur.* Autor Chron. Alex. Petrinum adventum in urbem Romam tardius refert; scribit enim Paulum venisse Hierosolyma ob Controversiam de Circumcisione Anno 6°. Claudii: eoque anno celebratum esse Concilium Hierosolymitanum, Apostolis nondum a se invicem disjunctis. Itaque ex ejus sententia, Petrus non ante annum 7. Claudii, Romam profectus est. Epitome Temporum in Thes. Temp. p.265. in primo Claudii anno Antiochenæ Ecclesiæ fundamenta a Petro posita esse, memorat: Ἐπὶ Ἰουλίου τῶν ὑπάτων Πέτρος ὁ ἅγιος Ἀπόστολος πρῶτος τὴν Ἐκκλησίαν Ἀντιοχείας θεμελιοῖ: *Claudio Cæsare & Cersiano Coss. Petrus, Sanctus ille Apostolus, primus Ecclesiæ Antiochenæ fundamenta jecit.* Eo pertinent & Apollonii, Clementis Alex. aliorumque testimonia de præcepto Dominico ne ante 12. a descendente Spiritu annos Apostoli extra fines & terminos Judææ egrederentur. Magna igitur est in scribendo Baroniana temeritas, cum ex Antiquis pauci sint numero, qui Anno Claudii 2°. Petrum venisse Romam exstimarint. De Lactantio atque Nicephoro, qui Neronis imperio Petrinum in Urbem adventum illigant, infra dicetur.

Falsam esse Eusebianam de Petri profectione Romana Chronologiam, argumentis nunc est demonstrandum. *Dies erant Azymorum*, cum præcipiente Agrippa Rege, Petrus in vincula compactus est; quibus ope liberatus Angelica, *in alium locum abiit*: Romam, scilicet, si Cardinalibus Baronio Bellarminoque fides. Atqui veritati repugnat, nec non Historiæ, annum hunc, quo Rex Judæorum sævitiam adhibuit in Jacobum, Petrumque, in Claudii Imperatoris secundum incidisse. En testem omni exceptione majorem, Josephum, Antiq. l. 19. c. 4. Rogatu Agrippæ Herodisque Claudio amicissimorum, promulgatum est Edictum quo Judæis in Orbe Romano

mano degentibus, suis uti legibus permissum est. Agebat tum Romæ Agrippa Rex, cum Decretum conditum fuit, Anno Claudii secundo: Τιβέριος Κλαύδιος, Καῖσαρ, Σεβαστὸς, Γερμανικὸς, Ἀρχιέρευς μέγιστος, Δημαρχικῆς ἐξουσίας ὕπατος χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον, λέγει: *Tiberius Claudius Cæsar, Augustus, Germanicus, Pontifex Max. Tribunitiæ potestatis Consul designatus 2°. edicit.* Edicto Alexandriam & per totum terrarum Orbem misso, Agrippa mox ad Regnum suum administrandum venit. Quis vero hanc sibi persuasionem induet, Agrippam, qui Anno Claudii secundo ineunte Romæ adhuc degebat, præsentem adfuisse Hierosolymis, ante festum Azymorum, circa mensem Martium celebratum? Salutandi erant amici quos plurimos magnique nominis habebat: relicta deinde Roma æquor arandum: Judæorum quippe Regibus Romam venientibus, aut Hierosolymam redeuntibus, iter facere navibus, moris erat. Sic discedenti Agrippæ in Regnum, suaserat Cajus ne Brundusio solveret ad Syriam petendam, quod ea navigatio longa esset, & difficilis; uteretur potius compendiaria per Alexandriam, expectatis Etesiis; & paruerat Imperatori. Sic Antipas Herodes: εἰς τὴν Ῥώμην ἔπλει: *Romam navigat*, post pactas Herodiadis nuptias. An ergo se suosque Pelago commisit Rex Judæorum, navibus in Palæstinam transportandus, sæva crebraque procellis hyeme regnante? Tunc fessas naves vincula portu tenent, donec solvatur acris hyems, grata vice veris & favonii. Hierosolymis ergo Agrippa non adfuit mense Martio anni Claudiani secundi: proindeque in sequentes annos, sive tertium, sive quartum Petrina captivitas incidit.

Quin etiam Agrippæ obitus, novum in Eusebianos sufficit argumentum. Cum Luca collatus Josephus, non facit dubium animum alicujus, eodem anno contigisse, & Petri liberationem, & Agrippæ mortem. Τρίτον δὲ ἔτος αὐτῷ βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο, καὶ παρῆν εἰς πόλιν Καισαρέαν: *jamque tertium Judææ totius Regni annum exegerat, cum pervenit in urbem Cæsaream*, ubi fato concessit. Nec diu post liberatum vinculis Petrum, vindex Dei Numen, Regii supplicii moram attulit. Quod & a Baronio, sese gladio suo jugulante, imprudenter concessum est: *Cum liber e carcere Hierosolymis egressus Petrus eam Syriæ partem, Antiochiam usque peragravit: eamque fuisse caussam existimamus, quod Cæsaream se Agrippa contulerit.*

Quam improvide, Baroni! Ergo eo ipso anno quo Angelica manu Petrus liberatus est, illum Agrippa insequebatur. Nec enim hæc firmis copulationibus jungi possunt, quod & Agrippa momento Petrum liberatum insequens, Cæsaream venerit, ubi non multo post ad plures abiit, Anno Claudii 4°. & nihilominus Petro exciderint vincula, Anno Claudii 2°. An biennium vestigiis institit Petri fugientis? Verissime ergo atque sapienter Valesius & Petri liberationem, & mortem Agrippæ, eodem anno illigavit. *Agrippa cum Hierosolymis Petrum in vincula conjecisset, paulo post divina eum insequente justitia, extinctus est Cæsarea.* Confutata Eusebii Chronologia, Episcopatus Romani, quem annos quinque & viginti tenuisse dicunt, fundamentum ab imo convellitur. Sed novo insuper argumento evertitur: Scripturæ etenim atque Patrum parti longe majori adversatur, & repugnat.

De Petro sic commemorat Hieronymus: *Simon Petrus, filius Joannis, Provinciæ Galilææ, vico Betsaida, frater Andreæ, Apostolus, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de Circumcisione crediderant, in Ponto Galatia, Bithynia, secundo Claudii Anno ad expugnandum Simonem Magum per Romam pergit: ubi 25. annos Cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis.* Hæc, hæc, inquam, non quadrant ad Sacram Scripturam. Significanter diserteque a Paulo dictum est: *Cum vidissent mihi concreditum fuisse Evangelium Præputii, sicut Petro Circumcisionis, dederunt Joannes & Cephas, mihi & Barnabæ dextras societatis, ut nos apud Gentes, ipsi vero apud Circumcisos Episcopatu fungerentur*, Galat. 2. Quæ sic illustrantur a Bellarmino: *Fœdus inter Paulum & Petrum fuit, ut Petrus prædicaret omnibus, & ubicunque vellet; sed principaliter Judæis: Paulus omnibus & ubicunque vellet, sed principaliter Gentibus.* Quæ & sapienter scripta, & verissime: consentiunt quippe & Antiquitati, & Sacris codicibus. Observabilis est Gregorius ille Nazianzenus, Or. 25. p. 438. Ἐν' ἡμεῖς μὲν φησὶν εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομὴν ἠκούσας Παύλου λέγοντος, ἔσω Πέτρου ἡ Ἰουδαία: *audi quid Paulus dicat, ut nos inquit ad Gentes, illi autem ad Circumcisionem, Paulo dicente; Sit sane Petri Judæa.*

Ex hac & sententia dixit Ambrosiaster: *Petrum solum nominat, & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam,*

si

se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis Gentium Ecclesiis: ita tamen ut & Petrus Gentibus prædicaret, si causa fuisset; & Paulus Judæis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse, sed tamen plena antoritas Petro in Judaismi prædicatione data dinoscitur, & Pauli perfecta authoritas in prædicatione Gentium invenitur. Quibus titulis Paulus sese ornat, Epistola ad Romanos? *Ego quidem*, inquit, *sum Apostolus Gentium, & ministerium meum illustro.* Quin etiam in Epistola ad Ephesios, quam Romæ catenatus scripsit; *Data est mihi hæc gratia Evangelizandi inter Gentes, impervestigabiles illas opes Christi.* His non fallacibus argumentis, non modo Eusebianorum Petavii, Baronii, Bellarmini, sed etiam eruditi Antonii Pagii primum Petrini Episcopatus annum, primo Neronis imperii Anno illigantis, opinio ruit de culmine. Si Petrus Romanum tenuit Episcopatum, sive quatuor & viginti, sive undecim annos, utique Pastorem *Gentium* egit præcipue, non *Judæorum*; cum ad Ethnicos Roma pertineret.

Insuper, Eusebianæ Chronologia de Sede Rom. quatuor & viginti annos a Petro occupata, in Antiquorum partem longe maximam intendit se adversariam. Plurimorum mentem hæc imbuit opinio, quod Christus vitam reliquit Anno Tiberii decimo quinro: Clemens Alex. Strom. l. 1. p. 294. Πέντε καὶ δεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πεντεδεκάτῳ Αὐγούστου οὕτω πληροῦνται, τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως οὗ ἔπαθεν: *decimo quinto igitur Anno Tiberii, & quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni usque ad tempus quo Christus passus est.* Tertull. in Jud. c. 8. *Tiberii 15. imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta cum pateretur.* Atque a Lactantio, Sulpitio Severo, Augustino, ejusmodi sententia dicta est: quippe qui *Dominum crucifixum esse, Fusio Gemino, & Rubellio Gemino Coss.* disertissime tradiderint. Irenæus l. 2. c. 39. contendit Christum ad annum quinquagesimum pervenisse. Jam vero omnes illæ opiniones adversis frontibus pugnant cum Eusebii Hieronymique sententia, de Petro Romæ sedente annos viginti quinque; a secundo Claudii Anno, scilicet, ad ultima fata Neronis: cum a Geminorum Consulatu, ad Neronis decimum quartum, tertiumve, anni triginta novem intersint, quos a Christo defuncto, Petrum implevisse, nullus Veterum dixit, nullus scripsit. Eusebianæ Chronologiæ medicinam, si quam possunt, attulere Petavius, Baronius-

Petav. Rat. Temp. l. 5. c. 3.

que. *De Romana Sede* (verba sunt Petavii) *constantius Antiqui loquuntur, cujus finis in Petri nece factus est, Anno Christi* 69. *Neronis labente adhuc* 13. *& instante* 14. Baronius vero aperte & sine circuitione dixit, *corrigenda est ergo lectio Eusebii in Chronico. Quam alii videntur esse secuti; qui annos* 14. *Neronis, quo & occisus est, ponunt dictorum Apostolorum Matyrium Olymp.* 220. *anno quarto, sicut & Hieronymus.* Emendandi quidem sunt autores, atque purgandi illis erroribus qui librariorum vitio irrepsere; quia cum autorum mente scriptisve pugnare constat. At antiquos cum sibi consentiunt, etsi in errorem incidant, corrigere; hoc est vetusta monumenta depravare, non corrigere. Eusebio dictum, *Petrus Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans,* 15. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Scriptum ab Hieronymo; *Petrus pergit Romam, ubi* 25. *annis Cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis.* Hoccine est privilegium purpuræ, ut ista sedulo, constanter, disertissime ab Eusebio scripta, nec non ab Hieronyma, deleantur, quia Ecclesiæ Rom. Cardinali displicent, nec cum ejus Chronologia conspirant? An ex oraculo dici arbitrabimur: *Corrigenda est Lectio Eusebii?* imo Baroni, non est corrigenda, ne contra mentem autoris fiat emendatio; sed deserenda est sententia a ratione, a Scriptura, ab Antiquitate prorsus abhorrens. Sed hinc apparet atque extat, Petavianam Baronianamque sententiam, ne vel ullius quidem Antiqui præsidio cingi. Iterum atque iterum dicam, Antiquorum nemo dixit, aut scripsit, Petrum *viginti quatuor* annos Romæ sedisse. Concesso tamen id ab Eusebio, & secundum Eusebium Hieronymo scriptum fuisse, an ex sententia Eusebiana, quæ a totius Antiquitatis consensu dissidet, dici debet? An a Veterum aliquo perhibetur, Petrum, *labente adhuc* 23. *Neronis*, ad mortem missum fuisse, post occupatam Sedem Romanam, annos quatuor & viginti? Epiphanius sane non labente decimo tertio, sed duodecimo Neronis, Petrum occubuisse tradidit: Ὕστερον μετὰ τὸ τετελευτηκέναι Λῖνον καὶ Κλῆτον ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκαδύο ἔτη, ἕκαστον μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου Πέτρου καὶ Παύλου τελευτήν, τὴν ἐπὶ τῷ δωδεκάτῳ ἔτει Νέρωνος γενομένην: *postea Lino Cletoque mortuis, qui* 22. *annorum spatio sigillatim Episcopatum obtinuerunt, post Apostolorum Petri Paulique necem, quæ in annum Neronis duodecimum incurrit.*

Ad

Ad magnam porro admirationem me traduxerunt illa Petavii. *Petrus igitur ante Paulum Romam venit, & Episcopus ibidem fuit: imo vero primus Christianam eo fidem invexit, si Dionysio Corinthiorum Episcopo credimus, qui apud Eusebium l. 2. Hist. c. 24. Petrum ait Romanam Ecclesiam fundasse.* Doctr. Temp. l. 11. c. 24. Indignus est vir ille eruditissimus, qui hæc scriberet. Petrum primum Christi fidem in Urbem invexisse, nec dixit Dionysius, nec si dixisset, vera fuisset executus. Hæc Dionysius habet de Petro & Paulo: καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς, ὁμοίως ἐδίδαξαν. Ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν: *ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore Martyrium pertulerunt.* In quibus Dionysianis, nil est quod cum Petaviano somnio conspiret: quasi vero Petrus Paulusque Romæ docere non potuisset, licet Petrus *primus Christianam eo fidem non invexerit.* Ambo Evangelium Corinthiis instillavere Petrus Paulusque, si Dionysio credimus, an satis conclusum videtur; igitur Petrus ante Paulum Corinthum venit? Imo apparet ex Dionysio, Petrum ante Paulum Romam non venisse, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες: *& in Italiam simul profecti, vos similiter instituissent*: simul profecti, inquit Dionysius: ergo si creditur Dionysio, Petrus non ante Paulum in Urbem contenderat. Profecto, de antiquitate Ecclesiæ Rom. Petavius improvide detrahit; admisso quippe Petrum primum Christianam in Romanos fidem invexisse, sequitur necessario, vel ex Chronologia Petaviana, Anno Domini 43. tum primum fundatam esse Romanam Ecclesiam, ideoque nullas adhuc Judæorum, sive Gentilium aures, Christi nomen tetigisse, nullos ejus disciplinæ adhæsisse. Quæ non sunt verosimilia, cum *advenæ Romani* plurimi, & testes miraculi Hierosolymis patrati, descendente Spiritu & Petrinæ concionis auditores fuerint; & volventibus annis, ante quam Petrus in Urbem tenderet, in profectionibus Hierosolymitanis, de Christi doctrina non semel audierint.

Petavio Bellarminus adhuc audacior est, forsan ex dignitate purpuræ: mala quidem hic fraude agens, lectores in fraudem agere

 voluit,

Bell. de Rom. Pont. l. 2. c. 2.

voluit. Probando quippe Petrum primum fidei lucem fœneraſſe Romanis, hac Euſebii utitur verſione: *Salutaris prædicationis verbo, primus in urbe Roma Evangelii ſui clavibus, januam Regni cœleſtis aperuit.* In perantiqua, fateor, a Goffredo Bouſſard concinnata Euſebii verſione, verba hæc a Bellarmino laudata reperiuntur. Sed ſinceram non eſſe verſionem ſcivit, aut ſcire potuit, vel ex Græcis fontibus, vel ex Chriſtophorſoniana tranſlatione, in qua hæc deſiderantur. Ἐξ ἀνατολῶν τοῖς κατὰ δύσιν ἐκόμιζεν φῶς, αὐτὸ καὶ λόγον ψυχῶν σωτήριον: *ab Oriente ad eos qui verſus Occaſum habitabant, detulit lucem ipſam, & ſalutarem mentibus doctrinam.* Vox illa *primus* cui Bellarminiana argumentatio nititur, non apparet. Adducta tamen, Chronologiam ſuam confirmat Purpuratus: *Conſtat ex Actorum ultimo, & ex Epiſtola ad Romanos, Romæ multos fuiſſe Chriſtianos: imo Eccleſiam amplam & florentem, antequam Paulus eo veniret. Peto igitur quis hos Chriſtianos fecerit, ſi Petrus non fuerit Romæ?* Chryſippeum argumentum? An ſi nos lateat nomen conditoris Eccleſiæ Rom. ideo recte colligitur, Petrum hoc titulo ornandum eſſe? Petrum quidem Eccleſiæ Rom. poſitorem, non habuit Autor Recognitionum Clementis, qui certe perantiquus eſt; ſic enim libro primo legitur; *Sub eodem anno (imperii Tiberii) vir quidam aſtans in urbis loco celeberrimo, proclamabat ad populum dicens: Audite me cives Romani— Erat autem vir iſte qui hæc loquebatur ad populum, ex Orientis partibus, natione Hebræus, nomine Barnabas.* Sed nec Tertullianus primum Romanæ fidei auſpicem Petrum agnovit: *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annuntiata ſibi ex Syria Palæſtina quod illic veritatem illius Divinitatis revelarat, detulit ad Senatum, cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus quia non in ſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Quid; ſi Andronicus & Junias, inter Apoſtolos inſignes, Romam Evangelio principes imbuere? Ante Paulum *fuerant in Chriſto* Rom. 16. 7. agebant Romæ, ubi ipſis per Epiſtolam ſalutem dixit. Quidni ignoti homines, ut Antiochenſes, ſic & Romanos inſtituere; atque eis præcepta fidei dedere?

Tertul. Apol. c. 5.

An.

AN. XLIV. NUM. XXV.

De Petrini Romam adventus anno, sententia Papebrochiana. An in Urbem Apostolus se contulerit anno Claudii decimo? Vana Viri Eruditi conjectura evertitur. Fundamentum Papebrochianum in ordinationibus Ecclesiasticis, die Dominica celebratis, positum, convellitur. Regula hæc refellitur 1°. ex Scriptura, ubi Diaconorum creatio, & Pauli Barnabæque Legatio, cui χειροθεσία adjuncta fuit extra diem Dominicum contigisse, ostenditur. 2°. Ex Traditione Asianorum, festum Paschale diei Solis non affigentium. 3°. Experientia. Linus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus Papæ, extra diem Dominicam ordinati. 4°. autoritate Ambrosiastri, Regulam Papebrochianam funditus evertentis.

AD eruditi Papebrochii de anno Petrini in urbem adventus opinionem, converto nunc animum atque orationem. *Anno Claudii decimo* (verba sunt Papebrochiana) *Cantistio vetere, & M. Suillo Rufo Coss. Petrus ad confirmandos Christianos ex Gentilibus qui Romæ erant destituti magistris, illuc se confert, nihil veritus Edictum, ibique Cathedram supremi Pontificis collocat 18. Januarii.* Quæ Viri Eruditi methodus admirationem habet: ingignunt rerum antiquarum notitias Scriptura, aut Patrum Traditio; neutra vero Papebrochio in auxilium venit, de anno profectionis Petrinæ definiendo. Quæ, malum, audacia est, id quod nullus Patrum dixit, Apostolorum nullus scripsit, temere affirmare? Quæstio facti est, non juris, quonam æræ Christianæ anno Petrus in civitatem Romanam contenderit? Res porro facti, non argutiis, non excogitatis argumentis ingeniosis, sed testimoniis, atque autoritate nituntur, & probari debent; alioquin oleum & opera misere perditur. Sed & fingitur Anno Claudii nono, vel decimo

Papeb. Conatus Hist. p. 12.

decimo promulgatum fuisse Decretum de pellendis Roma Judæis; quod ne minimam quidem veri arripit similitudinem, cum diu post celebratam Hierosolymitanam Synodum, Paulus Corinthi Aquilam ejus uxorem offenderit, nuper ex Italia venientes, ut obedientes se efficerent Edicto Imperatorio.

Videamus tamen quibus de causis Papebrochius hanc sibi persuasionem induerit, *sub initium anni quinquagesimi Romam advolasse Petrum*; ne immerito in contemptum, & oblivionem venisse, novam quæratur opinionem. Profecto Eruditi Viri sententia iis nititur principiis, quæ tanquam certa obtruduntur, cum a veri specie prorsus diffideant. *Placet vero hic annus*, inquit, *vel ideo magis, quod literam Dominicalem habens D. habuerit 13. Januarii in Dominica. Quia enim mox infra apparebit, ex consuetudine plurium consequenter seculorum, ordinationes Episcoporum præsertim Romanorum, semper in Dominica, aut saltem in festo solemniori celebrari: hujusmodi observantia cujus initium nullum ostenditur, credi potest ab Apostolica institutione fluxisse, ipsumque Petrum, ejus in semetipso fecisse exemplum — Hinc vero progrediens per 7. annos a Catalogis, & Sancto Gregorio Magno assertos, perveniemus ad annum 46. habentem literam Dominicalem B. quo fuerit ordinatus Evodius, fortassis Die 29. Maji, ut Apostolus supra septem annos, etiam tres menses & dies 8. ibidem sederit.* Papebr. Conat. Histor. p. 12. n. 45.

Metuo ut substent Papebrochiana hæc fundamenta, quibus collocandis multum laboris conditor imposuit sibi. Quid rei est illud principium? *Hujusmodi observantia, cujus initium nullum ostenditur, credi potest ab Apostolica institutione fluxisse.* Itane? Credatur ergo & ritum præbendi infantibus Eucharistiam, & mellis lactisque concordiam, & ejusmodi innumera, a fonte Apostolico manasse. Non si principium consuetudinis cujuspiam, atque origo, oblivioni data est, ideo & in Apostolos refundi debet. Itaque fundamentum Chronologiæ Papebrochianæ male jactum est. Sed præterea, hanc de ordinationibus Episcoporum die Dominica celebratis, regulam fallacem esse compluribus argumentis demonstratur. Ac primum omnium, Ecclesiasticas consecrationes diei Solis ab Apostolis non esse illigatas, eo apparet, quod singulis diebus suos conventus agitavere, de celebranda Eucharistia. Quibus ergo

ergo de causis, ad diem Dominicum, Electionem ministrorum, atque consecrationem distulissent, atque procrastinassent. Matthiam in locum perfidi Judæ suffecerunt; an die Dominica? Diaconos compescendæ Hellenistarum seditioni creaverunt; an die Solis? Atqui diem ab illo diversum constitutum fuisse, non obscure Lucas innuit indicatque: *Itaque duodecim illi, advocata multitudine discipulorum, dixerunt, non æquum est nos, derelicto sermone Dei, ministrare mensis*. Act. 6. Quibus auditis, præsens multitudo, statim Stephanum, ejusque Collegas, elegit in Diaconos: quæ die Dominica si facta sunt, nil opus erat Apostolis cœtum congregare discipulorum, quos sacer ille dies satis superque interpellabat de publico conventu. Quid? si die solis, ad aures Apostolica murmur Hellenistarum pervenit, expectanda-ne fuit Dominica proxima, ut remedia gliscenti seditioni præberentur? Quo die Antiocheni Doctores manus Paulo & Barnabæ imposuere, solemne jejunium observatum est, Act. 13. quo sane criterio, si antiquæ disciplinæ creditur, manuum hæc impositio in diem Dominicum non incidit, quo relaxabant jejunia; imo jejunium *nefas ducebant*, teste Tertulliano de Cor. Mil. c. 3. Denique, si nec sacrum Paschatis festum, diei Dominicæ apud Asianos affixum fuit; quis sibi inducat in animum, Dominicis diebus illigatam fuisse Episcoporum consecrationem? Atqui antiqua Traditione stabat Asianorum disciplina, quam ab Apostolo Joanne repetebant: Τῆς Ἀσίας ἁπάσης αἱ παροικίαι, ὡς ἐκ παραδόσεως ἀρχαιοτέρας, σελήνης τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ᾤοντο δεῖν ἐπὶ τῆς τοῦ Σωτηρίου Πάσχα ἑορτῆς παραφυλάττειν: *omnes per Asiam Ecclesiæ, vetusta quadam Traditione nixa, quartodecima Luna, salutaris Pascha festum diem celebrandum esse censebant*. Euseb. Hist. l.5.c.22.

Deinde, Papebrochianum principium refellitur certis experimentis. Linus quem successorem Petri habent, creatus est imperante Nerone, Q. Volusio Saturnino, & Pub. Cornelio Scipione Coss. Anno Æræ Vul. 56. pridie idus Junii, ex Onuphrii Chronico; qui dies Veneris est. Cyclo quippe solis nono; Epacta Solis 4. 5. affectus est ille Æræ communis sextus & quinquagesimus annus: proindeque prima Junii dies tertiæ feriæ est illiganda: ergo duodecima Junii dies, septimæ feriæ cohæsit. Anacletus *creatus est quarto no-*

 nas

nas Maji, Æræ communis 83. Domitiano Augusto 9. & Virginio Rufo Coss. Cyclo Solis 8. quo anno quartus Maji incidit quidem in primam feriam: at Evaristus secunda ordinatus est; anno quippe Æræ communis 95. Domitiano Augusto 17. T. Flavio Clemente Coss. creatus 6. Kalend. Augusti, hoc est, Julii septimo & vigesimo, solis 20. Epacta solari 4. Primus itaque hujusce mensis dies in quartam feriam incidit, ideoque 6. Kal. Aug. sive Julii septimus & vigesimus ad diem Lunæ pertinet. Successor Evaristi Alexander, creatus est 17. Kal. Decemb. Æræ communis Anno 108. Annio Gallo, & Attilio Bradua Coss. Cyclo Solis, Epacta solari 6. 7, quo anno Kalendæ Novembris quartæ feriæ cohærent. Quintus & decimus ergo Novembris, diei Mercurii est assignandus. Xystus *creatus est* 4. *Kal. Junii*, Anno Dom. 116. Cyclo Solis 13. Epactæ Solaris 2. 3. Kalendæ Maji cum 4. feria cohærent, nec non 4. Kal. Jun. sive nonus & vigesimus Maji. An non satis exemplorum? Addatur & Telesphorus, in Pontificem creatus 5. Idus Aprilis, Anno Dom. 126. Candido Vero 2. & Vario Ambibulo Coss. Cyclo solis 23. Epacta Solari. Kalendæ ergo Apriles, in primam feriam incidunt, & Aprilis nonus, sive quintus Iduum, diei Lunæ illigandus.

Regula igitur Papebrochiana; qua ordinationes Episcopales regere, fastos Ecclesiasticos dirigere, Cathedram Petri, & Antiochenam & Romanam assignare suis temporibus conatus est, a veri præscriptione aberrat quam longissime. Frustra quidem, meo judicio, crucem sibi figunt Eruditi, regulis ad constituenda ordinationum Ecclesiasticarum tempora inveniendis, Apostolico ævo; sectariusque mihi est Ambrosiaster, Ephes. 4. *Postquam omnibus locis Ecclesiæ constitutæ sunt, & officia ordinata, aliter composita res est quam cœperat. Primum enim omnes Baptizabant, quibuscunque diebus, vel temporibus esset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsivit, aut diem, quo Eunuchum Baptizaret, neque Jejunium interposuit. Neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quo Optionem carceris Baptizarent cum omnibus ejus. Neque Petrus Diaconos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium cum omni domo ejus Baptizavit.* Quanam ergo de causa, certos dies ordinationibus constituissent, potius quam Baptismo celebrando? A Paulo in mandatis Tito datum,

ut

ut oppidatim constitueret Presbyteros: de die ne verbum quidem. Potuit hoc fieri die Solis, Sabbatho, iis denique diebus, quibus & ordinanti, & ordinato, & Ecclesiæ commodum necessariumve fuit. Sed potentiori adhuc argumento Ambrosiaster pugnat in regulam Papebrochianam, fonte veluti Apostolico deductam, ut diebus Dominicis, vel festis solemnioribus, celebrarentur ordinationes: *Non per omnia*, inquit, *conveniunt Scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc in Ecclesia est: nam & Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat: quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente eo, sequens ei succederet*: quo casu, nullus ordinando Episcopo dies fuit constitutus: sed defuncto primo Presbytero, in ejus locum statim secundus succedebat, cum nomine Episcopi.

ANNO XLIV. NUM. XXV.

An Petrus aliquando Romæ versatus sit? Virorum Clarissimorum Paræi, Salmasii, Frederici Spanhemii negantium sententia expenditur. Potentissima eorum argumenta in Eusebianos esse, nulla vero & inertia, in illos, qui meliori Chronologia utentes, adulto jam Neronis imperio, Petrum in urbem contendisse existimant. Argumentum Cestriense pro Petrino adventu Romam inefficax. Petrina profectio probatur, 1°. Ex Oraculo Christi mortem Petro portendentis, quo colligitur, antiquam Ecclesiam loci quo Petrus passus est, non fuisse insolentem. 2°. Ex Clemente Romano, qui loci Martyrii Apostolici gnarum se præbet in Epistola sua, quem a Romana civitate diversum non fuisse, multis ostenditur. 3°. Ex Dionysio Corinthio, ad quem manarat antiqua Ecclesiæ suæ Traditio, quæ Clementis ævo, a vero aliena esse non potuit. 4°. Ex Irenæo a Lugdunensibus Romam legato. Ecclesiam Rom. eam de

loco mortis Petrinæ opinionis, sedente Eleuthero, non abiecisse, quod imbiberat sub Clemente. 5°. Ex Testimonio Caji de Petri Paulique Trophæis. Argumentum iners non esse, ex more agitandi conventus ad Martyrum sepulchra, circumstantiisque bene multis declaratur. 6°. Ex Tertulliano, Firmiliano, Cypriano, Ecclesiæ Rom. adversariis, quibus de Petro in Oriente ad mortem misso nil suboluit. Lapsus Clarissimi Pearson. Argumentum Salmasii præcipuum solvitur. Ejus error impugnatus ex Josepho. Petrum, imperante Nerone, venisse Romam ostenditur. An primus Petrinæ Sedis Rom. annus cum 1°. Neroniani Imperii anno illigandus? Affirmantis Antonii Pagii Chronologia, multis refellitur. Cur Petrus Romæ passus est?

Sen. Quæst. Nat. c. 16. SApiens ille Seneca male animatus in Historicos; *nec magna*, inquit, *molitione, detrahenda est authoritas Ephoro, Historicus est. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet.* Antiquitatis ore decantatus Petri Romam adventus, & ab omnibus pene Historicis in Annales relatus, multos hisce novissimis temporibus tulit adversarios, qui forte dictum usurparunt Senecæ: *Nec magna molitione detrahenda est istis scriptoribus autoritas: fuere Historici creduli, negligentes.* Itaque res illa quæ certæ fidei Patribus fuit, non solum ponitur in dubio, sed & aperte falsi postulatur. Copiosum argumentorum fontem Catalogus testium veritatis aperuit, ut vetusta de Petro Romæ morti demisso Traditio, collectam diu famam, tandem aliquando deponeret. Volitantibus vexillis ivit in hanc sententiam Eruditus Paræus, Commen. in Rom. p. 1312. *Si Petrus ne Roma quidem fuit, utique Roma nec tot annis sedit Pontifex, nec Martyrium subiit.* Salmasius ὁ πάνυ, cujus in nomine magnus

nus extat laudum cumulus, intendit & se in veterem Historiam adversarium; *Quomodo videri posset successisse Petro in Episcopatu, primus Romæ urbis Episcopus, cum satis constet & Petrum nunquam Romæ fuisse.* Hac de materia librum alterum commentabatur atque meditabatur, sed eum fata terris invidere. Huic & opinioni suam illigavere sententiam Eruditi complures; sed præcipue Clarissimus ille, atque Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus, Fredericus Spanhemius, in doctissima Disquisitione Historiæ, anno 1679. edita.

Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

Me quod attinet, hic tantum Antiquitatis autoritas apud me valet, ut adventum Petrinum ad Urbem Orbis dominam, in dubium adducere, mihi sit [illegible]gio: ita etenim quæ firmis cingunt Historiam præsidiis, fama constans, Testium vetustas atque fides incorrupta, pondus suffragiorum, atque numerus, sub signis hujusce narrationis militant, ut Historiæ omni sit abroganda fides, si hac in re nutet. Omnium quidem animos olim opplevit Statua *Simoni Deo Sancto* dicata, quæ nunc a cordatioribus autoritate evertitur; sed & fons patuit erroris, & ingens cum Romanis ritibus pugnatum, narrationis corpus nævis scatet, & absurdis undique involvitur. Quidnam vero est absoni, in decantata Petri peregrinatione Romam? Traditio certe a vero non potest abhorrere, si natura sua, & simpliciter spectetur: tam potuit Petrus in Urbem contendere, quam Paulus. An igitur contra Circumstantias resistit atque repugnat? Undenam petuntur? Ex Scriptura? At nec Acta Apostolorum, nec Paulinæ Epistolæ, totum Neronis exhauriunt imperium. Martyrium quidem Petri, quod Romæ exantlatum fuisse Antiqui crediderunt, nil afferre dubitationis potest, quin & mors illa, quam manu Romanorum Paulus invenit, scrupulorum aculeos figat animo: iidem citantur clarissimæ Apostolorum testes victoriæ, iidem præclari Triumphi, eadem Trophea: neutri Romæ affecti perhibentur a Sacra Pagina. Si fallax est Traditio quæ de morte Petri in urbe Romana commemorat, similiter fallax & illa est, quæ Paulum Romæ occubuisse perhibet. Aliunde, si vera est narratio de morte Paulina apud Romanos, quam-

quamobrem falsi similitudinem arripiat Martyrium Petri Romanum, nullus video. Utrinque aut caduca est, aut certa constansque Traditio.

Si quid virium inest instructis adversus opinionem de Petro a Romanis extincto argumentis, utique non deficiunt illas rationes, quas eruditissimus Spanhemius pro sua & solertia, & peritia conquisivit. Nil melius afferri potest, aut dici: sed accurrate perpensis illis quæ jecimus fundamentis, aut nimis colligere, quod vitiosum, aut nihil colligere videntur argumenta. Urget Vir ille oculatissimus, & Paulinum silentium in sua ad Romanos Epistola; & circumstantias scriptæ ad Galatas Epistolæ; & Tempus & absentiam Petri, cum Paulus Roma diversas Epistolas daret. Ostendit quod Petrus, nec sub Tiberio, nec sub Cajo, neque sub Claudio Romæ fuerit. Recte, sapienter, verissime. Valent machinæ ad labefactandam Eusebianorum opinionem, de Cathedra Episcopali a Petro fundata, ac annos quinque, vel quatuor & viginti occupata. Nec nos, qui ex Patrum sententia dicimus, de certa fama Petrini adventus Romam; vel profectioni susceptæ Anno Claudii secundo consentimus; sed odio erroris, obsequium erga veritatem non est exuendum. Nec si quam solidissime probetur, Petrum in Urbem non contendisse, Tiberio, Cajo, Claudio imperantibus, satis admodum conclusum est, contra profectionem Petrinam, adulto jam imperio Neroniano, quam censemus esse verissimam, autore de Mortibus Persecutorum Lactantio, quem Eruditissimus Spanhemius nondum viderat, cum ejus Disquisitio lucem aspexit. Hoc quidem argumento in nostram Chronologiam invehitur: *Nec levis quoque momenti est, silentium Romanæ Historiæ Scriptorum, Taciti, Suetonii, Dionis, qui res sub Claudio, & Nerone in Urbe gestas Commentariis suis tradiderunt. Nam de Apostolorum Principe, Romæ tum versato, mentionem injiciendi aliquam, nec causa illis, nec occasio defuit.* Sed simili argumento oblata Paulo Apostolo mors a Romanis, perimi atque deleri facillime potest. Magna laude Pauli fama celebrata fuit apud Romanos: *Vincula mea in Christo conspicua facta sunt in toto Prætorio, ac reliquis omnibus*, inquit ille ipse ad Philippenses Epistola c. 1. Martyrium tamen Paulinum, oblivione Historicorum Romanorum, & taciturnitate tegitur.

gitur. De cæteris argumentis idem judicium; aut nimis probant, aut nihil: itaque nulla causa est, cur Antiquorum divellamur comitatu.

Eruditissimus Cestriensis Episcopus, fidei circa antiquam Ecclesiæ de peregrinatione Romana Petri Traditionem astruendæ, Papiam induxit: *An ille qui in Proemio librorum suorum, testatur se solitum fuisse ex Apostolorum discipulis diligenter quærere, quid Andræas, quid Petrus dixerit, quid alii Apostoli, quid eorum discipuli, qui tunc in vivis erant, Aristion, & Presbyter Joannes, ignorare potuit ubi Petrus fuerit, cujus dicta ab ipsius discipulis acciperet? Hæc mihi videntur præsentiam Petri in urbe Romana validissime stabilire.* Teli hujusce ictum adversarii exire facillime mihi videntur: Σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται: *fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet*: Euseb. l. 3. c. ult. Quia circa Regnum Christi ex male intellectis Apostolorum narrationibus, Regnum Christi σωματικὸν in Orbe terrarum imaginatus est, sublestior hujusce testis fides esse videtur, quam ut in ejus Testimonio, præsentia Petri in urbe Roma validissime stabiliatur. Alias ego argumentorum copias educam, antiquæ confirmandæ Traditioni.

Pearson de Success. prim. Rom. Episc. c. 7.

Fata Petri ultima cecinisse Christi Oraculum, ex Joannis Evangelio sciri facillime potest: *Cum esses junior, cingebas te; cum autem senueris, extendes manus tuas: hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum.* Extremum diem a Petro morte cruenta conficiendum, portendente Jesu, quid æquius fuit, aut sapientiæ Divinæ gloriosius, quam ut constaret ex Ecclesiæ Annalibus, Oraculum Domini eventum suum meruisse? Sed nec veri speciem induit, quod Ecclesia circa mortem tanti Apostoli, disertissimo ac singulari vaticinio nunciatam, hac laboraverit incuria, ut prorsus nesciret ubi Petrus abruperit lucem. Ubicunque Petrus mortuus est, ibi quidem sanguine suo fœcundavit Ecclesiam, præconio verbi non frustra disseminati collectum. Obitæ igitur pro Domino necis, testes adfuere: quin etiam Acta Judicum damnati nomen inscripta, famaque morientis per totum Christianum Orbem disseminata, supplicii locum commendavere memoriæ. Uni vero Romæ

mæ, Martyrium Petrinum concedunt Annalium monumenta: nulla urbs in toto terrarum Orbe id honoris invidet Romæ: nulla contra veterem Traditionem hiſcere quidquam audet Eccleſia. Fingemus-ne animo, illam Eccleſiam quæ Petri ſanguine reſperſa eſt, hoc oblivioni dediſſe, tantamque gloriam, qua Antiqui valde ſuperbiebant, ſibi contra jus & fas, immerito a Romana eripi, diſſimulanter pati potuiſſe?

A Clemente Romano narratur Epiſtolæ p. 8. Πέτρος διὰ ζῆλον ἄδικον, οὐκ ἕνα, οὐδὲ δύο, ἀλλὰ πλείονας ὑπέμεινεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας, ἐπορεύθη εἰς ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης: *propter æmulationem iniquam, Petrus non unum aut alterum, ſed plures labores ſuſtulit, atque ita Martyrium paſſus, in debitum gloriæ locum aſcendit.* Quibus, ni fallar animi, graviſſimum ducitur in adverſarios argumentum: oppleverat jam Romanam Eccleſiam notiſſimum Petri Martyrium; nec pro certo Clemens Corinthiis ſcribere potuit, *Petrus Martyrium paſſus eſt*, niſi diſtinɛte explicateque & mortis generis & loci ſupplicii notitia inſtructus fuiſſet, qua deficiente, ſane de Petrino Martyrio commemoraſſet, atque improvide. Tenuit igitur vel in urbe Romana, vel in alia civitate Petrum occubuiſſe morti: ſcivit & una cum Clemente, Eccleſia Rom. cujus nomine Corinthiæ ſcribebatur. Hinc ſic colligimus: ſi Petrus Martyrio oppoſitus eſt Babylone, vel in loco a Roma diverſo, multa concedenda ſunt a ſpecie veri aliena: primo, quod locus Petrini ſupplicii, fama per Orbem Eccleſiaſticum primo Chriſti ſeculo celebratus, tamen in æterna oblivione jacuerit ubique gentium. Deinde, quod Eccleſia illa, ubi cum doctrina cæleſti ſanguinem ſuum Petrus profuderat, omnem hujus rei memoriam abjecerit. Tertio, quod adduxerit in negligentiam honorem in quo Eccleſiæ omnes Apoſtolicæ tum gloriabantur; veriſſime quippe a Magno Spanhemio ſcriptum: *Æmulatio enim in Eccleſiis jam quædam nata, quæ ſe Apoſtolicas dicerent, ſeu Matrices, Originales, Sedes Apoſtolorum, fundatas ab his & voce & ſcripto; quarum ut erat authoritas major & præſidentia illa, ſic Traditio purior cenſebatur.* Itaque, magnifica & glorioſa oſtentatio Eccleſiæ quæ non modo doctrina voce Petri tradita, ſed & ſanguine reſperſa fuit, quam gloriam abjeciſſe, depoſuiſſe, alteri conceſſiſſe, incredibile eſt. Quarto,

to, quod Presbyteri, Episcopique a Petro in ea urbe qua morti occubuit creati, successionem quæ Pastoribus maximo semper honori fuit, oblivioni dederint. Hæc omnia quæ fidem non inveniunt sunt concedenda; aut fatendum necessario est, Petrum Romæ affixum fuisse cruci. Ne id quidem prætereundum est, a Clemente non Stephanum, non Jacobum Zebedæi, non Jacobum fratrem Domini, Hierosolymis ad mortem missos, adduci in exemplum; sed Petrum Paulumque proponi Corinthiis ad imitandum. Διὰ ζῆλον καὶ φθόνον Ἐκκλησίας πιστοὶ καὶ δικαιότατοι στύλοι ἐδιώχθησαν, καὶ ἕως θανάτου δεινοῦ. Λάβωμεν πρὸ ὀφθάλμων ἡμῶν τοὺς ἀγαθοὺς ἀποστόλους. *Propter æmulationem & invidiam, qui fideles, & justissimæ columnæ erant, ad mortem usque acerbam persecutionem passi sunt, ponamus nobis ante oculos Sanctos Apostolos.* p. 8. Qua de causa Clementis Epistola mentionem potius injecit Petri, & Pauli quam aliorum? nempe vis major ad commovendos Corinthiorum animos in hoc exemplo fuit, & recenti, & proximo. Ἀλλ᾽ ἵνα τῶν ἀρχαίων ὑποδειγμάτων παυσώμεθα, ἔλθωμεν ἐπὶ τοὺς ἔγγιστα γενομένους ἀθλητάς. Λάβωμεν τῆς γενεᾶς ἡμῶν τὰ γενναῖα ὑποδείγματα: *sed ut vetera relinquamus, ad proximos athletas convertat se oratio nostra, & seculi nostri generosa exempla proponamus.* Non obscura, non recondita in Orbis angulo, non remoto loco, temporeve exempla Corinthiis suppeditantur: sed obvia atque exposita coram oculis; ut hinc colligi possit, Petrum in Regionibus situ & cognitione a Græcia remotissimis, mortem non obiisse. Profecto, si ex circumstantiis argumentum sumere licet, omnes utique Romam Petrini Paulinique supplicii locum indicant. Paulum Petrumque Corinthiorum ponit ob oculos Romanæ Ecclesiæ Epistola, ut exemplum e sinu suo suppeditatum, cui vis ad permovendos animos eo major fuit, quo utraque Ecclesia, Corinthia & Romana, Petro & Paulo magistris usa fuerat. Sed & causas, & acerbitatem mortis sic commemorat Epistola, ut Christiani agentes Romæ, fumantem adhuc Apostolorum sanguinem, laniataque corpora, in amplissimo totius Orbis Theatro, videre sibi viderentur.

Audita Petri morte, incredibile est Corinthios, de circumstan-

tiis tanti Martyrii inquisitionem non egisse: debebatur hæc inquisitio & amori, quo magnum Apostolum prosequebantur, & famæ, quæ tam ficti tenax est, quam nuncia veri. Non ponendum igitur in dubio est, Ecclesiam Corinthiam primo Æræ Christianæ seculo, loci quo Petrus supremum diem morte cruenta confecerat, gnaram fuisse atque peritam. Fama porro hujusce loci, quæ discurrebat Corinthum, manavit ad seculum proxime sequens. Ut Traditio de loco Petrini Martyrii, quæ Dionysii Corinthiorum Episcopi temporibus vigebat, Anno Dom. circiter 175. ostendat qualem de loco Apostolici supplicii persuasionem sibi induerint illi Corinthii, quibus a Clemente Romano scriptum fuerat. Audiatur ergo Dionysius ille Corinthiorum Episcopus ad Romanos Epistola: Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοσαύτης νυθεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν, Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε. Καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς, ὁμοίως ἐδίδαξαν. Ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν. *Ita & vos*, inquit, *tanta admonitione vestra, sementem quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet, & Corinthios simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine, nos instituerunt, & in Italiam similiter profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore Martyrium pertulerunt.* Eus. Hist. l. 2. 25.

An in hanc opinionem Dionysius ille Corinthius descendisset, de Petro in urbe Romana fato cedente, si centum circiter ante annis, Corinthiam Ecclesiam oppleverat illa constans certaque Traditio, quod Petrus extra Romani imperii ditionem vitam reliquerat? Familiariter usus fuerat Dionysius hominibus qui avitæ Traditionis per domos Corinthiorum euntes, auditores fuerant, atque ab iis acceperat Petrus in Italia ultimum diem obiisse Martyrio. Nulla sane deceptionis hic causa fingi potest: ab iis qui loci, quo Petrus obierat, non insolentes erant, Dionysius una generatione interposita dividebatur. Rumor itaque Martyrii Petro a Romanis oblati, si falsus erat, ab hominibus contraria opinione imbutis, cum indignatione fuisset exceptus, atque rejectus, illosque Dionysius erroris sui monitores habuisset. Hic porro non possum non

non mirari Clarissimi Pearson Chronologiam: *Certissimum est*, inquit, *Petrum, non minus quam Paulum, Corinthi fuisse; & quidem antequam S. Paulus primam Epistolam dedit ad Corinthios: ita enim Apostolus loquitur*, 1 *Cor.* 12. *Hoc autem dico singulos vestrum dicere; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ. Unde colligitur non minus Cepham & Apollo, quam Paulum Corinthi fuisse antequam ista scribebantur.* De Success. p. R. E. Dissert. 1. c. 7. p. 37. Quid hoc argumenti est? Hoccine agebat, annon, doctissimus ille Præsul? Nervos argumentationis incidit ipse Paulus Epist. ad Cor. 1ª. c. 4. v. 6. *Hæc autem fratres figura quadam transtuli ad me ipsum & Apollo, propter vos.* Quo dicendi genere Metaphorico, concludi certe non potest, certissimum esse Cepham Corinthum venisse, ante scriptam Epistolam.

Gravissima sunt, ni fallor, atque potentissima, Irenæi, atque Caji Testimonia. Irenæus jam Presbyteri fungens munere, a Lugdunensi Ecclesia Romam legatus, antiquæ Traditioni favet. Sic enim scribit apud Eus. Hist. l. 5. c. 6. Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ Μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν Ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς Ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν: *fundata jam & ædificata Ecclesia, Beatissimi Apostoli officium Episcopale Lino tradiderunt.* Nec sic scripsisset, si Romanam Ecclesiam dissimili opinione imbutam novisset. Si Romana Petri profectio ad fabulas procul amandanda est, mirum certe videtur quomodo Romanam Ecclesiam a teneris pene unguiculis invaserit. Clementinis temporibus, hoc est, Anno Christi circiter quarto & septuagesimo, Ecclesia Romana, si creditur adversariis, Petrum Romæ nunquam fuisse persuasum habuit. Abhinc annis minus centum sedente Eleutherio, per animos Romanorum pervaserat opinio antiquæ prorsus dissimilis, Petrum scilicet, & Romam contendisse, & ibi lucem deseruisse. In hoc igitur temporis intervallo, quod Clementem inter & Eleutherum interjicitur, excogitari a Romanis fabula debuit, si fabula est. Quærendum igitur qua via aut ratione recens illud inventum, extincta vera antiquaque opinione, Romanorum mentes penitus occuparit. Cui bono, qua spe, qua mercede Traditionem, quam falsam novamque certe & certo sciebant, admiserunt? Ut gloriam intenderent Ecclesiæ Rom.? Atqui sic deflorabant: & timere debebant

ne falsi convincerentur, ab illa Ecclesia quæ Petri sanguine perfusa fuerat, atque delibuta: imo fabulæ piove furto vehementer ab omnibus reclamatum fuisset. Siccine, Roma, jactas te magnificentissime de Petri Martyrio? Fruerisne Sacris exuviis, quæ in Orientis Regionibus Babylone requiescunt. Quæ, malum, impudentia est, aliena bona, & Thesauros, per vim apertam, dissentientibus omnibus subripere? Profecto, si intendendæ gloriæ Romanæ amor mentes Cleri populique Romani adeo excœcavit, ut Petrum in urbe sua passum esse fingerent, cur & Matthæi, & Lucæ sanguine doctrinaque perfusos fuisse non etiam comminiscerentur, nullus video. Timuerunt forte ne falsi postularentur? Atqui eandem sane formidinem, de Petro, perinde ac de Matthæo, Luca, aliis Apostolis, injicere sibi debuerunt.

Caji Testimonio, non minimum virium inest: Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι, ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν: *Ego vero Apostolorum Trophaa possum ostendere: nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaa eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt.* Vix credam Ecclesiæ quæ Caji scriptoris tempore floruit, imponi credulitati posse. Animam exhalanti Petro, testes probi & integerrimi fuere. Eo defuncto, corpus Martyris amicis manibus humi mandatum: Acta judicum Petro mortem imperantium inquisitioni curiosorum oculorum patebant. Nec tum mos erat, subdita Martyrum Acta, Reliquiasque adorandas obtrudere hominibus. Præterea, rudi adhuc secundo Æræ Christianæ seculo, ceciderat in consuetudinem, conventus ad sepulchra Martyrum agitari; teste Smyrnensium Epistola apud Eusebium. Hist. l. 4. c. 15. *Atque ita nos demum ossa Polycarpi, gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus.* Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν: *Qui etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus Natalem ejus Martyrii diem, cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.*

mandos. Conventus ad Martyrum ſepulchra agitati, fraudi de ſubdendo Petri ſepulchro, aditum omnem præcluſere. Nec magis occultari potuit, quam Cæſaris monumentum. Si in Urbe aliqua Orientis Petrus ad mortem miſſus eſt, celebrationes Chriſtianæ locum omnibus indicaſſent. In Oriente porro agitatas fuiſſe ad Petrinum ſepulchrum, nuſquam apparet gentium: hinc non immerito concludimus, Petrum ibi non fuiſſe ſepultum. Contra vero Petri Trophæa Romæ oſtendebantur iis temporibus quibus ſuperſtitioſus Martyrum cultus, nondum Chriſtianorum invaſerat diſciplinam: Trophæa, inquam, celebrationibus, conventibus, inſignia; itaque abſque credulitatis vitio, Caji autoritate moveri poſſumus, quam quidem abjicere non poſſumus, quin de culmine ruat Traditio de Paulo Romæ ad mortem damnato. Profecto, ſi libitum eſſet mihi præciſe negare Paulum Romæ & occubuiſſe, & ſepultum fuiſſe, quibus argumentis refellerer, nullus video. Verba & rationes fœneraret mihi eruditiſſimus Petrinæ Romam profectionis adverſarius: *Credat ſane hodierna Roma, nobis Caji unius non perſuaſerit autoritas, imo ex id genus narratis, Traditionis totius haud obſcure vanitas eluceſcit. Nec in ea re alia, magis impoſitum fuit credulitati, quam in hujuſmodi monumentis, cippis, ſepulchris, columellis, lapidibus, inſcriptionibus venditandis.* Urgeretne Cyprianum, Tertullianum, Irenæum? Ipſi regeram, credulos fuiſſe homines: qua ſane arte, & autoritas Hiſtoriæ omnis Eccleſiaſticæ, & oleum & opera ſcriptorum perit.

Credulus fuerit Tertullianus, credulus Firmilianus, credulus Cyprianus: negari ſane non poteſt inſignes viros & acumine ingenii abundaſſe, & diſputandi polluiſſe peritia, ut merito illud Virgilianum uſurpare potuerint:

Ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Inſenſum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Tertullianum, proditum eſt a Hieronymo: *Cum uſque ad mediam ætatem Presbyter manſiſſet, invidia poſtea, & contumelia Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogma dilapſus.* Quin etiam mordaci ſale Pontificem Rom. a Tertulliano perfuſum eſſe, pene omnium ſententia eſt. Sic animatus Tertullianus totis animi nervis allaboraſſet abdicando Papæ Ro-

mano honori quo maxime gloriabatur, Petri scilicet Cathedræ, ac mortis in Urbe oppetitæ. Atqui ne hoc tentavit quidem Tertullianus, quia totius Orbis consensum adversarium passus fuisset. E multis quæ ex Tertulliano suppeditari possunt, pauca hæc delibasse satis sit: *Orientem fidem, Romæ primus Nero cruentavit: tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* Scorp. c. 14. Sed & Romanam Ecclesiam multis laudibus cumulavit; De Præscript. c. 36. *Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostolicam sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur.* Cyprianum cum Stephano acrius litigasse, sciunt vel pueri qui nondum ære lavantur; nec tamen de Romano Petri adventu vel minimum dubium movet. Post ista, inquit, adhuc insuper pseudoEpiscopo sibi ad Hæreticis constituto, navigare audent ad *Petri Cathedram.* Ep. 54. Cum Ecclesia Romana Firmiliano magna rixa fuit. Tunc Petri successio, qua Stephanus Papa tumescebat atque superbiebat, ei abdicari debuit. Camarinam hanc non movit Firmilianus, quia notissimæ famæ nec voluit concurrere, nec potuit: *Atque ego in hac parte juste indignor, ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit ---- Multas alias Petras inducat ---- Stephanus qui per successionem Cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus Hæreticos zelo excitatur.* Testium jam satis est, secutæ quippe ætatis Patres decessoribus his innituntur.

Ut ad brevia veniam, hæc est summa disputationis meæ: qua ratione fama de Petro præsente Romæ, totum pene terrarum Orbem replevit, si figmentum est otiosorum hominum? Quid Ecclesiæ & Orientali, & Australi redibat, quod Romæ potius quam Babylone, mortem oppeteret? Vagatur ille rumor ubique terrarum; Græcia suos testes in Dionysio suppeditat; Gallia excitat suos in Irenæo, eodem plane seculo: consentiunt una & Carthago, & Alexandria linguis discrepantes. Idem fatentur atque profitentur & amici Romanæ Ecclesiæ, & adversarii: nec hiscere quisquam ausus est in ejusmodi Traditionem. Quid facti certum erit in Historia, si hoc non est? Si in urbe, a Romana diversa, Petrus Martyrium passus est, qua de causa testis Ecclesia Martyrii, tam cito Martyris abjecit memoriam? Cur nullus fidelium cœtus, Apostolicum

licum ſepulchrum celebravit? Cur cum Roma de corpore Martyriove Petri nullus certavit? Morte ut ita dicam atriſalis jam Apoſtolum circumvolante, ſcriptum eſt, *ſcio cito futurum, ut deponam Tabernaculum meum, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus mihi declaravit.* 2 Petr. 1. 14. Ad hæc ſolicitos fuiſſe Chriſtianos, ut in locum, quo fata ſua magnus ille Apoſtolus implevit, inquirerent, quis non merito exiſtimet? Atqui unus locus Apoſtolicæ morti conſtitutus eſt, Roma, ſcilicet, nemine quidem contradicente. Nec de alia urbe quidquam alicui ſuboluit. Hæc apud me tanti ſunt, ut Hiſtoriæ omni humanæ fidem abdicandam eſſe exiſtimem, ſi de Petro Romæ in crucem acto aliquatenus addubitetur.

In antiquam Traditionem hoc diſputavit argumento Clariſſimus ille Salmaſius: *Præcipuum huic rei probandæ argumentum affertur, quod eſt inviсtiſſimum. Cum* Ἀποστολὴ τῆς περιτομῆς, *Petro concredita fuerit, nullum opera pretium tunc Romæ Petrus egiſſet, ad munus ſibi demandatum ibi obeundum, ubi aut nulli erant eo tempore Judæi, a Claudio utpote exacti, aut pauci admodum.* Quod argumentum infirmum eſt atque iners evertendæ famæ conſtanti: imo, ſi verum volumus, indignum magno Salmaſio: argumentum pro me ſolvet Ambroſiaſter: *Sed econtra cum vidiſſent, quia creditum eſt mihi Evangelium Præputii, ſicut Petro Circumciſionis; Petrum ſolum nominat, & ſibi comparat, quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam, ſe quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis Gentium Eccleſiis: ita tamen ut Petrus Gentibus prædicaret, ſi cauſa fuiſſet; & Paulus Judæis: nam uterque invenitur utrumque feciſſe; ſed tamen plena authoritas Petro in Judaiſmi prædicatione data dinoſcitur, & Pauli perfecta autoritas in prædicatione Gentium invenitur.* in Gal. 2. Quæ quidem ſapienter juxta ac veriſſime ſcripta: cum Paulus in vinculis Romæ conſtitutus, *complures accerſiverit Judæos, quibus exponebat Regnum Dei.* Act. 28.

Salm. Appar. p. 14.

Paucos Romæ fuiſſe Judæos dixit quidem Salmaſius, ſed non probavit; atque humanitus illi accidiſſe, luce clarius eſt. Cum, Imperante Nerone, Paulus veniſſet Romam, ad ſe non paucos, ſed *plures* Judæos accerſit die conſtituto; ἦκον πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ξενίαν πλείονες: *venerunt ad eum in hoſpitium complures,* Act. 28. 23. Gratiam exilii Judæis a Claudio imperati factam fuiſſe teſtificatur Joſephus incredibili

dibili modo cum Luca conspirans. De excitato ab Agrippa juniore muro, Proceres Judæorum Legatos miserant Romam. Νέρων δὲ διακούσας αὐτῶν, οὐ μόνον συνέγνω περὶ τοῦ πραχθέντος, ἀλλὰ καὶ συνεχώρησεν οὕτως ἐᾶν τὴν οἰκοδομίαν τῇ γυναικὶ Ποππηίᾳ, θεοσεβὴς γὰρ ἦν, ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων δεηθείσῃ χαριζόμενος: *Nero, audita Legatione, non solum non ignovit, sed permisit etiam sic manere parietem, gratificatus hoc uxori suæ Poppeæ, piæ fœminæ, quæ pro Judæis deprecata fuerat.* Animo ergo & in Judæos benevolo, & eorum Religionem propenso fuisse Poppeam, satis indicat nobilis ille Historicus. Jam vero mulier illa cujus mirus apud Neronem favor erat, Imperatoris gratiam in Judæos derivarat. Accedebat & Neronis erga Alituram benevolentia: Διὰ φιλίας ἀφικόμην Ἀλιτύρῳ, μιμόλογος δὲ ἦν οὗτος, μάλιστα τῷ Νέρωνι καταθύμιος, Ἰουδαῖος τὸ γένος: *Familiaritatem contraxi cum Alituro mimo, qui Judæus genere, Neroni carus erat.* Quæ narrantur a Josepho. Vit. Jos. p. 999. Ruit igitur undique *præcipuum* illustrissimi viri argumentum; nec erranti calamo scribere debuit: *Qui Petrum Romæ fuisse potest credere, sane credat & Jacobum in Hispania prædicasse Evangelium, & Josephum Arimathea in Britannia.* Hæccine paria? Nullo Antiquitatis testimonio gaudet sive Jacobæa in Hispaniam profectio, sive Josephi in Angliam peregrinatio: imo, Veterum Traditione hæc, & illa obruuntur: & circumstantiis Historiæ certissimis prorsus repugnant. Contra vero tot & tanta sunt pro Petrino adventu Romam suffragia Testium & antiquorum, & gravium, & a seipsis magno terrarum spatio interclusorum; ut quanta mea memoria, nunquam in affirmando facto, ulla talis, tamque numerosa fuerit. Quæ quidem Testimonia, nulla vel divinæ, vel humanæ Historiæ circumstantia coarguuntur. Nec enim repugnat Petri adventus Romam, cum ministerio Circumcisionis ipsi credito: hæc non consentire fateor in Chronologia Eusebiana; At non si peccavit Eusebius in Temporis circumstantia, & secundum Eusebium aberravere complures, ideo præsentia Petri apud Romanos præcise negari debuit. Melior Chronologia in auxilium adducenda fuit emendando errori. Sic Petrus & Circumcisionis ministerium retinere quam facillime potuit, & vita ad exitum properante, proficisci Romam.

Joseph. Ant. l. 20. c. 7.

Imperante Nerone hoc contigisse, narratur a Lactantio de Mortibus

tibus

tibus persecutorum c. 2. *Discipuli qui tunc erant undecim, assumptis in locum Judæ proditoris Matthia & Paulo; dispersi sunt per omnem terram ad Evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat; & per annos 25. usque ad principium Neroniani imperii per omnes Provincias & Civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt: cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque Templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad Religionem novam damnata vetustate transire; ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excindendum cœleste templum, delendamque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit.* Insignem hunc locum nova luce perfudit doctissimus Baluzius. *Ait Lactantius, Apostolos, & in his Matthiam & Paulum, qui post mortem Christi Domini, reliquis adjuncti fuerant, Evangelium per omnem terram prædicavisse per annos viginti quinque, usque ad Principium Neroniani imperii, & Petrum Romam profectum, cum Nero illic imperaret: & hanc quidem fuisse tum communem de Petri ad Urbem Rom. profectione opinionem, tametsi aliter post nonnullos Veteres senserit Eusebius, valde probabile est, cum Lactantius nullam de ea re controversiam moveat. Fortassis ergo ex his 25. annis, qui ad prædicationem omnium Apostolorum ex æquo pertinent, orta est opinio de 25. annis, quos quidam Veteres, & innumerabile Recentiorum agmen, Sancto Petro Apostolo tribuunt in sede Romana.* Lactantianæ Chronologiæ suam addidit Nicephorus l. 2. c. 35. *Petrus orbe peragrato ---- in Palæstina, & Syria, & ubique fere terrarum prædicatione promulgata, sub Neronis imperio Romam venit.* Qua quidem admissa Chronologia quæ Eusebiana antiquior, hebescit acies argumentorum omnium in Romanum adventum Petri.

Hic cum Erudito Antonio Pagio pugna mihi committenda est. Repudiata merito Eusebiana Chronologia, recte quidem existimat profectionem Petri Romam contigisse Nerone imperante. Cæterum de anno, cui affixit adventum, mea variat diffiditque sententia ab illa Critici. *S. Petrum Apostolorum Principem ante præsentem annum Romam non venisse tertio Claudii Imperatoris anno statuimus; ideo-*

que primus ejus sedis Romæ annus cum primo Neronis nobis est inchoandus. Quæ leguntur in Critica Pagiana, An. 54. n. 3. Nescio qua divinatione permotus, uno ejusdem anni vinculo, Pontificatum Petri Romanum, & Imperium Neronis copularit. Pro ratione voluntas est; sic jubet, sic vult. Verba quippe Lactantii primum Neronis annum non indicant. *Cumque jam Nero imperaret.* Ut ut omnes adhibeat machinas, ex his suam statuere Chronologiam non poterit. Romæ Petrum diu non tenuisse libertatem, hæc satis superque declarant: *Petrus Romam advenit; & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, qua re ad Neronem delata, ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excindendum cœleste Templum.* Prædicatio miraculaque Petrina continuo adventum ejus excepere. Fingemusne igitur animo, famam & miraculorum & efficaciæ divinæ in convertendis Ethnicis tam sero tetigisse Neronis aures, ut non ante decimum imperii annum commotus his Tyrannus fuerit? Audito quippe, *quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum*, subito impetu Nero manum injecit Petro. Itaque ex Pagiana Chronologia tranquille, placide, libereque Petrus decennium Romæ ministerio functus est, inscio Nerone, nullo præfectorum, sacerdotum, aulicorum, expostulante apud Principem, de antiqua Religione prodita. Hæccine cum Lactantio conspirant? Certe non consentiunt cum Athanasio. Πέτρος δὲ ὁ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων κρυπτόμενος, καὶ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος ἐν σαργάνῃ χαλασθεὶς καὶ φυγών, ἀκούσαντες εἰς Ῥώμην δεῖ ὑμᾶς μαρτυρῆσαι, οὐκ ἀνεβάλλοντο τὴν ἀποδημίαν: *Petrus quoque qui ob metum Judæorum in latebris se habuit, & Paulus Apostolus in sporta demissus, & ita fugiens, cum audissent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem.* Quo insigni loco, insanabili vulnere Pagiana de sede Petri Romana Chronologia immolatur. Petrus scilicet Romam non ante se contulit, quam de proximo ejus exitu a Spiritu Sancto moneretur. Itaque doctissimo Critico concedendum est, quod anno Christi 53. Spiritus oraculo Petrum monuerit mortem suam Romæ oppetendam anno 65. An hoc verisimile sit, viderit ille: profecto Petrus monitum illud, non diu ante martyrium, sibi contigisse testis est. *Justum autem duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo,*

culo, expergefacere vos per submonitionem: cum sciam cito futurum, ut deponam tabernaculum meum, sicut Dominus noster Jesus Christus declaravit mihi. Ep.2. c.1. 14. Denique Paulinæ Epistolæ non minimum detrimenti important huic Chronologiæ. Unum in urbem Petri adventum agnoscit Criticus. Ideoque integrum decennium Petrus Romæ constitit exercendo muneri. Quis vero sibi inducet in animum, Paulum nullam de Petro movisse mentionem, tot in Epistolis a se captivo Roma scriptis, si tum Romæ fuisset Petrus? Scilicet Paulus dixit Epist. ad Colos. 4. *salutat vos Aristarchus, meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus qui vocatur Justus, Salutat vos Epaphras: salutat vos Lucas Medicus ille dilectus, & Demas.* Nec addidisset, salutem vobis plurimam dicit Petrus. Credat Judæus Apella, non ego.

Quoto igitur Imperii Neroniani anno Petrus Romam venerit, juxta scio cum ignarissimis. Imo inconsulte ac temere definiri existimo, cum nullus Veterum id scripto prodiderit. Hoc unum probabiliter dici potest, haud diu ante martyrium venisse. Qua vero de causa Spiritus Sancti numen Petrum ad urbem perduxerit crucifigendum, non est obscurum. Sic non modo majoribus theatris propositæ ejus virtutes, doctrina, miracula, sed & hinc magnum ducebatur argumentum illustrando Evangelio. Nemesiano & Martyribus in metallo constitutis hæc olim scripserat Cyprianus. *Qui nunc vobis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor? Quæ sublimitas animi? Quæ in sensu exultantia? Qui triumphus in pectore? Unumquemque vestrum stare ad promissum Dei præmium de judicii die esse securum: scire Christum secum esse præsentem, gaudentem tolerantia servorum, per vestigia & vias suas ad regna æterna gradientium;* Quæ a Petro & Paulo Romæ ultimum diem obeuntibus totius pene orbis adducta sunt coram oculis. Martyrii fama pro pietate oppetiti, ubique terrarum facilius sic disseminata, in omnium Christianorum conspectum prodibat. Redundabat & ad Religionis majorem fructum, quod omnium Apostolorum illustrissimi, Petrus fidei Christianæ positor, Paulus partis tot Christo provinciis celeberrimus, eadem de causa, in eadem urbe mundi epitome, funderent sanguinem suum. Hoc ex certissimo atque notissimo martyrio, in

orbis regiones omnes atque provincias deducebantur incentiva plurima ad suscipiendam Christi Religionem.

AN. XLIV. NUM. XXIX.

An Beata Virgo una cum Joanne Ephesum se contulerit? Affirmantis ex Ephesina Synodo Baronii sententia, Polycrate, Epiphanio, Pseudignatii ad Joannem Epistola, rationibus confutatur. Eruditorum Combesixi, & Antonii Pagii opinio de Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum ad examen revocata, multis coarguitur. Patres Ephesinos falsæ de Virginis adventu Ephesum Traditioni favisse verosimillimum.

INsitus Christo matris amor, immiti dolori supplicii imperans, dederat aliquid B. Virginis curæ. Dominus quippe, conjectis in matrem oculis, hæc dixit moriens; *mulier, ecce filius tuus*, deinde discipulo, *Ecce mater tua, & ex illa hora recepit eam Joannes domum suam.* Joan. 19. 27. Joannem occubuisse Ephesi, constat ex antiquioribus Ecclesiæ monumentis. Ἰωάννης τὴν Ἀσίαν, πρὸς ὃς καὶ διατρίψας ἐν Ἐφέσῳ τελευτᾷ: *Joanni Asia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit.* Sic Polycrates scripsit, sic Irenæus qui Joannem ad Trajani usque tempora vitam in Ephesina Ecclesia produxisse tradidit. Beatam vero Virginem Ephesianam fuisse advenam prisci Annales nesciunt. Missis quatuor seculis, Baronius incumbens Ephesinæ Synodo, Virginem Joannis lateri adhærentem, Ephesum venisse sic memorat. *Una vero cum Joanne, profectam esse sanctissimam Dei genitricem Mariam Virginem, & apud eum habitasse, Epistola Synodica, Sacro Sancti Concilii Ephesini, ad Clerum Constantinopolitanum data, non obscure ab illo Sancto Episcoporum cœtu significatur.*

At solens more suo facit illustrissimus purpuratus, ac vix sibi constans, obturbat antiquitatis imperitos. Virginis assumptionem, licet

licet titubante calamo, ad annum Christi 46, Claudii sextum, retulit in Annales. Annis igitur ante nonnullis, quam cœlo Maria donaretur, Joannes una cum illa Ephesum contendere debuit, si purpurato creditur; atqui hæc Historiæ Apostolicæ non consentiunt, nec ipsi Baronio. *Anno Christi* 54. inquit, *Paulus Apostolus Ephesum primum venit.* Joannes vero in hanc urbem pedem nondum intulerat. Alioquin positor Ephesinæ Ecclesiæ existimari debuit, quam tamen laudem Paulo concedunt. Ecclesiæ Ephesinæ mentionem Lucas plurimam movit. Hic Apollo disputat in Judæos; hic Aquila Priscillaque migrant habitatum, hic Joannis discipulos inundat Sanctus ille Spiritus: hic auditur clamosa populi pro Dianæ numine concitata seditio atque discordia. Cæterum de Joanne apud Ephesios agente ne verbum quidem. Sero itaque hanc in urbem accessit, quod disertissime docetur ab Irenæo l. 3. c. 3. *Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, a Paulo quidem fundata; Joanne autem permanente apud eos, usque ad Trajani tempora.* Ephesum incoluere homines pietate insignes, & miraculis, quos & commemoravit Polycrates hujus urbis Episcopus ad defendendam Asianarum Ecclesiarum gloriam, quam Victor defloraverat. *Etenim, inquit, in Asia magna quædam lumina extincta sunt, quæ illo adventus dominici die Resurrectura sunt, cum Dominus e cœlo veniet, plenus majestate & gloria:* Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι, καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσαμένη, ἣ ἐν Ἐφέσῳ ἀναπαύεται: *Philippus scilicet unus e duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, & duæ ejus filiæ quæ virgines senuerunt: alia quoque ejus filia, quæ Spiritu Sancto afflata vixit & Ephesi requievit.* Longum est, & non necessarium, commemorare heroum omnium nomina, Joannem Apostolum Polycarpum, Sagarim, Papirium, Melitonem, quæ reperiuntur in Epistola Polycratis. Venietne alicui in mentem, Sanctum B. Virginis nomen omissum iri a Polycrate, si migrasset Ephesum una cum Joanne?

Contra fœminas, quibus dilectarum contubernaliumque nomen addi placuit, differens Epiphanius, gerit animum ab opinione Baroniana prorsus alienum. Καὶ τοίγε τοῦ Ἰωάννου περὶ τὴν Ἀσίαν ἐσταλμένου τὴν πορείαν, καὶ οὐδαμοῦ λέγει ὅτι ἐπηγάγετο μετὰ αὐτοῦ τὴν ἁγίαν

 Παρθένον:

Παρθένον: *ac cum Joannes interim in Asiam profectus sit, nusquam tamen B. Virginem itineris comitem secum illum habuisse significat.* Hær. 78. n. 11. Quo quidem exemplo morem suum dilectæ illæ atque contubernales indubitate defendissent. Atqui id argumenti non usurpant in patrocinium sui, quia hanc Mariæ peregrinationem Ephesinam ignorabant: imo illas eo confutat Epiphanius, quod Virgo Joanni in Asiam proficiscenti comitem se non addiderit. Inseratur huic etiam loco fabula de assumptione Mariæ, qua aliquid lucri ad veritatem apponitur. Legitur apud Nicephorum, *Eo tempore cum Claudius quintum imperaret annum, & immaculatam Dei verbi matrem mortem obire oporteret, — undesexagesimum illa agens annum, nuncium a filio per Angelum de migratione, & adventu ejus ad se, ita ut antea, cum ipse ad eam venturus erat, accipit. ---- Etiam tempus instabat, cum in Sion super humiliore lecto reponitur, & aderat Joannes, qui eam domui suæ foverat.* An verosimile, si Virgo cum Joanne in Ephesinam urbem contenderit habitatum, quod ante annum Claudii Imperatoris quintum redierit Hierosolymam, ad fata sua complenda. Pauca illa, *Joannes qui Virginem domi suæ foverat*, satis innuunt, nunquam de domo Apostolica esse egressam, Joannem in Asiam euntem comitandi gratia. Subdita quidem est Ignatii ad Sanctum Joannem Epistola. Verumtamen & partum hunc veluti germanum tollere Baronio libuit; & testis esse potest Traditionis autoris temporibus regnantis. *Si licitum est mihi*, (verba sunt Epistolæ) *ad te ad Hierosolymæ partes volo ascendere, & videre fideles sanctos qui ibi sunt, præcipue Mariam Jesu, quam dicunt universis admirandam.* Hierosolymis agentem Virginem, diem extremum obiisse Dionysio creditum est. *Cum & nos, ut scis, & tu, & multi ex sanctis fratribus nostris, corporis quod autorem vitæ, Deumque recepisset, videndi causa convenissemus, aderat autem & Jacobus frater Domini, & Petrus maximum antiquissimumque Theologorum columen.* Atqui Jacobus Hierosolymis commorabatur, ad regendam, cujus curam susceperat, Ecclesiam. Ut & hic Mariam suprema obiisse funera, quam Ephesi, longe sit probabilius.

Secundum Franciscum Combefixium eruditum Dominicanum, Baronio dicam scripsit erroris, eruditus ejus Criticus Antonius Pagii. Combefixii verba referam, ut de censura ex æquo & bono judicetur.

judicetur. *Sanctam Mariam Joanni comitem adhæsisse censet Baronius Anno* 44. *n.* 29. *Seu potius ratum habet, id Patres Ephesinos Epist. Synod. ad Clerum Constantinopolitanum insinuare ac velle; cum ita refert. Quare & Nestorius impiæ hæreseos instaurator in Ephesiorum civitate, quam Joannes Theologus & Sacra Deipara Virgo Maria quandoque incoluerunt constitutus est, quæ versio est Theodori Peltani Societatis Jesu: etsi illius nomine non citat: in qua non satis partes agit fidei interpretis, dum suam conjecturam omni retro Traditioni adversam inserit textui. Plane enim assererent Patres, si hæc illorum verba essent. Patrum verba sunt* ὅθεν καὶ Νεστόριος ὁ τῆς δυσσεβοῦς αἱρέσεως ἀνακαινιστής, φθάσας ἐν τῇ Ἐφεσίων, ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης καὶ ἡ θεοτόκος Μαρία*: in Ephesiorum civitatem veniens, in qua Joannes Theologus & Deipara Virgo: ubi margini adscriptum quasi supplendo. Aliqui subintelligunt, aliquando habitarunt, alii ædes habent. Qui vel parum in Græcis versati sunt, subintelligunt nihil. Multo minus ausu, sic plagio simili, aliquid quam Græca ipsa habeant, textui ingerunt; sed sic vocatam PP. ipsam majorem Ephesiorum Ecclesiam, a suis Patronis, & Tutelaribus intelligunt; quam ipsam ejusque titulum sibi præsidio adversus Nestorii blasphemiam, hunc ipsum titulum Sanctæ Mariæ detrahentem, merito putaverunt.*

Hac in conjectura multa sunt, ni fallor, virga censoria digna. Majori quidem Ephesiorum Basilicæ affixum fuisse *Sanctæ Mariæ* titulum, certo certius est. Honorandæ quippe Sanctorum memoriæ, nomen, quod gesserant, Basilicis sacrisque ædibus donabatur. Cæterum *Joannis* nomine majorem Ephesiorum Ecclesiam fuisse vocatam, ullo exemplo firmari nequit. In Cyrilli ad Theodosium Apologia, in Epistola ad Clerum Alexandrinum, in Synodo, legitur *Ecclesia quæ Sancta Maria dicitur*, non vero *Joannes*. Licet Patres illum Virgini præposuerint, ἔνθα ὁ θεόλογος Ἰωάννης, *in qua Joannes Theologus, & Deipara Maria*. Deinde quam absona atque aliena est verborum significatio! ibi Joannes & Maria, quia *Patronos majoris Ephesiorum Ecclesiæ exercebant*. An ut incolere sedem Capitolii dicebantur Dii Romanorum, sic relictis cœli sedibus Virgo Apostolusque in Sacra Ephesiorum æde inhabitabant? Hoc quidem concesso, recte Patres, *ibi Joannes Theologus, & Maria*. Sed Beati illi de fastigio cœli quod occupabant non deducebantur, incolendo

colendo Templo Ephesino. Præterea, quodnam præsidii genus Patres sibi comparasse finguntur? *Ecclesiam ejusque titulum sibi præsidio adversus Nestorii Blasphemiam, hunc ipsum titulum Sanctæ Mariæ detrahentem, merito putaverunt.* Hæccine Pagiana, Combefixianaque illa præsidia, sunt alicujus momenti adversus hæreses, atque sceleratorum blasphemias? Atqui existimarem, non lapidibus, titulisve Patres Ephesinos tutelam mandasse suam; sed Christo, & Spiritui Sancto, quem multis precibus adeunt Concilia, ad implorandum auxilium. Mitto nunc, *majoris Ephesiorum Ecclesiæ Patronos & Tutelares, Joannem Mariamque*, quod Arnobio vexandum relinquo. *Hoc est enim proprium Deorum complere omnia vi sua, non partiliter uspiam; sed ubique esse totos, non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, & post dies bissenos, privatum ad domicilium redire; quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis. Erit enim in dubio, audiamini a Diis, necne, si quando res Sacras ceremoniarum conficitis.* Quæ vim parem habent in Sanctos Templorum Patronos. Hoc unum urgeo, hac in phrasi, ἔνθα Ἰωάννης, καὶ ἡ θεοτόκος Μαρία, ibi *Joannes & Maria Deipara*, verbum substantivum, est, necessario subintelligi, sicut in his Paulinis τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου, *qui sunt ex Narcissi domo*, Rom. 16. 11. *δικαιοσύνην τὴν ἐκ πίστεως: justitiam quæ est ex fide.* Rom. 9. 30. Præsentis igitur, vel præteriti temporis verbum subauditur: alioquin phrasis nullo verbo regeretur. Imo nullâ esset propositio, affirmatio nulla, ut apparet si in nostram vernaculam linguam convertatur. Quid enim sibi vellet, *où Jean & Marie?* Expectando phrasis complementum, pendemus animis. Si præsentis temporis verbum subauditur, sensus erit falsissimus. *Ubi sunt Joannes & Maria*, cum Sancti illi, non in Ephesino Templo, sed in cœlo versarentur. Itaque verbum præteriti temporis substantivum fuerunt, necessario subintelligendum.

Hanc fuisse Patrum Ephesinorum mentem, mihi non est in dubio. Nestorii quippe adventum in urbem Ephesum opponunt Ephesinæ Joannis & Virginis profectioni. Ille malis fuit avibus, hæc bonis. Eo facilius in hunc errorem sunt delapsi, quod legerant in Scriptura commendatam Joanni fuisse Virginem. Quam dilectus ille Apostolus, statim *recepit domum suam.* Hinc popularis fama, Virginem una cum Joanne Ephesum se contulisse; quæ penitus

nitus

nitus admissa est ab urbe Ephesina, ad gloriam suam tantis hospitibus atque incolis amplificandam. Sic Massilia Magdalenam, Arelate Trophimum, Lutetia Areopagitam, Hispania Jacobum, vel invita Antiquorum Traditione, sibi vindicant majori sane cum verisimilitudine, quam urbs Ephesina præsentiam B.virginis sibi asserere potuit. Frustra itaque adulta antiquitatis autoritas adhibetur, affingendæ Patribus Ephesinis sententiæ a Baroniana dissimili. Frustra iterum, atque iterum; quasi vero Traditio semper sibi constaret. Præcipue in rebus ejusmodi, quæ incertis ut plurimum rumoribus innituntur, non legitimis testibus. Utrumque verum existimo: & Patres Synodi ex fama tum Ephesum opplente peregrinationi Virgini in hanc urbem favisse admodum, & tamen Polycratem, Irenæum, Epiphanium profectionis hujusce insolentes omnino fuisse.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

AN. XLIV. NUM. LV.

De statua Simonis magi Romæ posita, si creditur Antiquis. Fluitans incertaque hæc Traditio. Confirmandæ Justini Mart. narrationi, allata a Baronio argumenta expenduntur. Justini peritiam non impedire quo minus Semonis & Simonis nominum vicinitate deciperetur. Ambiguas etiam fuisse Ethnicorum Deorum appellationes, testibus Virgilio, Macrobio, Clemente Alex. Potuisse & Justinum labi in Apologia Imperatoribus oblata de Simone, cum gravissime in eadem Apologia erraverit de Herode faciente Ptolomæo Sacrorum Librorum copiam. Quisnam Deus fuerit Semo Sancus? Manca Baroniana hujus Idoli descriptio. Herculem non modo, sed & ab illo diversum numen significari. Ex circumstantiis statuæ Justino oblatæ, Simonem non exprimi confirmatur. Argumenta in Simonianam statuam plurima. Simonem

monem Samaritanis a cultu imaginum alienis cultum imaginum non imperasse. Error Jansenii de Idololatria Samaritanorum. Ratio ex Eusebio petita probandæ adorationi Simonis imaginibus exhibitæ solvitur.

JUstini Martyris autoritas, posteris confirmavit non solum, sed etiam persuasit, statuam Simoni mago, erectam fuisse a Romanis, atque consecratam. Et Philosophum, & Martyrem, & testem, ut putabant, oculatum, quis dicere falsum auderet? Disertissima sunt Justini verba in Apologia illa, quæ olim prima, nunc secunda existimatur. *Simon quidam Samaritanus, ortus e vico qui Gitton dicitur, qui principatu Claudii Augusti, cum per operationem Dæmonum multa magicæ artis miracula, in urbe vestra quæ imperii caput est, edidisset*, θεὸς ἐνομίσθη, καὶ ἀνδριάντι παρ' ὑμῖν ὡς θεὸς τετίμηται, ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην Σίμωνι δέῳ σάγκτῳ: ὅπερ ἐστὶ Σίμωνι θεῷ ἁγίῳ: *Deus a vobis est habitus, statuamque illi perinde ac Deo posuistis in insula Tiberina, inter duos pontes, cum hac inscriptione, Simoni Deo Sancto.* Hoc ex fonte derivata pervulgata illa Traditio, quæ opplevit antiquorum omnium scripta. Contra Justinum ne quidem hiscere ausus est nemo. Assensere omnes narranti, sic credita fabula.

Verumenimvero injecti sunt scrupuli quidam atque subdubitationes, sedente Gregorio XIII. In eadem quippe insula Tiberina, e ruderibus lapis est effossus, tali inscriptione notatus. Qui teste Baronio servatur in horto Religiosorum mendicantium in eadem insula posito.

Semoni sango Deo fidio Sacrum
Sex-Pompejus S. P. E. Col. Mussianus
Quinquennalis Decurio Bidentalis
Donum dedit.

Hinc multis suboluit, Justinum legisse *Simoni* pro *Semoni*, quæ hallucinatio perfacilis est, nec a Græco homine abhorrens. Non obscure hanc in sententiam descendit doctissimus ille Petavius. *Cum vulgarem illam, ac passim extantem* ἐπιγραφὴν *legisset, Semoni Deo Sancto,*

Sancto, Simonem pro Semone accepisse, mihi conjectura sane probabilis visa est. Animad. ad hær. 21. Petavio consentit & Valesius. *Jamdudum,* inquit, *viri docti observarunt, imperitia Latinæ Linguæ lapsum esse Justinum, qui statuam Semoni Sanco positam, Simoni mago sacratam fuisse putaverit, vicinitate nominum deceptus.*

Ejusmodi conjecturæ verosimillimæ, Baronium a sententia non dimoverunt. Itaque pedibus manibusque, Justini, Patrumque de statua Simonis Magi opinionem, confirmare conatur. *Quonam pacto,* inquit, *in his Justinus decipi potuit, qui non tantum Gentilium Philosophia, sed & ipsorum Theologiæ eruditione non leviter tinctus, sed egregie cultus.* n. 58. Quasi vero magna illa, quæ laudatur in Justino, Ethnicæ Theologiæ peritia, decipi unius Latinæ literulæ similitudine, Justinum Græcum impedivisset.

Quanta hæc Theologiæ Ethnicæ eruditio prædicetur Justini, penetrasse tamen in ambiguas omnes Idolorum appellationes, atque ambages nominum, minus credere est; multam quidem obscuritatis latebram, a Theologia Ethnica fuisse adhibitam, sciunt & tenent qui in libris legendis versantur: ut nil miri sit, Justino aliquid humani accidisse de Semone. De Jove Rege Deorum hominumque a Poetis dicto, memorat hæc Clemens Alex. in Protreptico, αὐτίκα γοῦν εἰσὶν οἱ τρεῖς Δὺς Ζῆνας ἀναγράφουσιν. τὸν μὲν, αἰθέρος ἐν Ἀρκαδίᾳ, τὼ δὲ λοιπὼ τοῦ Κρόνου παῖδε. τούτοιν τὸν μὲν ἐν Κρήτῃ. θάτερον δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ πάλιν, εἰσὶ δὲ οἱ πέντε Ἀθηνᾶς ὑποτίθενται: *hic sunt qui tres dicunt esse Joves: unum quidem, Ætheris filium in Arcadia, reliquos autem filios Saturni. Eorum autem unum quidem in Creta, alterum vero rursus in Arcadia. Sunt & qui fingunt quinque Minervas.* Romanis Quirinus modo Martem modo Romulum significat:

Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus.

De Hercule Macrobius Satur.l.3.c.12. *Salios autem Herculi propter ubertatem doctrinæ altioris assignat* (Maro) *quia is Deus & apud Pontifices, idem qui & Mars habetur.* Quid multa? Difficilem involutamque esse Semonis Dei notitiam, aperte ostendit Ovidianum carmen,

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi Semo Pater.

Potuit ergo, Baroni, potuit Justinus in his facillime decipi: sed acrior adhuc instas & majori quidem cum rationis specie. *Sed & quomo-*

quomodo idem ipse Justinus non ea de Simone Mago, plus certo Romæ diu multumque versatus, explorata habuit, quæ non in angulo, vel coram ejus rei ignaris locutus est, sed ad ipsum Romanum Imperatorem, ac filios Cæsares, necnon Romanum Senatum conscripsit? Vel quonam pacto tam apertè testatus a senatu populoque Romano Simonem Deum habitum, & statua honestatum. Pompæ plena est tua argumentatio, Baroni, non nervorum atque virium. Quid? Annon illa ipsa Justini Apologia, crasso errore Chronologico afficitur? *Ptolomæus,* inquit, *Rex Ægypti, petiit ab Herode Rege Judæorum, ut copiam Librorum faceret*, an vera prædicabat? Optandum quidem his & similibus nævis immunes esse oblatas Imperatoribus Apologias; ne Ethnicorum doctioribus essent ludibrio. Sed Martyres homines fuere, & in errores ejusmodi, qui probitati atque animi candori non adversantur, sæpius delati sunt. Sicuti ergo Justinus magnopere erravit in Ptolomæo Rege Ægypti, ab Herode Rege Judæorum flagitante, *ut copiam Librorum faceret*; ita & hallucinatus est in permiscendo nomine Simonis & Semonis.

Denique hoc addit illustrissimus purpuratus, ut rationum copia atque præsidio Justinum undique cingat: *Jam vidimus per Semonem Sangum Gentiles Herculem intellexisse — Cæterum non in imagine Herculis, sed Jovis, Simonem & scortum suum Helenam, in Minervæ effigiem formatam adorari solitos.* n. 59. Vera dixit Baronius; *per Semonem Sangum Gentiles Herculem intellexere*; sed minus dixit quam debuit. Itaque quid Dei esset Semo Sancus, paulo accuratius describendum. Qua de re sic memorat Festus Pompeius l. 42. p. 1191. *Propter viam fit Sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem Deus est: alii profecturi viam Herculi aut Jano sacrificabant.* Porro Sancum fuisse trinominem monemur ab Ovidio.

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi Semo Pater? Tunc mihi Sancus ait,
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina terna fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur Veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Antiqua Sanci Religio apud Romanos Livio teste l. 8. *Vitruvium in carcere asservari jussit, quoad Consul rediisset; tum verberatum necari,*

ri, ædesque ejus quæ essent in Palatio diruendas, bona Semoni Sango censuerunt consecranda: quodque aris ex eis redactum est, ex eo anei orbes facti, positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. Quæ facta Mamerco & Plautio Coss. Veruenimvero non uni Herculi Semonis Sangi nomen additum, pro Ethnicorum more, quibus nomina Deorum plena erant ambagibus. De Sango sic Augustinus, *Sabini etiam Regem suum primum Sangum, sive ut alii qui appellant Sanctum, retulerunt in Deos.* de Civit. l. 18. c. 19. Ab Eruditissimo Vives observatum, *Porcium Catonem scriptum reliquisse, Sabinorum gentem esse nominatam a Sabino filio Sangi Dei Gentilis, qui etiam dictus est Pistius.* Consentit & Lactantius, *Privatim vero singuli populi gentis, aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt: ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum.* l. 1. c. 15. Deus ille Sabinorum pactis & fœderibus præerat, a sanciendo dictus. Unde etiam Deus Fidius vocabatur a fide. Quin etiam per eum jurare soliti erant Romani. Quibus apparet non uni Herculi, Sanci nomen accommodatum fuisse. Jovis nomine Simonem magum adoratum fuisse, somnium est ex eburnea porta. quo tamen Baronius improvide Justini narrationem configit; cum statua, quæ ejus oculis objecta est, nil Jovis habuerit. *Simoni Deo Sancto*, sic legebat Justinus. Quæ quidem ἐπιγραφὴ tenuis & jejuna est, indignaque Jove nimborum tempestatumque potente. Itaque si Simon magus nomine Jovis adorabatur, statua in insula Tiberina posita inter duos pontes, Simonis esse non potuit: vel si Simonis est, utique Simonis statuæ Jovis imaginum similitudinem non arripiebant. Profecto & locus statuæ & titulus, Justino potuerunt esse monitores, Simonem hac effigie non exprimi. Inusitatum Romanis fuit, Deorum titulis vocem adhibere vice epitheti. Nullo vestigio reperietur in numis, aris, statuis, Apollini *Deo Sancto*, Jovi *Deo Sancto*, Marti *Deo Sancto*. Hoc, inquam, inauditum est in omni memoria. Sed & statua *inter duos pontes* posita, cum inscriptione illi affixa, non obscure Deum illum indicat, quem viatoribus favere Festus nos docuit: Herculem scilicet, cui *viam profecturi sacrificabant.*

Nunc argumentorum copiæ educendæ sunt in pervulgatam de statua Simoni mago palam ac publice a Romanis posita fabulam.

Si statua hæc impuro mago dicata est, vel ante, vel post obitum ejus consecrata est. Post obitum, divinis affectum esse honoribus ab Urbe Romana, fidem non habet. *Viderant enim currum Simonis magi* (verba sunt Arnobii) *& quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse; viderant, inquam, fidentem Diis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis: post deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.* Hæccine felix est in consecrationem materia? Imo casus ille Simonianus, Romanos potius a sua superstitione evulsisset, ne impotentem, vanumque impostorem, qui præstigiis suis multum diuque hominibus illuserat, ullo honore deinde afficerent. Profecto victori Petro, statuas potius ponere debuissent, quam victo ac misere debellato Simoni. Itaque, si Nicephoro creditur, ex turpi certaminis exitu Simon in contemptum adductus est. *Dum*, inquit, *a Dæmone in sublime attollebatur, statim præceps deorsum versum fertur, & humi allisus mortuusque rumpitur. Ibi ex populo qui antea Simonem divinos usurpantem honores laudibus celebraverant, subito ita prostratum videntes, laudesque pristinas per palinodiam recantantes, ingenti claraque voce, unus est magnus Deus, acclamant, quem Petrus & Paulus aperte & clare prædicant.* Sic olim Israelitæ viso igne, qui cœlo ruebat in Sacrificium Eliæ, maximum clamabant, Bahale spreto, *Jehova Deus est.*

Statua igitur Simoniana mago decerni debuit ante infelicem pugnæ cum Petro exitum. Atqui hoc a vero quam longissime abhorret. Jam dictum est Simonem, hujusce Magi, qui Felici Judææ Præsidi amicissimus erat, non videri dissimilem. Itaque Judæus, non Samaritanus fuit: sed concesso Simonem fuisse Samaritanum, Judæorum & nomine Samaritani comprehendebantur a Romanis, quod uni Regi serviebant Samaritani Judæique, & Religione non adeo discrepabant. Judæos porro magno apud Romanos laborasse contemptu causa suæ religionis, omnibus certum est atque exploratum. *Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in mores eorum, idem usurpant, nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere*

re

re Deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres vilia habere. Ex eo mortalium genere, quibus profana omnia quæ apud Romanos ſacra, & vice verſa illis conceſſa quæ Romanis inceſta, Simon ducens originem, dignusne & conſecratione, & ſtatuis, & titulo Dei Sancti, a ſenatu exiſtimatus eſt? Ad cumulum infamiæ acceſſit ars magica, quam Simon exercebat; quæ Romanis odio erat. Magos verbis ſuis ſic depinxit Tacitus, Hiſt. l. 1. *Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra vetabitur ſemper, & retinebitur.* Contemptus itaque Libo Druſus, vir e nobili Scriboniorum familia, quem Firmius Catus ſenator, juvenem improvidum, & facilem inanibus, ad Chaldæorum promiſſa, magorum Sacra, ſomniorum etiam interpretes impulit. Idcirco referente Caſſiodori Chronico, anno Tiberii Regni ſecundo, *Siſenna Statilio & L. Scribonio Coſ. Mathematici urbe pulſi ſunt.* Alieniſſima fuit igitur a voluntate ſenatus, ſtatuæ Simonis, & Judæi, & magi conſecratio. Ejusmodi Deos Patres conſcripti neſciebant.

Præterea incredibile prorſus eſt, Simonem a Romanis eos honores eſſe aſſecutum, quos in Julio Cæſare Imperatore tam libere proſciderunt. Audiatur Suetonius: *Prægravant tamen cætera facta dictaque, ut & abuſus dominatione, & jure cæſus exiſtimetur. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum conſulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, ſtatuam inter Reges, ſuggeſtum inter orcheſtra; ſed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in Curia & pro Tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulachra juxta Deos.* Suet. c. 76. Atqui Imperatorum omnium fortiſſimus & maximus Julius Cæſar longo intervallo ſuperabat Simonem miſellum hominem. Itaque cum ab illo mago ſenatus nec honores ſperaret, nec opes, improbabile eſt ei ſimulachra divina decreviſſe, quæ humano faſtigio ſunt ampliora. Regibus quidem atque Imperatoribus vitam adhuc ducentibus ſordida adulatio divinos honores detulit: indignantibus alioquin ſapientibus viris atque cordatioribus: quocirca Alexander ſuperato Dario, cum Græcis ſcripſiſſet ut ſe Deum facerent, ludibrio fuit Lacedemoniis, Æliano teſte. ἃ γὰρ ἀπερῶν ἐκ τῆς φύσεως οὐκ εἶχε, ταῦτα ἐκ τῶν ἀνθρώπων αἰτῶν ἐκέρδαινεν: ἄλλοι μὲν οὖν ἄλλα ἐψηφίσαντο. Λακεδαιμόνιοι

ᾗ ἐκεῖνα. ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. Λακωνικῶς τε ἅμα καὶ κατὰ τὸν ἐπιχώριον σφίσι τρόπον ἐλέγξαντες τὴν ἔμπληξιν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῦ Ἀλεξάνδρου: *Neque enim qua natura ei largita non fuerat, hac ab hominibus petendo consequebatur. Itaque aliis aliter statuentibus, Lacedæmonii decretum ejusmodi fecerunt. Quoniam Alexander Deus esse vult, esto Deus. Laconice simul & patrio more. Redarguentibus Lacedæmoniis stuporem & vecordiam Alexandri.* Ælian. Var. Hist. l. 2. c. 19. Ut vero Simon infimæ sortis homo, a quo timendi aut sperandi causa Romanis nulla fuit, divinos honores adipisceretur decreto senatus, absurdum est, atque extra modum alienum. Non si ambitione cæci in Regibus & Imperatoribus Apotheosi donandis delirarunt Romani, ideo & desipiebant in referendo Simone inter Deos, cum ratio prorsus dissimilis fuerit. Itaque in Historia Romana, ne vestigium quidem ullum est *Simonis Dei Sancti*; vel miraculorum patratorum, quibus veluti gradibus ad divinitatem ascenderit. Eo quidem Suetonium Baronio referre libuit: munus Nero dederat. *Hic Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* c. 12. Sed Baronius solens more facit, & in mari venatur apros. Imo audacis hujus Icari casus, *quadrigas Simonis igneas* dissipat atque disturbat. Nec Petro opus fuisset Christi nominis invocatione sistendo magi volatui, si jam antea primo conatu juxta cubiculum Neronis decidisset, ipsumque cruore respersisset. Similibus sane miraculis, *Dei Sancti* honorem, & titulos, apud Romanos sibi non comparasset.

Primas intra metas non subsistunt fabulæ. Hinc secundum Irenæum Augustinus, *Jovem se credi volebat, — Imaginesque, & suam, & ejusdem meretricis discipulis suis prabebat adorandas, quas & Roma tanquam Deorum simulachra autoritate publica constituerat.* August. de hæres. c. 1. Quæ procul amandanda veluti aniles fabulæ, si constet Simonis ævo Samaritanos ab imaginum adoratione fuisse quam longissime alienos. Non me quidem præterit, viros doctissimos in ea versari sententia, quod Samaritani Idololatriam exercerent, atque profiterentur. Jansenius Gandavensis Episcopus: *sciendum Samaria regionem prius habitatam ab Israelitis, cœptam habitari a Chaldæis, sub Rege Assyriorum Salmanasar, qui cum capta Samaria decem Tribus Israel transtulisset in Assyrios, adduxit multos de Babylone, & de Cutha, &*

de

de Ana, & de Emat, & de Sepharnaim, quos pro filiis Israel collocavit in urbibus Samariæ. Qui cum in terram alienam ingressi pro ritu suo viverent, colentes Idola Patria, variis afflictionibus attriti sunt, & præcipue a leonibus divinitus immissis devorabantur: quo audito, Rex misit Sacerdotes gentis Israeliticæ, qui Religionem Judaicam docentes, plagam a cervicibus eorum detorquerent. Unde factum est, ut aliqua ex parte Judaicam Religionem amplecterentur, non tamen pure. Sic enim colebant Deum verum, ut simul etiam colerent Deos suos Patrios --- Quoniam ergo Idololatræ erant, ob id Judæi eo loco habebant quo reliquas gentes, quarum consuetudo eis interdicta erat. Sed errat vir Doctissimus. Samaritani diu ante Idololatriam deposuerant, quam Christus ederetur in lucem. Ideoque non id erat causæ, quod Judæos inter & Samaritanos nullum commercium intercederet. Samaritismus igitur bifariam dividi debet, vel ante, vel post extructum Templum Garizitanum. In prima quidem periodo, Samaritismus mistura quædam fuit, & veræ Religionis, quam hujus Regionis incolis Sacerdos ab Assyriæ Rege missus instillaverat, & Idololatriæ paternæ, quam retinebant. At extructo Templo Garizitano, Idololatriæ maculam eluit Samaritismus; nec mirum, cum Manasse Jadi frater, compluresque Sacerdotes sati Aaronis sanguine, sacris ibi operarentur. Itaque nulla simulachra in Templo Garizitano. Qua de re insignis locus legitur apud Josephum. *Samaritæ cum viderent in summa calamitate constitutos Judæos, non amplius profitebantur se cognatos eorum, neque Garizitanum Templum esse Dei maximi.* Idcirco miserunt Legatos ad Antiochum, cum hac Epistola, Βασιλεῖ Ἀντιόχῳ Θεῷ ἐπιφανεῖ ὑπόμνημα παρὰ τῶν ἐν Σικίμοις Σιδωνίων. Οἱ ἡμέτεροι πρόγονοι διά τινας συχνοὺς τῆς χώρας λοιμοὺς περικολουθήσαντες ἀρχαίᾳ τινὶ δεισιδαιμονίᾳ ἔθος ἐποίησαν σέβειν τὴν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λεγομένην σαββάτων ἡμέραν, ἱδρυσάμενοι δὲ ἀνώνυμον ἐν τῷ Γαριζὶν λεγομένῳ ὄρει ἱερὸν, ἔθυον ἐπ' αὐτῷ τὰς καθηκούσας θυσίας: *Regi Antiocho illustri Deo, suggestio a Sidoniis in Sicimis habitantibus. Majores nostri compulsi crebris suæ Regionis pestilentiis, & inducti veteri quadam superstitione, morem fecerunt observandi eam festivitatem, quæ apud Judæos vocatur Sabbatum, & extructo in Garizino monte Templo innominati numinis, immolaverunt in eo solemnes victimas.* Quibus apparet, nulla fuisse hoc in Templo numinum simulacra, quæ certo

nomine afficiuntur. Itaque Christus cum Samaritana muliere miscens colloquia, objecit quidem, *adoratis quod nescitis*, simulachrorum vero cultum non objiecit. Contra disertum Dei mandatum Hierosolymis non sacrificabant. Sanctitatem Garizitani montis Hierosolymitanæ præstare prædicabant, cui probando scripta Mosis corrupere, quod a Clarissimo Lightfootio observatum est. *In istius*, inquit, *patrocinium impudenter falsificavit textus Samaritanus verba Mosis in Deut.* 27. 24. *Nam cum veritas Hebræa habeat*, erigetis lapides istos quos vobis præcipio hodie בהר עיבל in monte hebal, *textus & versio Samaritana habent* בהר גריזים in monte Garizim. Ligtfoot in Joan. c. 4. v. 20.

Hinc gravissimum ducitur argumentum, in cantatam Augustino Irenæoque Traditionem, de Simone *imagines suas discipulis adorandas præbente.* Profecto si Samaritanorum Judæorumque studia impurus ille magus allicere voluit, non potuit ipsis constituisse ante oculos simulacra & sua, & Helenæ meretricis, cultu & honore afficienda; cum ejusmodi disciplina alienasset omnium suorum voluntates a se ob summum odium quod Judæi Samaritanique tum gerebant adversus adorationem imaginum. Nec hæc sibi constant, quod voluerit pro Christo haberi, itemque Jovem se credi. *Jungerentur* potius gryphes equis quam ista secum: Fingamus nobis animo, omnes pene Samaritanos, antiqua prorsus abjecta Religione sua, quæ unius Dei Israelis cultu florebat atque innitebatur, absque ulla simulachrorum veneratione, miraculis tamen Simonianis perstrictos, in novam disciplinam transivisse, adorato, veluti Deorum maximo, scelesto hoc mago, tantane religionis morumque mutatio Josephum accuratum Historicum tunc maxime florentem latere potuit? Hoccine silentio dissimulasset in Historia? An major Samaritanorum observantia obsequiumque in Simonem posteaquam Christiani nomen induit, quam ante? Atqui veneratio longe minor esse debuit ob ignominiam ipsi a Petro jure impositam, & celebritatem, quam olim apud Samaritanos assecutus erat, defloratam Philippi miraculis. Quod si ante Philippi adventum Samaritani eo dementiæ non processerant, ut statuis imaginibusque Simonem, veluti summum Deum, colerent, a fide alienum est in hanc dementiam incidisse post hunc diem, quo luce

luce Evangelica collustrati sunt. Nec me latet quidem, quod de Simonis discipulis ab Eusebio traditum est. *Quicunque ejus sectam profitentur, cum se Christianam Religionem plenam modestia & sanctitatis amplecti simulaverint*, περὶ τὰ εἴδωλα δεισιδαιμονίας οὐδὲν ἧττον αὖθις ἐπιλαμβάνοντες, καταπίπτοντες ἐπὶ γραφὰς καὶ εἰκόνας αὐτοῦ τε Σίμωνος, καὶ τῆς σὺν αὐτῷ δηλωθείσης Ἑλένης, θυμιάμασί τε καὶ θυσίαις, καὶ σπονδαῖς τούτους θρησκεύειν ἐπιχειροῦντες: *tamen & ad superstitiosum Dæmonum cultum, quem abjicere visi fuerant, deinceps nihilominus relabuntur, dum ante Simonis & supradictæ illius Helenæ picturas atque imagines proni se abjiciunt, eosque suffimentis & sacrificiis colere non verentur*: Eus. Hist. l. 2. c. 13. Atqui hæc non probant Simonem *imagines, & suam, & ejusdem meretricis Helenæ, discipulis suis præbuisse adorandas, quas & Roma tanquam Deorum simulachra autoritate publica constituerat.* Hoc solum sequitur, Simonianos consuetudine Ethnica præceptori suo defuncto honores divinos impendisse, constitutis imaginibus, quas thure ac libationibus venerabantur. Simonem vero id præcepisse, non sequitur. Quin etiam subdubitari potest, num Eusebius ex insolito de statua Simoni Deo Sancto Romæ posita præjudicio, aliquid erroris non passus fuerit. Simonianorum disciplinam imaginibus vacuam non esse faciles largimur. Magiæ quippe, quibus addicti Simoniani, imagines magno sunt usui; sed & Angeli colebantur a Simonianis: Μὴ ἄλλως δὲ δύνασθαι σώζεσθαί τινα, εἰ μή τι ἂν μάθοι ταυτὴν τὴν μυσταγωγίαν, καὶ τὰς τοιαύτας θυσίας τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τῶν ἀρχῶν τούτων καὶ ἐξουσιῶν προσφέρειν: *Negat insuper salutem consequi ullum hominum aliter posse, quam si ejusmodi mysteria didicerit, & universitatis parenti ea sacrificia per illos, quos diximus principatus ac potestates, obtulerit.* Non improbabile est, imagines quas discipuli Simonis proni venerabantur, Angelorum fuisse, quorum interventu Deo supplicabant. Ex antiqua porro Traditione de statua Simoni Romæ posita, credi facillime potuit non Angelorum simulachris, sed imaginibus Simonis exhiberi venerationem.

AN. XLIV. NUM. LXII.

Quonam Claudiani imperii anno fames instinctu Spiritus Sancti ab Agabo prænunciata acciderit? Clarissimorum Virorum Usherii Spanhemiique sententia hanc famem quarto Claudii anno illigantium. Opinio ad examen revocata. Josephum non 4um. Claudii, sed sextum vel septimum indicasse in memorata fame Hierosolymitana, cui Helena Regina remedium attulit. Verosimilius famem anno Claudii secundo præcipue affigendam, ostenditur ex Dione & scripturæ circunstantiis. Errores Baronianæ Chronologiæ complures. Famem, de qua Josephus mentionem movit, ab illa Dionis esse diversam. Cuspidium Fadum de stola Pontificali servanda Judæis anno Claudii sexto non fecisse negotium. Audax purpurati critica, in Rufi locum Valer. Asiaticum substituens. Cur fames sub Claudio? Horrenda Principis hujusce crudelitas.

ARcta fame imminente orbi, Deus, qui Ecclesiæ consulebat, Agabi ministerio atque oraculis malum impendens declaravit, ut ad vim ejus aliquid remedii pauperibus compararetur; quod & factum est: missis per manus Pauli & Barnabæ Antiochensium eleemosynis, sublevandæ Hierosolymitanorum inopiæ. Existit autem hoc loco Quæstio subdificilis, cuinam Claudii anno illiganda sit fames, quæ eo imperante per orbem terrarum dominata est? De ea re ita censet magnus Usherius in Annal. an. 42. p. 644. *Fames ista quæ 2°. Claudii contigit, particularis fuit: sicut & altera 11. anno illius facta, non universalis illa ab Agabo prædicta, quam 4°. ejusdem anno cœpisse, non solum ex Chronico Eusebii, & Orosio l. 7. 6. sed etiam ex tempore mortis Agrippæ, cum eadem fame conjuncta, Act. 12. 23. 25. manifestum est.* Usherianam in sententiam,

tentiam concessit eruditissimus Fridericus Spanhemius: cui comprobandæ autoritate Josephi utitur, quam Usherius omiserat. *Verum*, inquit, *stamus hic testimonio Josephi* Ἀρχαιολόγου *referentis ad annum Claudii 4. M. Clavio Rufo, & Pompejo Silvano Coss. Hierosolymitanam eam famem.* Non ab re Josephus ab Usherio videtur omissus, cum nisi mea me fallat conjectura, fames, cui sublevandæ Helena Adjabenorum Regina opes suas contulit, ad annum sextum, vel septimum Claudii pertineat. Claudianum edictum, quo stolæ coronæque Pontificalis servandæ potestas Judæis permittebatur, datum est anno quinto Claudii, quarto Calendas Julias. Movetur deinde mentio Helenæ, & Izatis Judaicam disciplinam perdiscentium, κατὰ τοῦτον δὲ τὸν καιρὸν, *per idem tempus.* Helena porro mater Regis, videns res regni pacatas, & filium opinione omnium tam domesticorum quam exterorum beatum divina providentia, desiderio capta est visendi Hierosolyma. Γίνεται δὲ αὐτῆς ἡ ἄφιξις πάνυ συμφέρουσα τοῖς Ἱεροσολυμίταις. Λιμοῦ γὰρ αὐτῶν τὴν πόλιν κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον πιέζοντος, καὶ πολλῶν ὑπ' ἐνδείας ἀναλωμάτων φθειρομένων, ἡ βασίλισσα Ἑλένη πέμπει τινὰς τῶν ἑαυτῆς, τοὺς μὲν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν πολὺν σῖτον ὠνησαμένους χρημάτων, τοὺς δὲ εἰς Κύπρον ἰσχάδων φόρτον οἴσοντας: *Accidit autem peropportune ejus adventus civibus. Cum enim per id tempus civitas gravi fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia, Regina Helena, ex suis alios misit Alexandriam comparaturos vim magnam tritici; alios in Cyprum qui copiam passarum ficuum inde adveherent.* Si post edictum Claudiani Imperii anno quinto 28. Junii promulgatum, Helena ad disciplinam Judaicam adhæsit, utique ante sextum Claudii contendere Hierosolymam non potuit. Ex quo religione Judaica imbutus est Izates, volebat quidem abdicare præputium: sed impeditus ab Anania, moram circumcisionis attulit. Aliquanto autem post Eleazar Judæus e Galilæa profectus, Izatem ad Circumcisionem impulit. Jam diu convaluerat Izates, atque res regni composuerat, cum Helena venit Hierosolymam: incredibile porro est, reliquum anni Claudiani quinti spatium ad hæc omnia suffecisse. Itaque fames quam Josephus indicat, non in annum Claudii quartum, sed in sextum, vel septimum inciderat. Sed nec illa fames cum ea, quam prædixerat Agabus, satis congruit; quæ videlicet totum terrarum orbem

Spanhem. Differt. Hist. n. 22. p. 210.

Joseph Antiq. lib. 20.2.

invasit:

invasit: Hierosolymitana quippe fame grassante, Helena magnam vim tritici ex Ægypto apportari jussit; non obscuro sane vestigio, famem hoc ipso anno orbi terrarum illatam non esse.

Baronii, Petaviique magis sententiæ sum, qui famem ab Agabo instinctu divino prænuntiatam, anno Claudiano secundo illigarunt. Ex Dione præcipue, hanc facio conjecturam; λιμοῦ τε ἰσχυροῦ γενομένου, οὐ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα αἰῶνα προνοίαν ἐποιήσατο: *Fame ingenti exorta, non modo ad præsens tempus copiæ alimentorum, verum in perpetuum etiam prospexit.* Dio lib.60.p.671. Tam dira fames atque dura fuit, ut populus ea extimulatus, debitam Imperatori venerationem exuerit. *Arctiore autem annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro a turba, convitiisque ac simul fragminibus panis ita infestatus, ut ægre nec nisi postico evadere in palatium valuerit.* Suet. c. 15. Fames hæc, a Dione relata in annales, anno Claudiano 2°. accidit, Claudio ipso cum Cajo Largo consulatum gerente. Famem illam *particularem* fuisse, ab Eusebianis quidem prædicatur. Crederem, si probaretur. Sed admissa hac Chronologia, sequitur gravissimam illam famem, quæ prænuntiante Spiritu Sancto totum terrarum orbem invasit, penitus a Dione sileri: nullam etenim famem, anno 4°. Claudiano grassantem, commemoravit: cujus tamen, quippe dirioris, mentionem agitare debuisset. Sed & Actorum 11. de fame ab Agabo prædicta Lucas verba faciens, *singuli vero discipulorum prout cuique suppetebat decreverunt subministrationis causa mittere aliquid fratribus habitantibus in Judæa, quod & fecerunt mittentes ad seniores per manum Barnabæ & Sauli*, quæ legatio ante obita est, quam in Jacobum Agrippa manus injiceret. His accedit, quod *Tyrii & Sidonii petierunt pacem, eo quod aleretur regio ipsorum ex Regis ditione.* Quæ paulo ante Agrippæ mortem, ei ab Angelo oblatam, anno Claudii quarto evenere. Qui quidem annus, si dira fame ab Agabo prænuntiata pallidus fuit, qua ratione ex regni Agrippæ annona ali possent Sidonii & Tyrii, vix capio; cum annus ille, frugibus pauper, nutriendis Judæis non sufficeret. Itaque anno Claudii secundo famem præcipue sævisse, probabile satis est. Nec enim unius anni spatio videtur interclusa: cum nec anni sequentes segete divites fuerint.

Cæterum in quadriennii metachronismum incidit Baroniana Chrono-

Chronologia. *Hoc ipso anno secundo Claudii, eam ab Agabo Propheta anno præterito prædictam totius orbis famem referimus. Meminit & ejusdem famis Josephus.* An igitur fames, quæ annum Claudii secundum invasit, una & eadem est cum illa, quæ anno sexto dominabatur? Josephus certe Baronium ab errore debuit evellere. Edictum, quo servandæ stolæ Pontificalis potestas conceditur, anno Claudii quinto promulgatum est. Κλαύδιος Καῖσαρ Γερμανικὸς δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, ὕπατος ἀποδεδειγμένος τὸ τέταρτον: *Claudius Cæsar Germanicus Trib. pot. V, Cos. designatus quartum.* Atqui hunc annum excepit Helenæ Reginæ adventus Hierosolymam; fames igitur cui sublevandæ remedium attulit, dissimilis est illius, qua Claudianus annus secundus affectus est. Hoc etiam edicto Claudiano novus error, in quem delapsa est Chronologia Baroniana, emendatur atque sanatur. *Hoc eodem anno quadragesimo octavo* (verba sunt purpurati) *iisdemque Coss. Cuspidius Fadus negotium fecit Judæis de stola Pontificia olim illis reddita, quam rursus in Romanorum præsidum ditionem vendicare curavit.* An.48. n. 27. An negotium de stola Pontificia servanda Judæis anno Claudii sexto factum est a Cuspidio Fado, cum edictum post legationem Judaicam de obtinenda potestate servandæ stolæ promulgatum sit anno Claudii quinto, teste titulo, qui Imperatorio decreto præfixus est? Tribuniciam sane potestatem V. Claudius anno Dom. 45. Imperiique sui quinto, non sexto injerat. Sed & audax purpurati critica hinc conficitur. *Porro litteræ Claudii in nomine consulum, & in titulo depravatæ noscuntur, dum primo Silvanus pro Silano ponitur, & Rufus pro Valerio Asiatico, qui hoc anno consulatum gesserunt.* An. 48. n. 28. Atqui Valerius Asiaticus & M. Silanus, anno sequenti, sive Claudii sexto, annum aperuere: nec ordinarii suffective Coss. processerunt illo ipso anno, quo decretum de potestate servandæ stolæ Pontificalis Judæis concessa latum est. Retinenda sunt itaque nomina consulum a Josepho memorata, ἐγράφη πρὸ τεσσάρων Καλανδῶν Ἰουλίων ἐπὶ ὑπάτου Ῥούφου, καὶ Πομπηΐου Σιλουανοῦ: *Data 4. Kal. Julias, Rufo & Pompeio Silvano Coss.* Nec facile alicui veniet in mentem, Josephum, cui legendi decreti in Chartophylacio Hierosolymitano reconditi copia fuit, errasse tam turpiter, ut Rufum in vicem Valerii Asiatici substitueret. Quid similitudinis est Rufum inter & Valerium Asiaticum?

Inducere

Inducere igitur animum in meliorem cogitationem Baronius debuit, nempe quod Rufus, & Pompejus suffectos, non ordinarios consules agebant, cum Claudiana Epistola scripta est.

Doctis quæsitum, cur tam dira fames regnante Claudio terrarum orbem invaserit, neque potius Imperante Caligula, non homine, sed monstro hominis? Abditam numinis voluntatem atque retrusam nobis scrutari non licet. Caligula quidem Claudio longe pejor fuit. Sed nec horrendorum vitiorum Claudius immunis. Facti turpissimi memoria a Dione prodita est. Τοσοῦτον δὲ οὖν τὸ πλῆθος τῶν ἐν τῷ κοινῷ θνησκόντων ἐγίνετο, ὥστε καὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου ἀνδριάντα τὸν ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ ἱδρυμένον ἑτέρωσέ ποι μετενεχθῆναι τοῦ δὴ μήτε ἐφορᾷν αὐτὸν τοὺς φόνους νομίζεσθαι μήτε ἀεὶ καταλύπτεσθαι: *& quidem eorum qui ita in publico perirent tantus fuit numerus, ut Augusti statuam eo loco positam jusserit alio transferri, ne vel semper inspiceret cædes, vel semper velata esset. Delectabatur autem eo præsertim, si inter prandium, medio munere, casos homines intueretur.* Sævitiæ cumulus fuit, quod a Suetonio narratur. *Quocunque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno etiam, forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut expirantium faciem videret. Cum par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi parvulos ex utroque ferro in usum fieri sine mora jussit.* c. 34. Horribilem Principis sævitiam immissa dira fame in orbem terrarum castigari quid miri? Eo magis, quo verbi divini invalescebat odium atque contemptus.

AN. XLIV. NUM. LXVI.

De Helenæ Izatisque Adiabenorum Regis Religione. An Christi disciplinæ adhæserint? Baronii in Orosium propendentis absurda opinio. Orosius immerenter damnatus a Scaligero de fame a Prophetis prænuntiata. Stilo Paulino Prophetæ non solum V. Testamenti, sed etiam novi vates significant. Izatem Christianum hominem non egisse probatur: non modo ex Scriptorum Orosio antiquiorum silentio, sed etiam

ex

ex insigni Josephi loco, quo apparet Izatem polygamiæ a Christi disciplina abhorrentis tenuisse morem.

DE Religione Helenæ Adiabenorum Reginæ fretus autoritate Orosii, sic censet Baronius: *Hæc ipsa me in eam partem magis adducunt, ut existimem hos* (Izatem & Helenam) *fuisse Christiana fide imbutos.* Magis ergo propendes, Baroni, in eam opinionem quæ longe falsissima est: hæc scripsit Orosius lib. 7. c. 6. *Christianorum necessitatibus apud Hierosolymam, convectis ab Ægypto frumentis, Helena, Adiebenorum Regina, conversa ad fidem Christi largissime suppeditavit.* Quæ suæ criticæ spiculis sic confixit Magnus Scaliger, Animadv. in Eus. p. 192. n. 2065. *Crassi errores: Helena illa non ad Christianismum, sed ad Judaismum conversa: neque Christianorum, sed Judæorum necessitatibus frumentum ministravit.* Recte & verissime, cum ad Josephum Eusebiumque non quadret Orosius. At de Prophetis videtur immerenter damnatus a Scaligero. *Eodem anno* (verba sunt Orosii) *imperii ejus, fames gravissima per Syriam facta est, quam etiam Prophetæ prænunciaverunt*: quæ Scaligerana censura vexare non debuit. *Denique a Prophetis prædictam illam famem cum scribit, intelligit a Prophetis V. Testamenti, cum ab Agabo prædicta sit, Propheta Apostolicorum temporum.* Quibus argumentis vir ille doctissimus sibi persuaserit Orosium V. Testamenti attendisse Prophetas, nullus quidem video. Prophetæ vox vel simpliciter posita N. Testamenti Prophetas quandoque significat; quo sensu capienda esse hæc Paulina vix dubito, *superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ephes. 2. 20. Etsi non nesciam Patres in alia versari sententia. Sed Paulum veteribus Prophetis Apostolos præposuisse, non est verosimile, & Judæis ingratum fuisset. Nec alio modo quam de N. Testamenti Prophetis hæc licet interpretari: *Mysterium, quod aliis ætatibus patefactum non fuit, nunc est revelatum Sanctis ejus Apostolis & Prophetis, per Spiritum,* c. 3. 5. & c. 4. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas*; qui de N. Testamenti Prophetis locus est explanandus, conspiratione omnium Interpretum. Non repugnat igitur, imo probabilissimum est, voce *Prophetæ* Orosium N. Testamenti *Prophetas* sibi posuisse ante oculos, inter scribendum, Anno Claudii quarto, *famem gravissimam factam esse, quam etiam Prophetæ prænunciarunt.*

 Cæterum

Cæterum, inconsulte atque temere Purpuratus illustrissimus inclinat in Orosium, de Religione Izatis & Helenæ. Christianos fuisse nescivit Eusebius, qui eos locos incoluit ubi non erat obscurum, quid fidei Adiabenorum Rex exercuisset? Antiqua Religione abdicata, Principes ad Christi disciplinam erudiri adeo rarum est visu, ut nulla felicior materia sit in Annales. Nil utilius, aut conducibilius ad Christi, Ecclesiæque gloriam illustrandam. De Izatis Helenæque ad Christum conversione Scriptores Orosio antiquiores altum silentium egerunt, quia de illa nil fama, atque auditione acceperant. Quid his rationibus immoror? solidiori ariete opinionem Baronianam subruam. Adiabenorum Proceres, Vologeso Parthorum Regi scripserant, ut Izatem interficeret, & Principem alium quempiam Parthum genere, sibi præficeret. Jacturus extremam de capite aleam Izates, Deo belli commisit eventum. *Καὶ ὃν μέγιστον ἡγησάμενος ἔχειν σύμμαχον, κατατίθεται μὲν τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἰς τι τῶν φρουρίων ἀσφαλέστατον: fretusque hujus auxilio quem belli socium habere non nihilo æstimabat, uxores & liberos in munitissimum quoddam castellum deposuit.* Hem uxores! Atqui Polygamiam nescit Christi Religio. Itaque si doctrinam Evangelii amplexus Isates fuisset, una uxore contentus, eam profecto disciplinam tenuisset, quæ consentit Dominicis institutis; eo magis quo Rex ille conscientiæ teneræ fuit, scelerisque puræ.

AN XLIV. NUM. LXVI.

An, obtinente Mosis disciplina, Ethnicis Circumcisio ad salutem necessaria. Baronii, Clarissimique Cocceji affirmans sententia, ad examen revocata. Fœdus Nationale cum Abrahamo contractum, bona æterna sub conditione fidei, & temporalia sub Lege Circumcisionis comprehendisse. Illa omni mortalium generi esse oblata, hæc ad solam Abrahami progeniem pertinere. Adipiscendæ saluti imperatam Ethnicis non fuisse Circumcisionem, ostenditur ex Scriptura, Patribusque.

tribusque. Exemplis compluribus adversus Baronium demonstratur, non omnes recutitos salutem abdicasse Gentibus præceptorum Noacho datorum observantissimis.

NUnc incidimus in quæstionem tractatu dignissimam, quam movit illustrissimus Purpuratus: *Nec quenquam*, inquit, *Judæorum unquam reperi, qui absque Circumcisione posse salvari quempiam affirmaret, Lege expresse dicente, Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Sed & valentem nanciscor adversarium in hac opinione se socium Baronio conjungentem; Clarissimus ille Cocceius, multa laude inter Theologos celebratus, de Circumcisionis ad salutem necessitate, dum obtinebat disciplina Mosis, sic censet: *Hinc & Deus, qui olim incircumcisos non admiserat ad Pascha, Cornelium hominem pium, sed differentem circumcidi; prius voluit Spiritus charismasin, quam Circumcisione initiari, ut Circumcisio in ipsius persona primitus abrogaretur.* Mitto phrasim viri doctissimi, quæ indubitate Criticorum palato non sapiet, *prius voluit Spiritus Charismasin, quam Circumcisione initiari*: qua sequitur, post indulta Spiritus dona extraordinaria, Cornelium in se Circumcisionem admisisse; quod a vero quam longissime abest. In hanc opinionem invadam, quæ, ni fallar animi, fœdere non jungitur veritati, aut antiquitati. *Si qui communionem benedictionum Abrahami expeterent, non poterant se subducere a Sacramento quod Abrahamo datum erat.* Itaque Cocceiana censura Thomam, Becanumque vexavit, *quod dixerint gentes non fuisse obligatas ad observandam Legem Mosis, quia Israelitis data erat*, quo dicto nil peccasse videntur, cum solas Legis ceremonias attenderint.

Coc. de Fœd. c. 11.

Jus Divinum bifariam distinguitur: est quippe vel necessarium & fixum, vel positivum atque mutabile. Alterum perpetua expressaque exhibet Dei Sanctitatis vestigia, proindeque ab illius observatione animus nunquam liber esse potuit. Pugnat quippe cum præstantia Numinis, ut evertat & perfringat leges, vel præcipientes Dei amorem, proximi charitatem, temperantiam, castitatem: vel vetantes ea quæ virtutibus adversantur, Dei hominumque odium.

Quæ leges non in æs, vel etiam in marmora incisæ sunt, sed in ipsius Legislatoris substantia, quo perpetuæ sint: itaque sanctitas appellationem & naturæ Divinæ,& imaginis Dei nacta est,ut ratam,certam, firmam, fixamque esse Sanctitatis οὐσίαν palam ostendatur: *Maxima nobis ac pretiosa promissa Christus donavit, ut per hæc efficeremur* θείας κοινωνοὶ φύσεως; *Divinæ consortes naturæ.* 2 Pet. 1.4. Jus vero positivum, atque mutabile, a sola Numinis voluntate pendet, cum nullos æternæ bonitatis characteres, nulla ut ita dicam formæ Divinæ lineamenta, adducat ante oculos. Qua de causa a liberrima Dei voluntate finibus suis atque circumstantiis jus illud circumdatur. Non omnes mortales, non ubique locorum aut temporum, in obediendi obligationem inducit; sed illos solos quibus datum est. In rebus quæ juris sunt mutabilis annumeranda Circumcisio est, quæ solam Abrahami progeniem deponendi præputii necessitate astringebat. Quid his disertius? *Ero Deus tuus & seminis post te, si circumcidatur omnis mas.* Fœdus illud Nationale æterna bona & temporalia complectebatur. Illa salutem corporis animique cœlo adipiscendam sibi vindicant. Proposita vero conditio fruendi salute, fides est: non iners illa, quæ cadaver fidei potius quam fides est dicenda; sed efficax est, potens, Spiritus, vitæ, charitatis plena. Immutabili necessitate homo quilibet constrictus est hac defungendi conditione, si sibi bene esse velit, cum nemo sine fide Deo placere possit. Bona hæc æterna omnibus offeruntur: invitat Dei optimi benignitas, non Judæum modo, sed & Ethnicum ad resipiscendum, nec spem pœnitentiæ falsis promissis alit. Temporalia vero bona, quæ in fœdere Nationali cum Abrahamo contracto comprehendebantur, Regio Chanaan, in cujus possessionem liberi Abrahami mittendi erant, eorum propria fuere, ea lege atque conditione, ut masculi præputium abdicarent. Profecto, si vel obtinente Mosaica disciplina a Ceremoniarum Legalium usurpatione necessario pendebat hominum salus, obicem vel firmissimæ, atque constantissimæ voluntati inexsuperabilem, posuisse Deus dicendus est, cum ex ultimis Orbis terræ finibus, Hierosolymam contendere non daretur hominibus; nec Templum tanti esset spatii, ut gentes alio sub sole calentes continere posset.

Saluti adipiscendæ necessariam Gentibus non fuisse Circumcisionem,

nem, eximie declarat Regum hominumque sapientissimus Salomo, in oratione sua: *Quin etiam extraneo ipsi, qui non e populo tuo Israele fuerit, sed venerit e terra longinqua propter nomen tuum, audient etiam de nomine tuo magno, cum adveniens orabit versus domum hanc, tu auscultato e cœlis, statione habitationis tuæ, ut facias omnino prout clamaverit ad te extraneus.* 1 Reg. 8. 41. Quibus Ethnicus graphice depingitur: ille etenim qui præputium deposuerat, in loco numeroque Israelitarum ducebatur, teste Mose. Exod. 12. 43. *Quod si peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit Pascha Jehovæ; circumciditor ei omnis mas; tum demum accedito ad faciendum ipsum, & esto sicut ipse indigena terræ.* Profecto, proselyto Religionis nequeunt accommodari hæc Salomonis: *Extraneus qui non fuerit e populo Israel*: si porro onere Circumcisionis premi debuit Ethnicus ille, ut salutis compos fieret, an dixisset Salomo, *fac omnino prout ad te clamaverit?* Quid tam absurdum atque alienum quam oratio ejusmodi, si aditus ad Deum non patuit nisi ope Circumcisionis? Fingemusne Salomonem sic Deum precibus vanis fatigasse, fac Domine, quæ fieri nolle dixisti: orat te, obsecrat Numen tuum Ethnicus, ut sis ei propitius: auscultato, vel invita voluntate tua palam manifestata, qua exclusisti omnes qui præputium servant, æterna cœli felicitate, remissioneque peccatorum. Mirum profecto genus orationis, quod a tanti tamque sapientis Regis, Deique pleni, inter fundendum hanc precem, & pietate & prudentia longe gentium aberat.

Quid, malum, de Namane fiet, qui præputium non removit a se; addiceturne igni æterno? Magnam igitur Elisæi ἀβλεψίαν, qui viro fortunæ & animi bonis vere magno, atque miraculo sanationis penitus ab idololatria revocato, non dixit, adipiscendæ saluti, cum Rimmonis Religione, etiam præputium esse deponendum. De salute Namanis optime sperandum esse, monente Christo docemur: *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nullus eorum purificatus est, sed Naman Syrus.* Luc. 4. 27. Hominemne deploratæ salutis, quem inferorum exercebant pœnæ, in fidei exemplum Judæis adduxisset ante oculos? Tacite etenim Christus, & pietatem Namanis, ex qua tantum itineris susceperat laborem, & gratum in benefactorem animum, opponit Nazarenorum stupendæ incre-

 dulitati,

dulitati, cui optata miracula merito negata sunt; quod & impii illi sentientes, irarum pleni, Jesum e saxo dejicere tentarunt. Quid? illane Centurio de quo a Christo perhibitum, utique *non inveni tantam fidem* οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ; *ne in Israel quidem*, ad æterna supplicia damnandus, si eo momento vita concessisset? Constat etenim circumcisum non fuisse, ideoque a Judæis Christo commendatum, quod Judæis non insitus, Judæos tamen amabat, & Synagogam illis ædificaverat. Centurioni jungatur Syrophœnissa, cujus ad fidem Christus exclamavit, *mulier, fides tua magna est.* Veram fuisse, & Syrophœnissæ, & Centurionis fidem, argumento est tum ea quæ Dominum Jesum cepit admiratio; cum laudes quibus ad cœlum usque extulit illum hominem, quem non obscure, ipsis Apostolis antetulit; quorum fides plerumque miserum spiritum traxit. Magna hæc illa fides, Christi cumulata laudibus, nihilne salutis ad Centurionem, Syrophœnissamve attulit? Plane nihil, si clarissimo Coccejo creditur, imo illis plurimum nocuit; ingens quippe illa pietas, ad solam ἀναπολογησίαν conduxit, cum ad Sacramenta Judaica non accesserint, sine quibus æterna salute tum excidebatur. Itaque eo loci res erat, & causa Centurionis, Syrophœnissæ, aliorumque ejusmodi bene multorum, ut pluribus vapularent, cum voluntatem Domini probe intellectam, non præstarent; sed cunctatorum instar, auxilia ad felicitatem consequendam necessaria, non adhiberent; quod animi impii, & in Deum ingrati, genuinum est τεκμήριον. Eo quidem tempore, quo horum Ethnicorum pietati, laudes a Christo adjungebantur, vigebat adhuc Mosaica disciplina, pariete intergerino nondum subruto, promulgati Evangelii cuniculis; quocirca Apostolis legationem suam obeuntibus præscriptum fuit, post laudatam Centurionis fidem, *in viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini.* Matth. 10. Denique, Cornelius vir pius timensque Deum audiebat in præputio: nulla vero pietas fingi potest, quæ iis careat quibus usus obtinendæ saluti simpliciter necessarius est. Ut in quavis gente pietas cordi est, sic & tempore; ideoque Cornelii similes, absque Circumcisione Deo semper accepti fuere. Ad pietatem nil confert temporis circumstantia: quæ placuit in Cornelio Religio, non displicuit in Namane, aut quovis Ethnico, si ejus animus pares in

Deum

Deum vires effuderit; secus, Deus erit προσωπολήπτης. Quibus apparet Ethnicis nullam ex præputio suo adfuisse labem; quod liberi essent Circumcisionis præcepto, solis Abrahami sanguine cretis imposito. Hoc inter Judæos & Ethnicos interfuit, quod ex vi Nationalis fœderis, absentia Circumcisionis in Judæo post diem octavum, Sacrum Dei sigillum atque Sacramentum, in contemptum adducebat: in Ethnico, qui Abrahamo non ortus fuit, præputium retentum Circumcisionem non contemnebat, aut pro nihilo putabat, quam scilicet recipere non cogebatur.

Secundum Scripturam Patres nunc audiamus. Insignis est Augustini locus l. 18. de Civit. c. 47. *Nec ipsos Judæos existimo audere contendere, neminem pertinuiße ad Deum præter Israelitas, ex quo propagatio Israel cœpit esse, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera qui proprie Dei populus diceretur nullus alius fuit. Homines autem quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ cives Patriæ pertinens, etiam in aliis gentibus fuiße, negare non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de Sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israel fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est.* Quid clarius? Veri Israelitæ supernæ cives Patriæ, etiam *in aliis gentibus* fuere. Observandum quippe est, triplicem esse *Israelitæ* significationem. Vox illa designat vel externa specie Judæum, cui nil germani Israelitæ inest, præter Circumcisionem, Sacrificia, Templi aditum, ortum ex sanguine Abrahami, jus ad honores solis germanis Israelitis decretos; cætera impium atque prophanum: vel interna qualitate Judæum, corde circumcisum, pium, Deique amantem, sed corpore tamen præputium retinentem: vel utraque ratione Israelitam, corde & corpore. Primo quidem modo Judas ille proditor Israelitam agebat: secundo, Cornelius: tertio, Paulus. Qua distinctione constat, qui veram fidem animis imbiberant, Israeliticæ Reipublicæ inserendos esse, etsi a Circumcisione corporea alienos, quod *consanguinitate doctrina*, ut magnifice dixit Tertullianus, atque pietatis fœdere cum Abrahamo conjungerentur. Ambrosiaster in Galatas c. 5. *Possunt aliqui legem aliquatenus servare, & non circumcidi: nam multi Romanorum in Judæa, servabant legem incircumcisi: unde dicit Paulus Apostolus ad Agrippam Regem Judææ; Scio Rex Agrippa, credis Prophetis:*

tu: scio quia credis; & Centurio, cujus servus erat moriturus, qui mittens ad Jesum rogabat ut veniret & sanaret servum ejus: cui testimonium perhibentes Judai dicebant ad Jesum, dignus est ut prastes ei, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse adificavit nobis. Nemo tamen circumcisus, non totam legem servat: debitor est enim, quia circumcisis data est lex. Fallitur quidem Ambrosiaster circa Regem Agrippam, quem in numero locoque *incircumcisorum* habuit; sed vera prædicat in scribendo & Judæis datam esse Legem Ceremonialem, cujus præscriptis Ethnici obedire non tenebantur; & ex gente Romanorum nonnullos Legi morali obsequentes fuisse, ac Prophetarum oraculis adhibuisse fidem. Clemens Alex. ab illis plurimum abest qui Ethnicis Circumcisionem obtinendæ saluti necessariam existimant, cum vim instillandæ sanctitatis contribuerit Philosophiæ: Τοῖς γὰρ ὑπὸ φιλοσοφίας δεδικαιωμένοις, βοήθεια θησαυρίζεται, καὶ ἡ εἰς θεοσέβειαν συναίσθησις: *iis enim qui a Philosophia fuere justificati, auxilium tanquam thesaurus reconditur, ea quoque consensio qua ducit ad Dei cultum & pietatem in Deum.* Strom. lib. 1. pag. 206.

Negligentiæ suæ atque incuriæ debet imputare Baronius, quod *nullum Judaorum unquam repererit, qui absque Circumcisione posse salvari quempiam affirmaret.* Ex grege recutitorum bene multos duri, ferrei, inhumani pectoris fuisse scimus & tenemus, qui Ethnicorum deploratam esse salutem palam prædicabant: docet hoc Scriptura: *Quidam qui descenderant a Judaa docebant Fratres, & dicebant, nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.* Act. 15. *Incredibile dictu est* (verba sunt doctissimi Buxtorfii observatu dignissima) *quantopere Circumcisionem hanc suam extollant, quam arroganter, & impie eam passim jactent; & nos omnesque* ערלים *incircumcisos, contemnant & condemnent. Inter infinita alia; dicunt, Circumcisionem causam esse, cur Deus preces ipsorum exaudiat, nostras vero tanquam incircumcisorum, surda aure pratereat & negligat. De hoc legitur in libro Menoras Hammaor* גרלה מילה שבזכותה הק בה שומע תפילתן של ישראל וכו *Tantum est meritum, tanta dignitas Circumcisionis, ut propter eam Deus exaudiat preces Israelitarum. Hinc in precibus nostris dicimus: Quia tu exaudis* תפילת כל פה *precationem omnis oris* ואנו שומע פה הגויים אלא של ישראל בזכות המילה *nequaquam vero exaudit os gentilium Christianorum, sed Israelitarum, propter meritum Circumcisionis. Qui scire*

re avet, quomodo hoc Circumcisioni conveniat, notet, voculam Hebraam פה *os, in Cabalistica ipsorum Arithmetica in numeris continere* 85. *tantumdem valet* מילה *circumcisio*, 85. *Dum ergo dicunt, quia tu exaudis orationem omnis* פה *oris, perinde est ac si diceret omnis* מהול *mahul, circumcisi.* Præf. Buxtor. Synag. Jud.

Non omnes porro Judæi hoc furoris œstro perciti fuere: nonnulli sunt, quibus Deus præcordia finxit de meliore luto; testis ille Ananias, qui Regem Adiabenorum Izatem Religione Judæorum imbuerat. Cum enim Rex existimaret se non esse perfectum Judæum, nisi circumcideretur, respondit Ananias, δυνάμενον δ' αὐτὸν ἔφη, καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ Πάτρια τῶν Ἰουδαίων, οὗτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι: *licere autem ei etiam absque Circumcisione Deum pie colere, si Judæorum instituta placeant, in hoc enim magis sitam Religionem quam in Circumcisione corporis.* Joseph Antiq. lib. 2. 2. Ananiæ consentiebat Tryphon ille Judæus apud Just. Mart. μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ, καὶ ζῶντι ἀμέμπτως ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας: *manenti tibi in illa Philosophandi ratione, & inculpate viventi, melioris sortis spes relinquebatur.* Clarissimus Seldenus ex Beresith Rabba hæc suppeditat: *Traditio est* תני גוי שמברך את השם עונים אחריהם אמן *Si Gentilis Dominum benedixerit, respondendum esse a Judæo, Amen — Quisquis autem cultui extraneo, id est, Idololatriæ renuntiarit, is professione agnoscit Legem universam, uti & Prophetas universos, & imperata quæcunque acceperint Prophetæ ab Ada usque ad finem seculi.* Seld. de Jure Nat. l. 3. c. 4. Non omnem salutis Ethnicorum pietatem sanctitatemque colentium spem abjecisse Maimonidem, hæc testificantur: *Non receperunt Synedria proselytos in diebus Davidis ac Salomonis: non Davidis, ne ex formidine Regni Israelitici ad proselytismum se reciperent: non Salomonis, ne ob gloriam Regni; & tamen quamplurimi proselyti facti sunt in diebus Davidis & Salomonis, eorum viris privatis, & solicitum de hac re fuit Synedrium Magnum: non enim eos ex Ecclesia repellere voluerunt, eo quod erant Baptizati.* Ligtf. Hor. Heb. in Matth. c. 3. v. 6. Non obtusa adeo gestabant pectora Synedrii Decuriones ut Salomone Davideque regnantibus, inviderent Ethnicis Circumcisionem, si salutis viam in ea repositam esse, persuasum habuissent. Denique, Ethnicis piis, præceptorumque a Noa liberis suis

 traditorum

traditorum observantissimis, salutem non abdicavit doctus ille Rabbinus Manasse ben Israel, de Resurrect. Mort. l. 2. c. 9. *Non minus*, inquit, *verisimile est, omnes gentes, ac nationes aque resurrecturas esse atque Israelitas, juxta illud Veterum dictum: Piis ex Gentibus mundi pars erit in futuro seculo, neque illi tantummodo resurgent, sed etiam Beatitudinis futuri seculi: participes erunt, juxta illud Veterum pronunciatum: Non fraudat Deus præmio ullam creaturam; ac proinde dicunt, illis pars erit.* Recte: quis enim tam duri ferreique oris est, ut hominem ab omni vacuum Idololatria, Sanctissimo Numini benedicentem, ab hominum odio abhorrentem, castitatis perpetuæ amantem, a furto rapinaque temperantem, veritatem animo colentem, æternis addicet suppliciis, quod præputium non deposuerit, quia sanguine Abrahami, cui soli Circumcisionis præceptum impositum est, cretus non fuerit.

ANNO XLIV. NUM. LXVII. LXXIII.

De Collecta Antiochena Hierosolymam missa. Usus Collectarum frequens. An prima fuerit pro egenis discipulis facta? Affirmantis Baronii sententia refellitur. Collectæ ordinariæ & extraordinariæ. Ordinariarum usus viguit a teneris Ecclesiæ unguiculis ad morem disciplinæ Judaicæ in Gazophylacium opes congerentis. Cujus occasione explicatur Matthæus. c. 6. v. 2. Eruditissimi Stephani Lemoine, Janseniique explanatio. Alia verisimilior. Quid Corbona apud Cyprianum? Gazophylacium non designari, contra Baronium ostenditur. Extraordinariæ Collectæ sæviente persecutionum procella, exempla complurima. De Summa pecuniæ a Cartaginensi Ecclesia collecta ad levandam Confessorum miseriam. Valor Summæ ex Rigaltio. Alia ex Gascendi æstimatio. De Collecta Denarii Sancti Petri, nec non Eleemosyna Pa-

Paschali. Cur Christianis Judæam habitantibus missa potius Collecta quam cæteris? Conjectura Baroniana rejecta, melior affertur.

OMni cogitatione & cura prisci Christiani incumbebant levandæ paupertati Fidelibus. Charitate hominum, disciplina Domini, exemplo Judæorum invitabantur Eleemosynas egentibus, atque alimenta suppeditare. Claudianæ igitur fami vellendæ Ecclesia Antiochena non defuit Hierosolymitanis operâ. Subministrationis causa miserunt aliquid Fratribus habitantibus in Judæa, per manum Pauli & Barnabæ. Judæis sua fuit Collecta מצבת חכמים *Collecta pro sapientibus* dicta. Judæi quippe qui regiones exteras incolebant, stipem colligebant mittendam Rabbinis pauperioribus, habitantibus Judæam. Eo pertinet Lightfootiana observatio de Abba Juda: *In paupertatem redactus, cum videret Rabbinos, dejecto erat animo, domum se contulit mœsto vultu: dixit ei uxor; Quare languet vultus tuus? Respondit, advenerunt Rabbini, & ego quid faciam non novi. Dicit ea illi, reliquus est tibi ager unus; abi, & dimidium ejus divendito, & dato illis; quod & fecit: cumque illi discessissent, abiit ille aratum in dimidio agri sui, ac invenit Thezaurum.* Hor. Hebr. in Cor. c. 16.

De Collectis multa docte scripta sunt a Baronio; verum tamen, ni fallar animi, non semel & hic ab eo peccatum est. De Collecta quippe Antiochena; *hac prima* inquit, *pro indigentibus Fratribus reperitur in Ecclesia, ex multorum collatione ad usum pauperum facta collecta.* Quæ non sine ἀβλεψίᾳ scripto mandata. Quid? exuetne Collectæ nomen stupenda illa Fidelium charitas, a Luca in Ecclesiæ fastos relata, Act. 4. 34. *Nullus enim erat egenus inter eos: quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum quæ vendita fuerant, & deponebant ad pedes Apostolorum: distribuebatur autem hoc singulis, prout cuique opus erat?* Sed nec sibi constat illustristissimus Purpuratus: in Collectis recte quidem annumerat illas λογίας, de quibus sciscit Apostolus, 1. Cor. 16. *Primo quoque die Hebdomadis, unusquisque vestrum apud se seponat recondens ut Thezaurum, quodcunque ipsi datum fuerit, ut possit*

commode: Atqui id Collectarum genus a teneris Ecclesiæ unguiculis in ea viguit; ex illa nimirum die, qua Christiani primam Hebdomadis feriam in memoriam Resurectionis Dominicæ celebrarunt: quod exemplo Christi factum; antequam etenim ultimum obiisset diem, in usum pauperum corradebatur pecunia, quam in loculis reconditam, proditor ille Judas erogare pauperibus debuit. Itaque cœtum agitantibus discipulis, indubitate aliquid pecuniæ conferebant, in paupertatem levandam.

Ut hanc materiam scitu dignissimam diligentius explanemus, Collectæ bifariam dividi debent; sunt enim ordinariæ, vel extraordinariæ: ordinariæ singulis Dominicis offerebantur, quod a laudabili Judæorum ritu in Christianos a primis incunabulis derivatum: extabat enim in Templo γαζαφυλάκιον, de quo multa satis diximus, quod Tubæ arriepiebat similitudinem, quo non omnibus obvium locum illustrari credidit, doctissimus ille Stephanus Lemoine: *In Templo habebant* קרבני *Corbanot, & vasa quædam in quæ Eleemosynas jaciebant, quæ formam Buccinarum referre videbantur, ore angusto, corpore vero ampliore & quasi sinuoso. Hinc est quod vocarentur revera buccinæ* שופרות, *in quas ex ære metalloque tinniente fabricatas, Eleemosynas suas impetu quodam infunderent Pharisæi, quæ tinnitu suo adstantibus significarent largam & copiosam fuisse Eleemosynam. Ideo D. noster Jesus increpans ostentationem, & vanam Pharisæorum gloriam, adstantium plausum & laudes captantium, Matth. 6. 2. dicit illud σαλπίζειν buccinam inflare, buccinæ sonum mittere, non quod veris buccinis sonarent Pharisæi cum Eleemosynas erogare vellent; sed in cistas buccinarum forma elaboratas, illas effunderent, & quæ ita resonarent, ut sonum buccinarum referre viderentur.* Acute sane, more suo, sed in humanissimi, juxta ac doctissimi viri explicatione aqua hæret. Ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην, μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις: *itaque cum præstabis Eleemosynam, ne curato buccina cani coram te, sicut Hypocritæ faciunt in Synagogis, & in plateis.* Atqui in plateis nulla vasa ad tubarum similitudinem accedentia, in quæ ex ære metalloque tinniente fabricatas, *Eleemosynas suas impetu quodam infunderent Pharisæi*, quæ tinnitu suo adstantibus significarent largam & copiosam fuisse Eleemosynam. Itaque aliud innuit sermo Dominicus.

Lemoine var. Sac. p. 37.

minicus. Nec placet Jansenii, quæ innumerorum est explicatio: *Mos erat antiquus, tuba sonitu pauperes convocare ad locum & tempus Eleemosyna: & rationabiliter hic mos erat institutus ad tollendam incertam mendicantium vagationem, & ut nemo egenus a beneficio excluderetur.* Crediderim potius alludi ad morem congregandi tubis populum cum aliquid faciendum erat; aut ad comœdias, cum ad Theatrum prodeundum; quod cum ingenti strepitu palam fieret, fastum hypocritarum atque jactantiam in erogandis Eleemosynis, non invenuste his designat Christus; *ne curato buccina cani coram te.* Sic ostentationi Pharisaïcæ, Eleemosyna ἐν κρυπτῷ a Christo opponitur. Profecto, Judæorum monumenta clangorem tubæ nesciunt, convocandis pauperibus ad locum tempusve Eleemosynæ. Egregium hunc Judæorum morem congerendarum Eleemosynarum quæ pauperibus essent auxilio, laudabiliter imitatione Christiani sunt prosecuti, & cum consuetudine nomen Hebraïcum in Ecclesiam derivatum: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, qua Corbonam omnino non respicis:* quæ leguntur apud Cyprianum p. 218. lib. de Opere & Eleem. sed Baronio assentiri non possumus de significatione Corban: *In Ecclesiis erant Gazophylacia, in quibus oblata pecunia conderentur, qua à Cypriano Corbona nuncupantur.* n. 69. Arcula in quam pecunia congerebatur, non designatur a Cypriano voce hac *corbona*; sed donum ipsum à Fidelibus oblatum. קרבן *corban* scilicet, oblationem Hebræis significat, Levit. 2. 2. ואם מן הצאן קרבנו *& si oblatio ejus de grege est.* Similiter c. 6. 20. זה קרבן *hac est Aronis oblatio:* Sed & Marci 7. 13. κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον: *Corban, id est, donum.* Qui vocis intellectus materiæ a Cypriano tractatæ aptus est atque congruens. *Locuples & dives es, & Dominicum celebrari te credis, qua Corbonam omnino non respicis, qua in Dominicum sine sacrificio venis, qua partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis.* Quæ annotatione sua egregie illustrantur ab amplissimo Rigaltio: *Sacrificia dicit Eleemosynas in usus Fidelium collatas. Inter Eleemosynas erant panes per Eucharistiam sacrandi: de panibus autem istis quandoque dives parcus & sterilis, hoc est, qui nihil contulerat in Eleemosynam, sumebat Eucharistiam, quod pudendum esse ait Cyprianus; divitem aliquid accipere de paupere, nec dare quidquam pauperi.* Hæc igitur Cyprianica Corbona

Jans. Concord. c. 41.

bona, non Gazophylacium, non arculam ad recipiendas Eleemosynas instructam, designat; sed sacrificium ab ipsis Fidelibus oblatum, hoc est, Eleemosynas, ut levem miserorum paupertatem efficerent.

Extraordinaria vero Collecta in usu fuit, cum Ecclesia persecutionibus, vel arcta fame, gravissimam in tempestatem inciderat. Præclarum hoc egenis remedium Collectarum adhibebant; præcipue Ecclesia Romana ut divitiis, sic charitate pauperum, omnibus antecellebat, ut sciri facillime potest ex Dionysii Corinthii Epistola, Sotero tunc temporis Episcopo Romanæ urbis, nuncupata. Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμῖν ἔθος ἐστὶ τοῦτο, πάντας μὲν ἀδελφοὺς ποικίλως εὐεργετεῖν, Ἐκκλησίαις τε πολλαῖς ταῖς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐφόδια πέμπειν: *hæc enim vobis consuetudo est jam inde ab ipso Religionis exordio, ut Fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis.* Optimis hisce exemplis addebat se Carthaginensis Ecclesia, ut apparet ex aurea Cypriani Epistola ad Episcopos Numidas de Redemptione Fratrum, ex captivitate Barbarorum: *Denique, maximas vobis gratias agimus; quod nos vestræ solicitudinis, & tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis; ut offerretis nobis agros uberes, in quibus spei nostræ semina mitteremus, expectaturi messem de amplissimis fructibus qui de hac cœlesti & salutari operatione proveniunt. Misimus autem sestertia centum millia nummum, quæ istic in Ecclesia cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri & plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt.* Mendum inesse in Cypriano, rectissime monuerunt viri doctissimi, Rigaltius, & Joan. Freder. Gronovius, lib. de Sestert. n. 18. Frustraque Pamelium addubitasse de vitio vulgatæ istius scripturæ: etenim Latinam non esse, nec ullam Summam Latine quidem significare: itaque procul dubio scribendum, *Sestertium, centum millia nummum.* Quid nostræ pecuniæ esset Summa hæc, declaravit amplissimus Rigaltius: *Quæ*, inquit, *scriptura, Summam conficiet nostrarum hodie librarum* 25000. qua de æstimatione pendet mihi animus, nam ex ingeniosa doctissimi Gassendi æstimatione, *Sestertium idem est quod mille nummi, & quot numeramus Sestertia, totidem mille nos intelligamus nummos.* Sestertium igitur, centum millia nummum, valerent 9305. & 115, $1\frac{1}{4}$ libris Gallicis.

Gallicis. Comminutæ sæpius, ac depressæ Carthaginensis Ecclesiæ opes vi persecutionum, æstimationi Gassendi non minimum favent, eo magis quo exploratum, Cyprianicis temporibus argentum fuisse rarius, quam nunc est.

Silentio ne id quidem prætereundum, ad exemplum Collectarum perferendarum Hierosolymam, institutum esse genus Collectarum, quod *Patrimonium S. Petri* nomen habuit. Audiatur Gregorius Magnus l. 5. Epist. 53. *Quia igitur Patrimoniolum ipsum per annos plurimos prædecessor vester tenuit, & collectas apud se pensiones servavit; Fraternitas vestra cujus sint res, vel cui erogentur consideret, atque eas animæ suæ respectu, supra scripto filio nostro Candido Presbytero nobis restituat dirigendas.* Pecunia hæc sponte erogabatur, partim alendis pauperibus qui Romam undiquaque confluebant, partim usibus piis. Summa vero solidorum aliquot erogabatur, ipso Gregorio teste: *Pergens auxiliante Domino Deo nostro J. Christo ad Patrimonium quod est in Galliis gubernandum, volumus ut tua Dilectio ex solidis quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui ab annis 17 aut 18 sunt in Monasteriis docti, ut Deo proficiant, comparet.* Greg. l. 5. Ep. 10. Spontaneam hanc piamque erogationem Gregorius 7. mutare voluit in vectigal, Sedi Romanæ debitum: itaque l. 8. Epist. ult. memorat *in Archivo Ecclesiæ Sancti Petri tabulas asservari, quibus Carolus Magnus jussit tribus in locis, puta Aquisgrani apud podium Sanctæ Mariæ, & apud Sanctum Ægidium, annuatim colligi mille ducentas libras, ad servitium Sedis Apostolicæ, excepto quod unusquisque propria devotione offerebat. Quocirca* (verba sunt Richerii) *Gregorius 7. sicut nunquam fuit negligens ampliandæ suæ potestatis, ita Legatis suis imperat quos in Gallias mittit, dicerent omnibus Gallis, & per veram obedientiam præciperent, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvant B. Petro, si eum recognoscant Patrem & Pastorem suum, more antiquo.* Richer. Hist. Conc. Gener. c. 9. n. 5. 6.

A Collectis non aliena est Eleemosyna *Paschalis*, quæ levandæ paupertati erogabatur; hanc itaque Eleemosynam leviter in transitu attingam. Autoritate & exemplo Constantini, ni fallor, viguit hoc Eleemosynæ genus. *Διαλαβούσης ἢ τὴν ἕω τὰς Σωτηρίυς ἐυεργεσίας μεμνήμενος, πᾶσιν ἔθνεσιν λαοῖς τε καὶ δήμοις τὴν ἐυεργετικὴν ἐξήπλου δεξιὰν πλούσια πάντα τοῖς πᾶσι δωρούμενος: simul vero ac dies*, Paschatis,

ſchatis, *illuxerat, Servatoris noſtri beneficentiam imitari ſtudens, univerſis gentibus, Provinciis, ac populis largam manum porrigebat, opulentiſſima donans omnibus munera.* Quem & morem alii tenuere; ſolebant enim veteres Chriſtiani feſto Paſchali ſtipem pauperibus erogare, idque non ſolum Laïci, verum etiam Clerici ſtudioſe præſtabant. Qua de re illuſtris eſt locus Commodiani, *Inſtructione* 75, non ut habet Eruditiſſimus Valeſius, *in l.* 2. *Inſtitutionum*: ſimplex liber eſt:

Clericis
Congruit in Paſcha, die feliciſſimo noſtro,
Letentur & illi qui poſtulant ſumpta diurna
Erogetur eis quod ſufficit, vinum & eſca.
Reſpicite ſomem quo memorentur iſta pro vobis.
Immodico ſumptu deficitis Chriſto donare,
Cum ipſi non facitis, quomodo ſuadere poteſtis
Juſtitiam Legis talibus? Vel ſemel in anno:
Sic multos urget blaſphemia ſæpe de vobis.

De eadem Eleemoſyna Paſchali Anaſtaſius in vita Hadriani Papæ loquitur his verbis: *Simulque & in Balneo juxta eandem Eccleſiam ſito, ubi fratres noſtri Chriſti pauperes, qui ad accipiendam Eleemoſynam in Paſchali feſtivitate annue occurrere, & levari ſolebant.* Valeſianæ huic obſervationi addam ex abundanti Amalarium de Pontificis Romani Eleemoſyna: *Prætitulatur in Sacramentario noſtro, & in Antiphonario, Sabbato vacat Dominus Papa, Eleemoſynam dat. Cogitare oportet, quare eadem die potiſſimum Eleemoſyna Apoſtolici recitetur, cum per omne tempus anni Eleemoſyna tribuenda ſit ---- Apoſtolicus vir in memoriam devotiſſimæ mulieris, membris Chriſti facit quod læſa fecit capiti ---- hoc precioſiſſimum exemplum ſequitur Apoſtolicus; utinam & nos ſequamur! ubicunque enim Officium Romanæ Eccleſiæ agitur, hæc fama perſonat, Dominus Papa Eleemoſynam dat.*

Amal. de Eccl. Offic. li 1. c. 9.

Ad Baronium redeo: quamobrem Chriſtianis in Judæa verſantibus, Eccleſia Antiochena miſerit Eleemoſynas, non autem iis qui in diverſis regionibus conſiſtebant, aliquid cauſæ fuit, in longe majori Chriſtianorum Judæam incolentium egeſtate, quam cæterorum. Quodnam vero principium fuerit gravioris hujuſce paupertatis, aperit eruditiſſimus Purpuratus: *Tenebantur quidem,* inquit, *majori*

inopia

inopia adstricti Christiani qui in Palæstina erant, cæteris omnibus. Nam in ea quæ post necem Stephani in eos est excitata persecutione, loco pulsi, si quæ illis residua erant bona, amiserant; de his enim meminit scribens Paulus ad Hebræos; cum ait; rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Quam rationem Baronio fœneravit Aquinas, prima fronte non absonam; sed re diligentius perpensa atque explorata, in errorem Chronologicum delapsum fuisse Baronium, deprehenditur; cum verba Paulina ad persecutionem quæ Stephani causa mota est, non pertineat, sed ad diversam. Verbis doctissimi Estii, quam meis, Purpuratum confutari malim: *Respicere videtur quibusdam Apostolus ad persecutionem fidelium Hebræorum Jerosolymis habitantium, quæ facta fuit sub Stephano, de qua Act. 8. & 9. Quando & ipse Paulus nondum ad Christum conversus, exercendæ persecutionis in Christianos erat unus ex præcipuis ministris. Unde B. Thomas in parte præcedenti, vinctos interpretatur eos de quibus ibidem dicitur; quod Saulus per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. Neque sane ex Actorum libro apparet, ad quod aliud tempus hæc commode referri possint. Eandem porro verisimile est, hanc esse persecutionem, cum ea cujus meminit idem Apostolus 1 Thess. 2. Ita scribens: Imitatores facti estis, Fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa; quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis. Cæterum, merito dubites, an congruum sit Apostolum loqui de iis persecutionibus quas ipsemet adversus eos commoverat & exercuerat; potius igitur credendum de aliis quibusdam, variæ enim fuerunt, ista dici quæ post conversionem Pauli jam acciderant.* Recte atque sapienter. Mota Stephani causa persecutione, Ecclesia Hierosolymitana fugam, vincula, carceres passa quidem fuerat; jacturam vero bonorum fecisse, non legimus. Nec Paulus olim fax & turbo Ecclesiæ, qui crebro illiberalia facinora sua memorat, de bonis direptis verbum ullum habet. Denique, non obscure innuit divinus autor Epistolæ ad Hebræos bona Christianis ex Judæorum grege adempta fuisse diu post Stephani carnificinam, cum de vinculis suis mentionem prius injiciat, quam de bonorum direptione: *Nam*, inquit, *& vinculis meis mecum affecti fuistis, & direptionem eorum quæ vobis suppetebant, cum gaudio excepistis.* Persecutione Stephaniana discrepat illa cujus mentionem movit Paulus ad Thessalonicenses, de Judæis verba faciens,

Est. in Heb. c. 10. 34.

 qui

qui etiam Dominum Jesum, & proprios Prophetas occiderunt, & nos expulerunt.

Alia igitur probabilior ratio, quam inops illa Baronii, quærenda est, cur Palæstini Judæi majori inopia tenerentur: apparentem hujus rei causam eruditus Cunæus attulit l. 1. de Repub. Hebr. c. 4. *Tales Leges atque ejusmodi scita Hebræi acceperunt, qui res opesque omnes sitas in agris habebant: ex illis vel abundantia eorum, vel egestas pependit. Cujus rei ego maxima documenta hæc habeo, quod quoties pecunias illis exteri Reges imperaverunt, septimus quisque annus ita in angustum oppido omnes eorum copias coegit, pene ut pendere eas nequiverint. Erat enim edicto Legis cautum ne per illam tempestatem terra coleretur, neve quis fruges tunc colligeret, quæ omnis pecuniæ fundamentum erant.* Præterea ex proventu fructuum & decimas plures, & *Terumot* solvebant. Magnis igitur urgebantur angustiis, dum fruges terræ silebant. Paupertatis vim intendebat neglectum Judæis commercium, cujus ope, succurrunt subsidia tantis malis; audiatur Josephus contra Appio. Apologia prima: ἡμεῖς οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτε ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς διὰ τούτων πρὸς ἄλλους ἐπιμιξίαις, ἀλλ' εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι ταύτην ἐκπονοῦμεν: *nos neque terram habitamus, quæ mari vicina est, neque negotiationibus gaudemus, neque earum causa nobis consuetudo cum aliis gentibus est, sed sunt urbes quidem nostræ procul a mari sitæ: ipsi autem nos Regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus.* Si fames ab Agabo prænunciata incidit in annum Claudii secundum, quod nobis probabilius visum; annus ille Sabbaticus fuit, quo agri Judaïci silebant. Captæ sunt a Sosio Hierosolymæ, M. Agrippa & Canidio Gallo Coss. Anno U. C. 717. qui *Sabbaticus* fuit, teste Josepho Antiq. l. 14. c. 28. Claudiani imperii annus secundus est U. C. 795. proindeque a septingentesimo decimo septimo, septuagesimus septimus annus, quo nimirum 795. constituitur, Sabbaticis apponi debuit: quo casu fames longe miserior annum hunc incesserat.

AN.

De Septem Latinæ Ecclesiæ Ordinibus. Distinctio Ordinem inter & Officium a Baronio proposita. Quid rei sit, declaratur ex Bellarmino? Distinctionis hujusce insolens Antiquitas. Fundamentum distinctionis Ordinem inter & Officium, ex respectu Ordinis ad Sacrificium male jactum fuisse, ostenditur ex Ignatio, Epiphanio, Amalario. An septem Ordines Latinorum ab institutione Apostolica manarint? Ignatii ad Antiochenos Epistola, cui plurimum innituntur Shelstratus Baroniusque, subdita est. Pugna hujusce Epistolæ cum illa ad Trallianos. Apostolicis temporibus bina tantum Officia Ecclesiastica, teste Clementis ad Corinthios Epistola. Minores Ordines nescit Autor ille qui audit Ignatius. Strabonis, Lombardi, Aquinatis de institutis ab Ecclesia minoribus Ordinibus testimonia. Distinctio ab Ordine Rom. aliisque bene multis usurpata Ordinum Sacrorum & non Sacrorum? Discriminis origo. Pamelii sententia rejicitur. Distinctionis fundamentum ab institutione petendum. In tertio seculo incunabula reperiuntur minorum Ordinum An septem Latinorum Ordines in usu fuerint apud Græcos? Affirmantis Shelstrati opinio multis rejicitur. De Ordinum numero Latinorum lites. σοφὸν Bellarmini φάρμακον rejicitur. Tot Ordinum multiplicatio inutilis Ecclesiæ ædificandæ.

NObilissimam de Ecclesiæ Ordinibus quæstionem ingredimur, quæ gemini cum Baronio præbet certaminis ansam. Alterum de φύσει, naturaque Ordinum; alterum de eorum antiquitate com-

 mittitur.

mittitur. *Præterea vero* (verba sunt Purpurati) *ut diximus, Ordines Ecclesiasticos constat ab Officiis fuisse distinctos, septemque numero fuisse stabilitos; videlicet, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, atque Presbyterorum.* Ordinem inter & Officium, aliquid discriminis esse facile patiar. Apostolatus etenim, munus Propheticum, cæteraque ejusmodi munia, Ecclesiæ condendæ necessaria, Officia quidem erant, non Ordines, cum longum in ævum non perdurarint; fulgurum instar, quæ subito micant, & momento extinguuntur. Quid vero inter Officium ordinarium, & Ordinem intersit, vix mente capimus; sed laborantibus succurrit Bellarminus, qui quid hoc mysterii sit, apertius explanavit: *Catholici* Bellar. de Cler. l. 1. c. 11. *certum ac statum numerum esse volunt eorum qui proprie Ordines Clericorum nominantur. Est autem observandum, duobus modis accipi solere apud autores Ordinem Ecclesiasticum: uno modo proprie; alio modo communiter. Proprie illi dicuntur Ordines, qui certo ritu Sacro, & solemni, conferuntur ab Episcopo, & ad certum ministerium Sacrificio exhibendum referuntur; qua ratione septem duntaxat Ordines numerantur; videlicet Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Lector, Exorcista, & Ostiarius. Communiter autem dicuntur Ordines, illi omnes qui quomodocunque dedicantur Divinis obsequiis, etiamsi non referantur ad Sacrificium, & hoc modo etiam Monachi, Virgines, & Viduæ Deo sacratæ, nec non laborantes in sepeliendis defunctis, Ordines aliquando dicuntur a Patribus.* Hanc animo doctrinam Cardinales imbibisse nil miri, cum in Tridentini Concilii sententiam locuti sint; sic enim sciscit, Sess. 23. c. 2. *Cum autem divina res sit tam Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione, plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex Officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent—Ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii; in usu fuisse cognoscuntur.*

Latinæ Scholæ scriptoribus familiarem esse distinctionum usum, satis superque novimus; sed distinctiones suas probare Antiquitatis consensu, hoc opus, hic labor est: nec verba, nec verbis res significatæ in Conciliorum, Patrumve monumentis, ullo vestigio re- [illegible] periuntur.

[illegible]

periuntur, Iterum dicam, nusquam gentium legitur apud Antiquos, distinctio, vel Bellarminiana, *Ordinis uno modo proprie accepti, alio modo communiter*; vel Baroniana, *Ordinis & Officii*; imo passim & ubique inveniuntur multa, quæ cum hac distinctione non conspirant. Ordo Romanus indiscriminatim Officii & Ordinis voces usurpat: *Ostiarii cum ordinantur, postquam ab Archidiacono instructi fuerint, qualiter in domo Dei debeant conversari, ad suggestionem Archidiaconi, tradat eis Episcopus claves Ecclesiæ de altari.* At & in oratione, & in benedictione, Ordo ille dicitur *Officium*: *Domine, Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, N. in Officium Ostiariorum.* Similiter in Lectorum ordinatione: *Oremus dilectissimi nobis, Deum Patrem, omnipotentem, ut super hos famulos suos, N. quos in Ordinem Lectorum dignatur assumere, benedictionem suam clementer effundat.* In eorum Benedictione: *Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, N. in Officium Lectorum.* De Exorcistis: *Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos, N. benedicere dignetur in Officium Exorcistarum.* In Benedictione; *Benedicere dignare hos famulos tuos, N. in Officium Exorcistarum.* t. 10. Bibl. pat. 99. Profecto, si Ordinem ab Officio re ipsa distingui scivisset hujusce libri conditor, benedicendis & consecrandis Exorcistis, Officii nomen non adhibuisset, quod admissa distinctione, nec proprium est, nec accuratum.

Distinctionis porro fundamentum facillime convellitur; in eo quippe positum, quod Ordines referantur *ad Sacrificium*. Atqui ad hanc illam χέσιν, proprie fabricata non est Ostiarii, Exorcistæve natura; nec eorum audito sive nomine, sive munere, appellimus mentem ad Sacrificium: quo constat illam χέσιν horumce munerum ἐσίαν non subire. Observabat ancilla Rhode fores domus Marci, in qua Christiani cœtus suos agitabant, nec id officii respectum ullum necessarium habebat ad incruentum Eucharistiæ Sacrificium, quod dubio procul tum celebrabatur; nec si provincia hæc viro alicui demandata fuisset, ideo hujusce Ostiarii munus, ab illo quod ancilla Marci exercebat, discrepasset, cum ambo functionibus, vir & mulier similes fuissent. Personatus ille Ignatius ad Antiochenses scribit: *ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων τὰς ἐν Χριστῷ Διακόνους: saluto custodes Sanctarum portarum quæ sunt in Christo Diaconissas.*

Hoccine officium, & ministerium Sacrificio divino exhibet! quidni igitur in Ordinibus proprie dictis annumeratur? Si vero non *refertur ad Sacrificium*, quamobrem Ostiariis affigatur respectus ad Eucharistiam nullus video. Tantumne interest munus Sacras custodiendi fores, veniat in manus mulierum, an virorum, ut in his Ordo sit *proprie*, notam animo inurens indelebilem; in illis vero Ordo *communiter*, sive *ἀκύρως*. Habet admirationem hæc Purpuratorum sententia, quod in germanum Ordinem Diaconissas non referant, quæ & ordinatæ sunt, & impositione manuum consecratæ. Justinianus, Novella 123. *Διακονίσσαν δὲ ἐν ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ μὴ χειροτονεῖσθαι, ἣ τις ἐλάττων ἐστὶ τῶν τεσσαράκοντα ἐνιαυτῶν: Diaconissam in Sancta Ecclesia non ordinator, quæ minor quadraginta annis sit.* Chalcedonense Concil. c. 14. *Diaconissam non debere ante annos* 40. *ordinari statuimus ---- Si vero ordinationem susceperit, & quantocunque tempore observaverit ministerium, & postea nuptiis se tradiderit, anathema sit.* Potentissimum ex Epiphanio ducitur argumentum in Latinorum sententiam: *Λοιπὸν ἀναγνωστῶν τάγμα ἐξ ὅλων τῶν ταγμάτων, τουτέστι παρθένων, καὶ τῶν ἐκ ἐν σεμνῷ γάμῳ, εἰ δὲ εἴη ἀνάγκη, καὶ ἀπὸ τῶν μετὰ θάνατον τῆς πρώτης γυναικὸς δευτέρᾳ συναφθέντων: secundum hos gradus Lectorum Ordo, ex omnibus Ordinibus eligi potest, hoc est e virginibus, monachis continentibus, viduis & iis qui honestis matrimoniis illigantur: imo si necessitas tulerit, ex illis etiam adciscuntur, qui post prioris uxoris obitum, cum altera sese copulaverunt.* Quo Epiphanii testimonio luce clarius est, Lectores Ordini proprie dicto inserendos non esse, cum id muneris & Laïcis imponi possit. Denique, fictam hanc Latinorum distinctionem Ordinis & Officii, funditus perimit insignis ille Amalarii locus: *Primo, notandum est, eos Ordines qui potissimum necessarii sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, & eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet, sine Sacerdote & Diacono. Ut sine retardatione Sacerdos vigilet circa hostias necessarius est Diaconus, ad ministrandum ea quæ necessaria sunt Sacerdoti. Cæteri Ordines his adjecti sunt, crescente Ecclesia, crevit Officium Ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset; adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum. Unde Ambrosius in tractatu Epistolæ ad Timotheum, illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque Subdiaconorum,*

Amal. de Offic. Eccl. l. 2. c. 6.

norum, neque Lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur: illis etenim gradibus functionum qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit. Unde nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur: sed alii quidem eorum lectionum officium implent; alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent ministeria, nec non solicitudinem implent luminariorum. Nam mysterii ministerium Presbyteri soli implent & Diaconi: alii quidem eorum Sacerdotale opus implentes, alii vero Sacris ministrantes. Hoc ex illustri loco fluenta manant argumentorum. Si Apostolus *denominavit* illos Ordines, sine quibus non potest rite immolatio Altaris celebrari, utique minores Ordines non instituti sunt proprie atque præcipue Sacrificii celebrandi causa, quod recte absque ope Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, Subdiaconorum perpetratum est. Si adjecti sunt, crescente Ecclesia, igitur defunctis jam Apostolis orti. si ante Altare ordinationem non assequuntur, ergo eorum munus non recta fertur in Sacrificium. Quid multa? Si nec mysteriis ministrare statuuntur, ex ea re quid fiat viderint Latini, quibus fundamentum distinguendi Ordinem inter & Officium, in uno ad certum ministerium Sacrificio Divino exhibendum respectu positum est.

Ad alteram nunc quæstionem veniendum, qua & illa prior non minimum illustrabitur: *Licet in Novi Testamenti* (verba sunt Baronii) *Divinis Scripturis non nisi de Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis, ab Apostolis ordinatis mentio habeatur, aliorum quoque Ordinum ab illis institutos esse ministros, nullus certe negare poterit qui Ignatii Epistolas legerit.* Non miror Baronium, subditam Ignatii ad Antiochenses Epistolam lectoribus obtrudere. Id condonandum Purpurato, qui iis temporibus floruit, quibus nondum apertius atque diligentius de Ignatianis Epistolis disputatum: sed non parcendum Shelstrato, qui cum ex superiorum annorum caligine & tenebris, lucem in Ignatianarum Epistolarum negotio despicere potuerit, confidenter tamen, more suo scribit; *indicat testimonium S. Ignatii Martyris, & Antiocheni Episcopi:* Septem Hieronymo, Rufino, Eusebio, germanæ fuerunt Ignatii Epistolæ, quas inter illa Antiochensibus scripta, nullum unquam

quam locum obtinuit. Verba ipsa a Shelstrato, Baronio, aliisque passim laudata, Epistolam falsi postulant. *Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.* Nec enim hæc cum Epistola ad Trallianos conspirant, in qua certe Ignatii lineamenta, & formæ deprehendere facilius est: Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος; ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν μιμητὴν γενόμενον κατὰ δύναμιν χριστοῦ τοῦ θεοῦ. τί δὲ πρεσβυτέριον; ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου. τί δὲ διάκονοι; ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων: *quid est enim Episcopus? nisi omnem principatum & potestatem omnium illorum tenens, quemadmodum deceat hominem tenere imitationem Christi Dei, factum secundum virtutem. Quid est Presbyterium? nisi institutio Sancta consiliarii Episcopi. Quid etiam Diaconi? nisi æmulatores Angelicarum virtutum.* Hic subsistit Ignatius ad Trallianos. De Subdiaconis, ne verbum quidem, nedum aliorum Officiorum mentionem agitarit. Quod argumento non inerti mihi est, nondum institutos esse Subdiaconos, cum Epistola scripta est.

In antiquitatem Ordinum Ecclesiasticorum invadit germanus ille Clemens, Epistola Corinthiis scripta, non multo post oblatum Petro Pauloque martyrium: Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς Ἐπισκόπους καὶ Διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν: *per Regiones igitur & urbes verbum prædicantes, primitias eorum, Spiritu probantes, Episcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt.* p. 54. Si ævo Clementino, Subdiaconi, Cantores, Ostiarii, Exorcistæ hisce muneribus exercendis præpositi sunt, quid causæ fuit cur Clemens de sola Episcoporum & Diaconorum constitutione mentionem injecit? Clementi incredibili modo conspirat Polycarpus, qui duos tantum scit Ordines in Epistola sua: a Viduis quippe statim transit ad Diaconos, dein ad Presbyteros, omissis prorsus aliis Ordinibus; quos si novisset, præceptis suis similiter imbuisset; atque omnem Hierarchiam his complectitur: *Subjecti estote Presbyteris, & Diaconis, sicut Deo & Christo.* Polyc. ad Philip. p. 7. Itaque Strabo aperte rotundeque minorum Ordinum ortum institutioni humanæ, non Divinæ vindicat: *Omissis ergo incertis*, inquit, *quæ notiora sunt invicem comparemus, ut ostendamus ordinationes mundanæ sapientiæ, in Spiritualem Ecclesiæ universalis*

salis Rempublicam sacris distinctionibus commutatas in similitudinem antiquæ Historiæ, quæ vel pecunia Ægyptiorum in usum Tabernaculi, vel cedri de Libano cæsi in Templi ædificationem profecisse — habet mundus veredarios, commentarienses, ludorum exhibitores; carminum pompaticos relatores; habet Ecclesia Acolythos; Lectores, Cantores, atque Psalmistas: scilicet, mundi fastum, dignitatesque sub spiritualis potestatis larva, Apostoli derivarunt in Ecclesiam. Rem adhuc apertius declaravit Lombardus, cujus autoritas eo gravior, quo Ecclesia jam inclinata vixisse exploratum est: *Cum omnes Ordines spirituales sint, & Sacri, excellenter tamen Canones duos tantum Ordines appellari censent; Diaconatus scilicet, & Presbyteratus; quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse — Subdiaconos vero & Acolythos procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* Sed & vel ipso Thoma judice certabimus: objicit sibi; *Omnia Sacramenta habent efficaciam & autoritatem ex institutione Christi, vel saltem Apostolorum ejus: sed in doctrina Christi & Apostolorum non fit mentio nisi de Presbyteris & Diaconibus; ergo videtur quod non sint alii Ordines.* Porro sic diluit objecta: *Dicendum, quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconibus committebantur; ut patet per Dionysium, cap. 3. Eccles. Hier. ubi dicit: Ministrorum alii stant ad portas Templi clausas: alii aliud proprii Ordinis operantur: alii autem Sacerdotibus proponunt super altare Sacrum panem, & benedictionis calicem; nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite, in una Diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis: & secundum hoc dicit Magister in litera, quod Ecclesia alios Ordines sibi instituit.* Quid disertius? Si in *primitiva Ecclesia*, Diaconis inferiora ministeria injungebantur, consequens est, insolentem tum fuisse minorum Ordinum, nec Apostolis, sed *Ecclesiæ* deberi minorum Ordinum institutionem. Quod est longe verissimum. Eo pertinent verba Autoris Quæst. Vet. & Novi Testamenti c. 101. *Quamquam Romana Ecclesia Diaconi modice inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt; ut autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum: Nam utique ut altare portarent, & vasa ejus, & aquam in manus funderent Sacerdotis, sicut videmus per omnes Ecclesias —*

Lomb. l. 4. Dist 24.

Sum. Thom. Supplem. q. 37. a. 2.

major enim Ordo intra se & apud se habet & minorem: Presbyter enim & Diaconi agit officium, & Exorcista, & Lectoris.

Si Autorum Latinorum qui septingentis abhinc annis de rebus Ecclesiasticis scripsere, libros terimus, in distinctionem incidimus Ordinum Sacrorum, & non Sacrorum: *Horum autem Ordinum* (verba sunt Durandi) *quidam sunt non Sacri, & quidam Sacri. Non Sacri, seu minores Ordines sunt hi, Cantoratus, Psalmistatus, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus. Sacri vero, seu majores sunt isti, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopalis Ordo.* His consentanea tradit Ordo Romanus: *Invitatio ordinandorum de Domo Sancta Maria, eligimus N. ad Ostiarium, ad eundem Titulum: de Ecclesia Sancti Stephani, N. eligimus ad Lectorem, ad eundem Titulum: de Ecclesia Sancti Petri, N. eligimus ad Exorcistam, ad eundum locum. Post hac celebrabitur consecratio Sacrorum Ordinum.* Quid causæ sit quamobrem minores ordines rebus Sacris non inferantur, quærendo investigandum. Propugnandæ Latinorum sententiæ Pamelius multis nugis armatus est: *Minores*, inquit, *seu non Sacros nuncupamus, eo quod matrimonium in illis contrahere licet, non item in sacris illis tribus, Hypodiaconatu, Diaconatu, & Presbyterio:* Quæ ratio si vera est, majores Ordines in minoribus sunt annumerandi, cum olim fas esset Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, legitimam uxorem ducere. Presbyter erat sceleratus ille Novatus, imo Episcopus Baronio Petavioque creditur: sed perperam, cum Novatum Episcopum nesciat Cyprianus: *Pater etiam ejus*, inquit, *in vico fame mortuus est: uterus uxoris calce percussus, & abortione properante, in parricidam partus expressus.* Profecto, nisi omni pudore posito, concessas Diaconis fuisse olim nuptias negari nequit. Ad alia festinanti satis est admodum Ancirani Concilii Canonem 10. repræsentare: *Quicunque Diaconi in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere, ii si uxorem duxerint, sint in ministerio.* Attamen Diaconorum Ordo Sacer est; Sacer itidem & Pontificatus, & Sacerdotium legale, quod matrimonio conjungebatur. Hypodiaconatum porro non fuisse olim Sacris Ordinibus accensitum, liquido constat ex cap. *Nullus in Episcopum*, dist. 60. *Nullus in Episcopum eligatur nisi in Sacris Ordinibus Religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem*

Durand. Ration l. 2.

Pam. in Lib. de Præscr. n. 269.

autem Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant, oportunitate exigente, concedimus. Quod & diserte docetur ab Innocentio tertio C. *A multis.* Distinctionem Ordinum Sacrorum, & non Sacrorum, non debere ex cœlibatu vel matrimonio peti, testis est Aquinas in Supplemento, Quæst. 37. a. 3. *Dicendum quod Ordo dicitur sacer dupliciter; uno secundum se: & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam: alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum: & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi, & sanguinem consecratum: & Subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata; & ideo eis etiam continentia indicitur, ut Sancti & mundi sint qui Sancta tractant.* Non igitur ideo Sacri sunt majores Ordines quod illis cœlibatus injungitur, sed vice versa cœlibatus eis injungitur, quia Sacri sunt. Æstimanti igitur, & suo momento ponderanti distinctionem Ordinum Sacrorum & non Sacrorum, nulla melior discriminis ratio incidit quam illa, quæ ex horum ordinum institutione petitur. Ut enim res aliqua, Sacri naturam induat, a Summo Religionis Autore mysteriorumque omnium Arbitro Deo demitti debuit. Sic Presbyteratus, & Diaconatus Sacra munera sunt, quod ille a Christo, hic a Spiritu Sancto Apostolos agente, instituti sunt. Cæteri quos vocant minores Ordines, ortum non habent ab instituente Deo, sed ab autoritate humana; quo admisso, consequens est, nec semper in Ecclesia viguisse, nec germanis Sacramentis apponi debere; nec animo indelebilem notam inurere. Quin etiam diligenter perpendenda est Aquinatis conclusio: *Quamvis Omnes secundum se ordines Sacri sint, recte tamen ratione materiæ circa quam versantur (quæ in Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu consecrata est, & non in aliis) per Sacros & non Sacros distinguuntur.* Quibus apparet & promptum est, fictum & commentitium esse fundamentum quod jactum est distinguendis Ordinibus, ab Officiis Ecclesiasticis. Petitur illud quidem a respectu quem minores Ordines habent ad Sacrum Eucharistiæ Sacrificium; quo casu, circa materiam Sacram versarentur, quod præcise negatur a Thoma. Hæc quippe est Ordines in Sacros & non

Sacros distinguendi causa; quod non Sacri, nullum *habent actum circa rem aliquam consecratam*, quem Sacri habent.

Non ergo ultima antiquitas minoribus Ordinibus est ascribenda, quibus quippe ducentis amplius annis Ecclesia caruit; Diaconatu Presbyteratuque contenta. In tertio seculo jam adulto incunabula reperiuntur minorum Ordinum: argumento non inerti mihi sunt Tertullianus, Clemensque Alexandrinus, rudi hoc seculo florentes, qui hanc sive Ordinum, sive Officiorum multitudinem apud Latinos vigentem, nescivere. De muneribus Ecclesiasticis sic Septimius: *Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.* Cur alia Officia silentio dissimulavit, aut solius Lectoris injecit mentionem, si jam probe nota hæc munera? Pondus Tertullianico argumento additum fuisset, ex aliorum Ordinum perturbatione. Clemens Alex. Strom. l. 3. p. 338. καὶ μὴν καὶ τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα πάνυ ἀποδέχεται, κἂν πρεσβύτερος ᾖ, κἂν διάκονος, κἂν λαϊκὸς, ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος: *quin & unius quoque uxoris virum utique admittit, seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laïcus, utens Matrimonio citra reprehensionem.* Omissis Ordinibus qui Laïcos inter & Diaconos interjecti sunt, Clemensne ex Diacono prosilivisset in Laïcum subito, si Alexandrina Ecclesia septem Ordinibus floruisset?

Tert. de Præscript. c. 41.

In Epistola Cornelii, Fabiano Antiocheno Episcopo scripta, Anno Dom. 251. apparent primum atque extant septena illa omnium ore cantata Officia: *Ergo ille Evangelii vindex Novatianus, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica* ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; Πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, Ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ, καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα: *in qua tamen sciebat, quomodo enim illud nescire potuisset? Presbyteros quidem esse sex & quadraginta: septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acoluthos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Errore gravi Typographico affecta est Valesiana Versio, *Presbyteros esse quatuor & quadraginta.* Verum mota inter Eruditos quæstio est, an omnia hæc Officia in Græca Ecclesia olim obtinuerint, perinde ac in Romana? Eruditi Shelstrati censura doctissimo Morino non pepercit, quod scripserit, *antiquiores Græcos septem Ordines non agno-*

agnovisse. Verba Shelstratiana recitare juvat, quo æquius de censura judicetur: Ordinum minorum *confusionem ut auferret, post captam a Latinis Terram Sanctam Archiepiscopus Nicosiensis, de Græcis Regni Cypri alte conquestus est apud Innocentium quartum, & contentione Latinos inter & Græcos per Ottonem Cardinalem Tusculanum ad Pontificem relata, reponit Pontifex Epistola 10. c. 19. Adhæc volumus & expresse præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum huc usque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis Ordinibus tolerentur. Quibus ex verbis lucide apparet, Græcos non minus quam Latinos ad septem Ordines conferendos fuisse adstrictos, quod neutiquam judicasset Pontifex, si Græci septem Ordines nunquam observassent; quos tamen a Græcis observatos fuisse indicavit, cum ab ipsis tres neglectos, vel prætermissos exhibuit: prætermitti enim non dicitur, nisi quod aliquando observatum extitit.* Shelst. in Can. 10. Antioch. n. 9.

Shelstratiana hæc accurate scripta, & cogitate non fuerunt. Ac primum quicunque ex Græcis, minorum Ordinum mentionem moverunt, illi ætate Clementis Alex. posteriores sunt; vixit ergo Ecclesia annos amplius ducentos, minorum Officiorum inscia: qua sola observatione, ruit de culmine Latinorum de minoribus Ordinibus pertinax sententia. Deinde Ecclesiam Græcam *septem olim Ordines observasse*, a vero longe est alienum. Patrum Tridentinorum hoc scitum est: *Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.* In Fastis Græcorum quaternarius ille minorum Ordinum desideratur. Clementinæ Constitutiones Acolythos, Exorcistasque in Ordinibus non annumerant. De Hypodiaconis: *Ego Thomas dispono vobis Episcopis.* Sequuntur deinde Lectores c. 28. *De Lectoribus, ego Matthæus qui & Levi, olim Publicanus, dispono*: inde ad Exorcistas progreditur Clemens: *Exorcista non ordinatur, spontaneæ enim benevolentiæ est hoc certamen, & gratia Dei per Christum superventione Spiritus.* In mari venatur apros, qui Acolythos quærit apud Clementem: ac licet ipse mentionem Exorcistarum agitet, utique illos in Ordinum numero atque loco non habuit: *Non ordinantur*, inquit: non igi- Const. Apost. l. 8. c. 32.

 tur

tur Ordinibus inseri debent. Quibus apparet pseudo-Clementis ævo, sola hæc Officia Græcis esse cognita, Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Lectoratum; tres vero Latinorum Ordines, Acolythos, Exorcistas, Ostiarios desiderari: audiatur & Liturgia quæ Marci nomen habuit: *Conservato nobis eos* (Papam, Regem, Episcopum) *multis annis pacifice fungentis Sancto, cui eos præfecisti, Pontificatu, pro Sancta & bona voluntate tua: recte tractantes verbum veritatis σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις Ἐπισκόποις, Πρεσβυτέροις, Διακόνοις, Ὑποδιακόνοις, Ἀναγνώσταις, Ψάλταις, σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας καθολικῆς, καὶ Ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας: cum omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, cum omni plenitudine Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.* Acolythi, Exorcistæ, Ostiarii hac in accurata Officiorum designatione, nusquam apparent gentium. Sed & Apostolici Canones, Acolythorum, Exorcistarum, Ostiariorum, ignari sunt atque insolentes: *εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἢ Ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύει, καθαιρείσθω: si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector aut cantor Sacram quadragesimam Pascha non jejunaverit, deponitor*, c. 68. Cantorem vero distinguunt a Lectore, quæ differentia Latinis angusta est, imo nulla. Epiphanio quidem Officiorum Ecclesiasticorum crescit numerus; recensitis quippe Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Diaconissis, hoc addit: *εἶθ' ἑξῆς τούτων Ἐπορκισταὶ, καὶ Ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν, ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις, λοιπὸν δὲ καὶ Κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, καὶ Θυρωροί: post illos omnes Ordines deinceps Exorcistæ sequuntur, & linguarum Interpretes, tam in lectionibus, quam in concionibus: sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant; tum Janitores.* Ubi sunt, Shelstrate, Acolythi tui? Mirum! Acolythi nomen Græcum est; atque eo magis id Officii cæteris muniis Ecclesiasticis ab Epiphanio apponi debuit; Acolythos tamen alto silentio dissimulavit, sed in eorum vicem *Laborantes* substituit. Laborantium porro munus, Officium erat, non *Ordo*; quocirca Pœnitentibus provincia hæc data est a Carthaginensibus: *Mortuos, Pœnitentes Ecclesiæ efferant, & sepeliant.* Syn. Cart. 4. c. 100. Sed & judice Epiphanio, septenarius Ordinum numerus evanescit

Epiph. Expo. fidei.

vanescit atque diffluit: nec enim vel Lectores, vel Janitores in loco Ordinum habuit; postposuisset-ne Janitores Laborantibus, si Latinorum de Ostiariis sententiam affixisset animo familiarius? Adeone egregium erat munus condendi corpora, ut huic prior locus tribueretur ab Epiphanio, si Ostiariorum munia Sacramentis Ecclesiæ inserenda essent? Accedat ultimo Justiniani Novella tertia: θεσπίζομεν, μὴ περαιτέρω μὲν ἑξήκοντα Πρεσβυτέρους κατὰ τὴν ἁγιωτάτην μεγάλην Ἐκκλησίαν εἶναι. Διακόνους δὲ ἄῤῥενας, ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα θηλείας, καὶ ὑποδιακόνους ἐνενήκοντα, ἀναγνώστας δὲ ἑκατὸν καὶ δέκα, καὶ ψαλτὰς εἴκοσι πέντε: ὡς εἶναι τὸν πάντα τὸν ἀριθμὸν τῶν εὐλαβεστάτων κληρικῶν τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας ἐν τετρακοσίοις εἴκοσι πέντε προσώποις, καὶ ἑκατὸ πρὸς τούτοις τῶν καλουμένων πυλώρων: *sancimus ne quando in Sacrosancta majore Ecclesia, ultra sexaginta Presbyteros, Diaconos vero mares centum, fœminas* 40. *& Subdiaconos nonaginta, Lectores autem ultro* 110. *Cantores ultra* 25. *existant: ut universus reverendissimorum Clericorum majoris Ecclesiæ numerus, in quadringentis viginti quinque personis, & centum præterea Ostiariis, ut vocant, consistat.* Respondeant ad hoc Imperatoris Decretum, qui septenario Ordinum ab Apostolis institutorum numero, patrocinantur. Ubi sunt Acolythi, ubi Exorcistæ? Non de parvis obscurisque Ecclesiis mentio injicitur in Justiniani Novella, sed de florentissimis maximisque. Si Ordo Acolythorum, Exorcistarumque ab institutione Divina manavit, an Orientalis Ecclesia Sacrum hocce munus extingui negligentia non ferenda passa fuisset? Si eo incuriæ temere, ac inconsiderate delapsa est, cur erroris sui Latinos monitores non habuit? Cur Justiniano causas mutandæ Legis Pontifices Romani non suggessere? Hinc luce clarius est, nec septem Ordines obtinuisse in Ecclesia Græca, nec institutionis esse Divinæ, sed humanæ; proindeque tolli & abrogari potuisse, consensu Ecclesiæ; nec ratam fixamque de Officiis Ecclesiasticis fuisse disciplinam, sed Ecclesias multa hic variasse. Hac de causa Laodicenum Concilium, Exorcistas, & Ostiaros, in muneribus Ecclesiasticis annumerat. c. 24. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ Πρεσβυτέρων ἕως Διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς Ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν εἰς καπηλεῖον οὐκ εἰσιέναι: *non oportet sacratum a Presbytero, usque ad Diaconum,*

conum, *& deinceps quemlibet Ecclesiastici Ordinis usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Ascetas, in cauponam ingredi.* Cæterum, licet multa pro varia Græcarum Ecclesiarum disciplina recenseantur Officia, Acolythorum munus nusquam legentium oculis incidit.

Porro, etiam atque etiam observandum est, de Ordinum numero, dissensione opinionum Latinos inter se discrepare: plurimi sunt enim qui unum præterea Ordinem adjiciendum esse existimant. Rabanus l. 1. de Instit. Cler. c. 4. *Sunt autem gradus Ecclesiastici octo, quorum nomina hæc sunt; Ostiarius, Psalmista sive Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, atque Episcopus.* Canonistis vero crescit adhuc graduum Ecclesiasticorum numerus, Gratiano teste, Dist. 23. Nunc a Summo Pontifice incipientes, & usque ad ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari Sanctorum autoritatibus ostendamus. Numerat autem *Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium, Psalmistam.* Ut Theologorum Canonistarumve concilientur animi, respondet Bellarminus; *Canonistas facere novem Ordines, quia distingunt Episcopum a Presbytero; & Lectorem a Cantore, quod Theologi non faciunt; sed in re non est dissensio. Theologi enim solum considerant Ordines, ut se habent ad Sacrificium, quomodo Episcopus & Presbyter, Lector & Cantor non distinguntur. Canonistæ autem considerant Ordines ut Hierarchiam constituunt, & idcirco recte distingunt Episcopum a Presbytero.* Sed splendente fuco solers Cardinalis lites suorum tegit. An inter Canonistas Rabanus, Estius, Maldonatus, aliique bene multi? *Problematice disputatur inter Catholicos,* inquit Estius, *an Episcopatus sit Ordo, juxta eam ordinis significationem qua Sacramentum significat: at vero pars affirmativa multo apparet probabilior, si tum Scripturas, tum Veterum sententias expendamus, quam proinde recentiores multi amplectuntur.* Argumentum autem in adversarios torquet, cujus acies retundi nequit: *Per ordinationem non tantum jurisdictionis, verum etiam ac proprie Ordinis potestas datur, per quam ordinatus exercere possit spiritualia quædam opera, omnem humanam virtutem excedentia, quæ sunt ordinare & confirmare: non enim hæc potestas habetur ex Ordine Sacerdotali.* Maldonatus de Sacramento Ordinis: *Omnes Theologi Scholastici, negant Episcopatum esse distinctum*

Est. in Sent. l. 4 D. 24. n. 18.

tum

tum Ordinem, & propterea non esse Sacramentum. Homo autem ille, qui passim Evangelicis vitium novitatis exprobrat, apertum antiquitatis Scholasticæ transfugam agit. *Contraria sententia videtur mihi esse verissima:* (Maldonati verba sunt) *conferre nimirum hæc Sacramenta, & oleum consecrare, & facere cætera quæ propria sunt Episcoporum, multo est difficilius, & majore gratia indiget, quam legere Epistolam, vel Evangelium.* Rabanum aliosque, qui Ordinum Ecclesiasticorum numerum augent, illi adeant quibus otium est: & Bellarmini distinguentis Ordines per respectum vel ad Sacrificium, vel ad Hierarchiam, subtile commentum, sed ab autorum mente alienum esse deprehendent.

Si verum tueri sententia est, retento minorum Ordinum nomine res ipsa pene intercidit apud Latinos. Quod sapienter observatum a Cassandro. Ar. 14. consul. *Ad minores vero Ordines quod attinet, qui olim quinque se ordine consequentes memorari consueverant, hi sane præsente tempestate, neglecta omni disciplina & politia Ecclesiastica, prorsus confusi sunt, & eorum Officia propemodum cessarunt.* Sacerdos exorcizat & in Baptismo & extra Baptismum. Absque Subdiaconis aut Acolythis Missæ solemnia sæpe peragit. Profecto tot Officiorum discretus numerus non minimum pompæ ac splendoris adjungit Episcopis, sed non cedit in Ecclesiæ utilitatem; cum unus Lectorum Ordo exercendis minorum Officiorum muneribus sit idoneus; ut ad quatuor non immerito Ecclesia Græca suorum Ordinum numerum redegerit: quod Damasceni tempore rudi seculo octavo jam obtinebat. ἀρχὴ καὶ κατὰ τάξιν ὡς πρῶτον τὸ τοῦ ἀναγνώστου ἀξίωμα, εἶτα ὑποδιάκονος, εἶτα διάκονος, καὶ οὕτως Πρεσβύτερος, καὶ οὕτως Ἐπίσκοπος: *prima dignitas Lectoris, altera Subdiaconi, quem sequitur Diaconus, hunc Presbyter, Presbyterum Episcopus.* Damas. Dial. de Manich. p. 524.

Nonnulla de minoribus Ordinibus nunc sunt dicenda, tum ostendendo & novitatis & κακοζηλίας vitio, cum explicandis horumce Officiorum muniis ad illustrandam antiquitatem. Ab Ostiariis Principium.

De Ostiariis. Templi Hierosol. Janitores. Cur ab ipso Deo instituti? In Oeconomia Legali Deus civilem

Regem exercebat. Hinc palatium, mensa, Cantores, Ostiarii. Quæ ex antiquitate probantur. Diversa Ecclesiæ Christianæ ratio Ostiarios sacris Ordinibus inseri non flagitat. Ostiariatus fusa ex Patribus explicatio.

TEmpli Hierosolymitani claudendarum aut reserandarum portarum muneri atque officio Levitæ præerant ex instituto Dei, nec id provinciæ aliis mandari debuit. *Janitores habitabant circa domum Dei, & unoquoque tempore aperiebant januas.* 1 Paral. 9. 27. Claudendæ Orientali portæ interioris Templi multi incumbebant, ut a Josepho scripto proditum. Χαλκῆ μὲν ὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη ᾗ περὶ δείλης μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις — ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην αὐτομάτως ἠνεωγμένη. δραμόντες δ' οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες, ἤγγειλαν τῷ στρατηγῷ: *cum esset anea atque gravissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur — visa est noctis hora sexta sponte patescere: his autem curriculo per custodes Templi præfecto nunciatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere.* Joseph. de Bell. l. 7. c. 12. Nec mirum Templo suo ex officio proprios constitutos fuisse Janitores, cum Deus, Principis in morem, Hebræorum terræ tum regnaret. Propterea cum Israelitæ a Madianitarum jugo Gedeonis virtute liberati fuissent, principatum servatori suo, grati animi testificandi causa, offerentibus Hebræis, responsum est a Gedeone, *non dominabor in vos ipse, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur in vos Dominus.* Jud. 8. Similiter Deus leniebat dolorem Samuelis his verbis, *non te spreverunt, sed me spreverunt* ממלך עליהם *ne regnem super eos*; quibus apparet Deum Israelitas hactenus gubernasse, non modo qua orbis totius conditorem atque moderatorem, sed qua regnatorem potestatis civilis munia omnia obeuntem; cui Regnum politicum abdicabatur, alio Monarcha in vicem ejus suffecto. Non nova quidem, sed vetus opinio hæc est, Judæorum & Christianorum firmata consensu. Josephus Mosem inducit gentem Hebræorum sic alloquentem, στρατὸν ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγετε, στρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ θεῷ, ὑποστρατηγὸν δὲ χειρο-

χειροτονήσαντες ἕνα τῇ ἀρετῇ προύχοντα: *exercitum contra hostes educite, summum imperium Deo committentes; sed creantes unum aliquem virtute præcellentem, qui vicarius sit ei:* Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. Josepho incredibili modo consentit Theodoretus in 1 Sam. Quæst. 14. ὁ δεσπότης Θεὸς, καὶ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἐπλήρου τὴν χρείαν, ὁ δὲ προφήτης ὑπουργὸς ἦν, οἷον τις ὕπαρχος ἢ στρατηγὸς, ἢ δημαγωγός: *Dominus Deus, & Dei & Regis implebat munus. Propheta vero* (Samuel) *erat administer, & veluti quidam præfectus, aut magister militum, aut tribunus plebis.*

Hac ex œconomia Tabernaculum institutum est, ut summo regi palatii loco inserviret. Pulcherrima sunt doctissimi Spenceri verba, ac observatu dignissima. *Cum primum Israelitæ Deum in Regem suum solemniter elegissent, legem eam de Tabernaculo struendo tulisse dicitur, & facient mihi* מקדש *Sanctuarium, & habitabo in medio eorum: ad quæ legis verba hæc Moses Ben Nackman annotavit,* ושכנתי בתוכם בבית יעשו בית וכלים כמקדש מלך ובית ממלכה וכסא הכבוד אשר לי שם. *Facient domum & vasa quasi Sanctuarii Regis, domusque Regiæ, & ego in eorum medio habitabo, in domo scilicet solioque gloriæ, quod mihi facient.* Et infra hæc addit ex Rabbi Schom. Tob. *Deus, cui laus, talem sibi domum condi jussit, qualis esse solet domus regia: in domo Regia hæc omnia quæ diximus reperiuntur: alii scilicet qui custodiant Palatium ejus: alii qui fungantur officiis ad regiam dignitatem pertinentibus, qui epulas instruant, aliaque faciant regi necessaria: alii denique qui voce quotidie fidibusque canant: est etiam in domo regia locus ad cibos apparandos constitutus: item locus ubi odoramenta adolentur: est etiam mensa in domo ejus: itemque conclave ipsi proprium, quo nemo pervenit nisi qui ei secundus est, quosque in maxime charis habet. Eundem ad modum voluit Deus, ut hæc omnia sua in domo essent, ne qua in re terram regibus concederet; est enim ille Rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verum hinc facile elucet ratio victus familiaris Sacerdotibus & Levitis dati, utpote quem Rex quisque ministris suis suppeditare solet. Atque hæc omnia eo spectabant, ut intelligeret vulgus, Regem nempe Dominum exercituum inter nos versatum esse..* Spencer. l. 1. c. 5.

Hoc ex fonte manavit & officium Ostiariorum, qui assistebant ad fores palatii Regii; Templi nimirum, in quo Deus erat maxi-

 me

me præsens. Quæ omnia plena mysteriorum erant, veluti figuræ cælestium, ac Ecclesiæ, quæ domus Dei est, quamque perpetuo incolit, adumbrationes. Quæ si acri judicio ac diligenter perpendissent Latini, utique sacrum Ostiariorum Ordinem non instituissent ad exemplum Janitorum Templi Hierosolymitani. Nec enim Christianorum in proseuchis eo modo Deus habitat, quo in æde Judæorum aderat: nulla nubes Cherubinorum alis incubat, nullus ignis de cœlo delabitur. Nec Templa Latinorum, deliniente Deo, sacræ figuræ sunt Ecclesiæ spiritualis. Itaque apud Hierosolymitanam Ecclesiam, quæ in domo Marci conventus suos agitabat, muliercula, cui Rhode nomen fuit, Janitoris officio fungebatur. Ævo sane Apostolico, Ostiariorum Ordinem viguisse creditu difficillimum, Christianis in antra, cœnacula, privatas domos se congregantibus atque conjungentibus. Quin etiam alicubi, multo post Apostolorum obitum, mulieres Ostiariorum munera exercebant, teste personato Ignatio ad Antiochenses, *ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους: saluto custodes sanctarum portarum, quæ sunt in Christo, Diaconissas.* Extructis basilicis, Ostiarios assignari rationi valde consentaneum fuit: at in Ordinem sacrum creari nil opus erat, cum officii titulus huic exercendo muneri sufficeret, absque Sacramenti respectu.

Quid rei esset Ostiarii munus, aperit liber ille qui Alcuino ascribitur. *Ostiarius ab ostio Ecclesiæ dicitur, quod ita debet prævidere, ne ullo modo Paganus ingrediatur Ecclesiam, quia suo introitu polluit eam. Debet etiam custodire ea quæ intra Ecclesiam sunt, ut salva sint. Quia illi traditæ claves, & commissa cura custodiendæ Ecclesiæ.* Alcui. de off. p. 269. Ut plus dignitatis officio huic adjungeretur, eo & Christum induere. Ivo Carnotensis sermone de excellentia Ordinum, *hæc,* inquit, *officia in propria persona Dominus noster ostendit, & Ecclesiæ suæ exhibenda reliquit, ut forma, quæ præcesserat in capite, repræsentaretur in corpore. In his septem officiis primus gradus est Ostiariorum, qui possunt discernere inter bonos & malos, dignos & indignos, & admittere in Ecclesiam quos sciunt esse dignos, & repellere quos sciunt esse indignos. Istis cura est & introitum Ecclesiæ servare, & res Ecclesiæ pervigili cura custodire. Unde & eis, cum ordinantur, claves Ecclesiæ ab Episcopo traduntur, & dicitur eis, sic agite tanquam rationem Deo reddituri*

pro

pro rebus quæ his clavibus recluduntur. Hoc officium Dominus noster nobis initiavit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes de Templo ejecit, & cathedras nummulariorum evertit. Bibl.Pat.t.10.774. Ritum ordinando Ostiario adhibitum tradidit Carthaginense Conc. 4. can. 9. *Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario dicens. Sic age quasi redditurus Deo rationem de his rebus quæ his clavibus recluduntur.* Quibus apparet & promptum est, germanis Ordinibus Ostiariatum inseri non posse, cum χειροθεσίας Episcopalis expers fuerit. Eo loci quo res Ecclesiasticæ sunt, Ostiariorum extrema lineamenta vix supersunt. Olim quippe *inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantum in Ecclesia qui erant fideles recipiebant: intrare enim in Templum nisi per eos non possumus. Habent enim in potestate tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos.* Isidor.l.2.de Eccl.offi.c.14. Vices rerum nunc mutatæ sunt: fores Ecclesiæ patent ipsis Ethnicis; aditus olim inaccessos hæretici rumpunt non modo, sed etiam ad contemplanda Missæ mysteria ultro invitantur. Imo vel inviti homines sæpius eis adesse coguntur. Denique luce clarius est, Ostiarios, si qui fuere temporibus Apostolicis, ab illis plurimum discrepasse, quos novit ætas posterior. Hi Ethnicis interdicebant ingressu Ecclesiæ, illi non. *Si eodem convenerit tota Ecclesia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ vel infideles, nonne dicent vos furere?* 1 Cor. 14. Sed nec Apostolicis Ostiariis munus suum injunctum est, ad suggestionem Archidiaconi Episcopo dicente inter tradendum Ecclesiæ claves, *sic age quasi redditurus Deo rationem de his rebus quæ his clavibus recluduntur.* Ostiarios Clero inseri docet Toletani primi canon 4.

De Lectoribus. Officii hujusce & necessitas & requisita declarantur ex Isidoro. Mos palam legendi Scripturas a Judæis in Christianos introductus. Insignis in hanc rem Josephi locus. De Lectoribus Judaicis observabilia. In Ecclesiæ Christianæ incunabulis, Lectoris munus non fuisse peculiare officium ab aliis dis-

cretum. Lectores lapſu temporis in Clerum allecti, in maxima Orbis Chriſtiani parte. Ætate Cypriani creando Lectori non videri adhibitam ceremoniam tradendi libri, ſed ſolum mundatum Præſulis. Non ubique terrarum Lectores Clericorum titulo cenſeri contra Clariſſ. Dodwellum aliosque innumeros oſtenditur ex more Eccleſiæ Alexandrinæ Catechumenos Lectorum muneri præficienti. Quo ætatis anno Lectores creabantur. Eruditiſſimi Stephani Le Moine cum Balſamonis emendatio, tum opinio de Lectoribus non ante annum 13. *ordinatis, ex antiquitate rejicitur. Julianus Imp. Lectoris officio donatus.*

Lectores publicos Scripturæ coram omnibus ac palam legendæ inſtituere erat maxime neceſſarium, cum auditio verbi divini pietatis pars ſit non minima. Itaque inter requiſita Lectoris legendi peritia olim habebatur, ut ſapienter monuit Iſidorus. *Qui ad ejusmodi promovetur gradum, iſte erit doctrina & libris imbutus, ſenſuumque ac verborum ſcientia ornatus, ita ut in diſtinctionibus ſententiarum intelligat ubi finiatur junctura: ubi adhuc pendeat oratio: ubi ſententia extrema claudatur. Sicque expeditus uſum pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes ſenſusque promoveat, diſcernendo genera pronunciationis — porro vox Lectoris ſimplex erit & clara, ad omne genus accommodata: auribus enim & cordi conſulere debet Lector.* Iſidor. de Eccl. off. l. 2. c. 13. Scripturas palam & publice legendi morem, Chriſtianis fœneravit Eccleſia Judaica, apud quam *Moſes & Prophetæ legebantur in Synagogis quolibet Sabbato.* Aurea ſunt hac de re verba Joſephi. οὐκ εἰσάπαξ ἀκροασαμένους, οὐδὲ δὶς ἢ πολλάκις, ἀλλ' ἑκάστης ἑβδομάδος τῶν ἔργων ἀφεμένους, ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν τοῦ νόμου ἐκέλευσε συλλέγεσθαι, καὶ τοῦτον ἀκριβῶς ἐκμανθάνειν: *quapropter non ſemel audire, nec ſecundo, vel ſæpius, ſed in unaquaque ſeptimana alia opera relinquentes, ad legis auditionem congregari præcepit univerſos, eamque perfecte condiſcere.* Joſeph. l. 2. cont. Apion. p. 1072.

Liceat mihi pauca eruditi Lightfootii referre ad perantiquum

juxta

juxta ac sanctissimum morem explicandum. *Die Sabbati erant septem Lectores legis, die expiationis sex, diebus festis quinque, noviluniis septemque diebus solemnium festorum quatuor, secundo quintoque septimanæ die tres. Porro lex a paucioribus quam tribus legi non poterat: a tribus, inquam, sibi invicem succedentibus. Septem Sabbato Lectores hoc ordine legebant: primo Sacerdos, tum Levita, deinde quinque Israelitæ sibi invicem succedentes. Si nullus illic adesset Sacerdos, aut Levita, septem tum Israelitæ legebant. Si adesset illic Sacerdos, nullusque Levita, tunc bis Sacerdos legebat ---- שלוח צבור Angelus Ecclesiæ, aut minister congregationis, evocabat eum qui lecturus erat, conscendebatque is cathedram (בימה βῆμα) in medio Synagogæ positam hunc ad usum, eique librum legis tradebat, quem aperiebat, inspiciebatque quis locus legendus esset; sed non incipiebat donec Archisynagogus incipere ipsum juberet ---- priusquam legeret, inchoabat ab oratione, benedictione, laudationeque Dei, quod eos in populum suum elegisset, suamque ipsis legem dedisset. Tum incipit; stansque toto tempore legit ---- ut legebat, stabat juxta minister congregationis, quo attenderet, rectene pronuntiaret legeretque, hincque dicebatur חזן Episcopus aut Superinspector, ut supra observatum est.* Lightf. Harm. p. 479. Huic exercendo muneri nullus Ordo sacer requirebatur: idcirco Christus, qui nec ortum ducebat a Tribu Levitica, nec a popularibus, secus habebatur atque homo plebeius, *cum venisset Nazaretam ubi fuerat nutritus, intravit ut consueverat die Sabbati in Synagogam, καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι, & surrexit ut legeret.* Luc. 4. 16.

Hunc in legendo morem a priscis Christianis observatum fuisse, quam probabilissimum est. Non uni homini perpetuo id officii illigabatur, sed a docto quolibet & legendi perito injungebatur: aut si perpetuo, in officii, non ordinis naturam munus hoc incidebat. Officio huic obeundo præpositos ut plurimum Diaconos fuisse, ad verum accedit. Atque moris antiqui vestigia deprehendere est in Vasensi Concilio secundo. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem, ita ut si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homeliæ a Diaconis recitentur: si enim digni sunt Diaconi quæ Christus in Evangelio*

gelio locutus est legere, quare indigni judicentur sanctorum Patrum expositiones publice recitare? Vas.Syn.2.c.2. Sed & Subdiaconus Lectoris officio fungebatur. *Miror* (verba sunt Amalarii) *qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commißum.* Amalar. de offic. Eccl.l.2.c.11. His addatur observatio Sozomeni. *In multis Ecclesiis soli duntaxat Presbyteri, alicubi in præcipuis festivitatibus Episcopi legunt.* Hac de causa Aquinas fatetur & profitetur, *quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconibus committebantur.* Thom. supp. Quæst.37.

Lapsu temporis ad Clerum accessere Lectores in majori parte orbis Christiani. Etenim tam reverenter Christiana negotia peragebantur, ut Clero non scriberet Episcopus nisi per Clericos. Hinc Cyprianus, *& quoniam oportuit me per Clericos scribere ---- necesse fuit novos aliquos constituere, qui mitterentur: fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confeßorem.* Cypr. Ep.24. Officium porro fuisse, non Ordinem, constat ex ritu in Lectoris creatione adhibito. *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum, Accipe & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter adimpleveris Officium, partem cum eis qui verbum Dei administraverint.* Cart. 4.c.8. Quidni sola jussione Episcopi Lectori perinde atque Cantori munus suum præberi potuit? Quod & factum non improbabile est ætate Cypriani. Nulla siquidem usurpata ceremonia in creatione Lectorum Celerini, Aurelii, Saturi, legitur. Hoc unum memorat de Celerino Cyprianus: *super pulpitum, id est, super Tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta, & Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur.* Adeone præstat Lector Psalmistæ, ut jubente Episcopo, vel Presbytero, Lectoribus legendi, perinde atque Psalmistis cantandi munia imponi non possit? Nonne Psalmi & pars magna sunt Scripturæ? Profecto si rationem capiamus arbitram, Lectorem eminet Psalmista ut illius Officium in hujus munus includi videatur: cum qui cantet legat, non vice versa. Atqui solo Episcopi Presbyterive mandato

Cantor

Cantor creari potest. *Psalmista, id est, Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi: dicente sibi Presbytero, vide ut quod cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.* Cart. 4. c. 10. Quidni igitur mandato officio legendi, vel omissa tradendi Libri legendi ceremonia, munus suum Lectori a Præsule imponi potuit? Verba Valesiana memori pectore sunt notanda. *Habebant Episcopi suos Notarios adolescentes eruditos. Sic Proclus Notarius fuisse dicitur Attici, teste Socrate l. 7. & diu ante Athanasius Notarius fuit Alexandrini Episcopi, ut scribit Sozom.l. 2. in Decretis Gelasii Papæ c. 2. inter primos gradus Ecclesiasticos recensentur Lectores, Notarii, & Defensores, --- ex quibus patet, idem fere officium fuisse Notarii quod Lectoris, ut scilicet Psalmos & alios Scripturæ locos, vel in Ecclesia, vel coram Episcopo legeret.* Valef. Annot. in Sacr. l. 5. c. 22.

De Lectoribus sic censet Eruditissimus Dodwellus. *Observandum insuper ex eodem hoc Cypriani loco, Lectores etiam atque Hypodiaconos generali Clericorum titulo censeri.* Dodw. Differt. Cypr. Differt. 6. n. 11. Pace eruditi viri dixerim, ejus observatio non usquequaque vera est. In maxima quidem totius Orbis Christiani parte, Lectores in Clericorum ordine annumerari scimus & tenemus. Ecclesiam porro Alexandrinam a Marco conditam alium observasse morem, docemur a Socrate. Ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον, εἴτε κατηχούμενοι εἰσὶν, εἴτε πιστοί. *In eadem urbe Alexandria Lectores & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt, tam Catechumeni, quam fideles, cum tamen omnes ubique Ecclesiæ non nisi fideles ad hunc gradum promoveant.* Socr. l. 5. c. 22. Quis vero finget animo atque cogitatione, Catechumenos *Clericorum titulo censeri?* Atque hoc ex insigni loco Socratis apparet Apostolis ignotos fuisse septem Clericorum Ordines, nedum Sacramentorum numero apponerentur; cum nobilissima Alexandrinorum Ecclesia a viro Apostolico condita, ex illis hominibus qui Sacro Baptismo abluti non fuerant, Lectores & Psaltas creaverit. Horrendo quidem, nec ferendo Sacrilegio, si officia hæc & Ordines essent & Sacramenta; quæ omnia in Baptismi fundamento sunt constituenda.

Quanam ætate Lectores crearentur, ab Eruditis mota quæstio est. Disertissime legitur in Justiniani Novella 123. n. 54. Πρεσβύτερον δὲ ἐλάττονα τῶν λε ἐνιαυτῶν γίνεσθαι οὐ συγχωροῦμεν. ἀλλ' οὐδὲ διάκο-

 νον,

νον, ἢ ὑποδιάκονον ἥττονα ἐτῶν κέ, οὔτε δὲ ἀναγνώστην ἐλάττονα ἐτῶν ιη' ἐνιαυτῶν: *Presbyterum vero minorem annis triginta quinque fieri non concedimus. Sed neque Diaconum aut Subdiaconum viginti quinque, neque item Lectorem minorem annis decem & octo.* Quo Imperiali Decreto colligitur, Lectores creatos fuisse, qui annum septimum & decimum non evaserant, quod a Justiniano prudenter abrogatur. Eruditissimus Stephanus Le Moine ὁ μακαρίτης de hac Justiniani Novella sic habet. *Non possum acquiescere illorum sententiæ qui anno* 8°. *ordinatos fuisse secundum eandem Imperatoris Novellam existimant--- & puerilis est meo judicio sententia viri doctissimi, & ineptum Scholium ad Photii nomocanonem Titul.* 1. *c.* 28. *Quod sic se habet.* Τὸ δὲ περὶ τῆς ἡλικίας τῶν ἀναγνωστῶν ὅπως οὐκ ἐνεργεῖ, ἀγνοῶ. ὁ γὰρ νόμος λέγων ιη' χρόνων ὀφείλειν εἶναι τὸν Ἀναγνώστην, σήμερον σφραγίζονται, Ἀναγνῶσται κληρικοὶ ἑξαετεῖς, ἔστι δ' ὅτε καὶ τριετεῖς: *Annos ordinandorum Lectorum ignoro. Nam cum lex dicat illos* debere agere annum 18; tamen nunc consecratur *anno ætatis sexto, imo & anno tertio; quod certe* (inquit eruditus ille Professor Leidensis) *mihi prorsus videtur incredibile, & locum in mendo cubare facile crediderim. Adeo ut non sit legendum* τριετεῖς, *sed* τρισκαιδεκαετεῖς: *anno decimo tertio, quod forsan etiam compendio literarum numericarum sic scriptum erat* ιγ ἐτεῖς, *quod facile potuit degenerare in* γ' ἐτεῖς. *Sic etiam pro* ἑξαετεῖς *legendum existimo* ἑξκαιδεκαετεῖς *anno decimo sexto, quod cum etiam scriptum fuisset per compendium nimirum* ις ἐτεῖς *facile decurtari potuit & deflectere in* ς ἐτεῖς *anno sexto pro decimo sexto, qua ætate Julianus Lector fuit renunciatus.* Var. Sacr. ad Hippol. Serm. p. 977. Acute & subtiliter. At si verum volumus, emendationi viri celeberrimi aqua hæret: cum ex plurimis veterum monumentis certum sit atque exploratum, ante annos tredecim, pueros in Ordinem allegi Lectorum. Zozimus Epist. 1. c. 3. *Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret.* Victor Utensis de persecutione Vandalica, *Tunc etiam Eugenio Pastore jam in exilio constituto, universus clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti amplius, inter quos quam plurimi erant Lectores infantuli, qui gaudentes in domino, procul exilio crudeli trucidantur.* Vict. Ut. l. 3. de Pers. Vand. B. p. t. 7. p. 613. An infantuli dicendi sunt illi, qui annum tertium & decimum jam evaserant?

ferant? Surius in vita S. Cæsarii die 27 Augusti, refert *eum Clero adscriptum fuisse inter ipsa infantiæ rudimenta, post exactum ætatis septennium.* Profecto mos aliquando ille fuit veteribus, ut parentes liberos suos ab infantia Clericorum officio manciparent, Samuelis Prophetæ instar, qui vel a teneris unguiculis Deo dicatus est: *Si dederis ancillæ tuæ semen masculum, utique dabo ipsum Jehovæ omnibus diebus vitæ ejus.* 1 Sam. 1. 11. Eo pertinet Toletani Concilii secundi c. 1. *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in Clericatus officio vel Monachali posuit, pariter statuimus, ut mox cum detonsi vel ministerio Electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a Præposito sibi debeant erudiri.* Nullæ profecto machinæ adhiberi possunt, ad Canonem hunc explicandum de anno *tertio & decimo.* Aliud longe diversum sonant *primi infantiæ anni.* Itaque emendatione Eruditissimi Professoris nil opus est: imo antiquæ consuetudini concurrere videtur. Puerulorum nomina albo Lectorum inscribebantur cum aliqua Episcopali benedictione, quam indicant hæc *σήμερον σφραγίζονται.* Ex illo tempore in Clericorum Ordine annumerabantur, licet functionum Lectoris expertes, quia ad illas obeundas destinabantur; quod & ab illis factum est, statim atque infantilis infirmitatis rudimenta deposuere. Observatum fuit ab Erudito Cabassutio, Ennodium Ticinensem Episcopum scripsisse de prædecessore Epiphanio, fuisse ordinatum Lectorem *octavo ætatis anno.*

Cæterum tantum decoris luminisque inerat olim Lectorum muneri, ut Principes Gallus & Julianus illud obierint, teste Nazianzeno. *Τῷ μὲν γε κλήρῳ φέροντες ἑαυτοὺς, ὥστε καὶ θείας ὑπαναγινώσκειν τῷ λαῷ βίβλους. οὐδενὸς ἔλαττον εἰς δόξαν ἐν τοῖς ἔξω εἶναι νομίζοντες, ἀλλὰ καὶ πάντων μεῖζον καλλώπισμα τὴν εὐσέβειαν: quin etiam in Clerum seipsos adscripserunt, adeo ut divinos quoque libros plebi lectitarent; non minus id sibi amplum & honorificum esse existimantes, quam aliud quodvis; imo omnium ornamentorum maximum præstantissimumque pietatem esse censentes.* In Ecclesia Nicomediensi Julianus Lector est constitutus, atque hujusmodi artibus Constantii Imperatoris furorem effugit.

De Exorcistis. Exorcismorum usus apud Judæos, ex Salomone falso deducitur a Josepho, Beda, Alcuino, aliisque bene multis. Explicatur Matth. 12. v. 18. Quid υἱοὶ *apud Evangelistam? Apostolos non significari ostenditur contra veteres recentioresque. Vis pellendorum Dæmonum extraordinaria fuit, nec in Ordinem perpetuum mutanda. Constitutiones Clementinæ de Exorcista non ordinato, contra Shelstratum propugnatæ. Censoris contradictio. An Apostolicis seculis indita Christianis omnibus vis in Dæmones? Affirmantium opinio rejicitur. Exorcistæ Apostolici nullam ejiciendis Dæmonibus ceremoniam adhibuere. Illustratur v. 21. c. 17. Matthæi. Latinorum superstitiosæ ceremoniæ ab Exorcistis usurpatæ, antiquis ignotæ. Discrimen inter Apostolicos Exorcistas & Ecclesiasticos. Ejiciendis Dæmonibus nulla adhibita* χειροθεσία, *qua ægri sanabantur. Quamobrem? Cur tantus apud antiquos Energumenorum numerus, qui nunc sunt rarissimi.*

EXorcistarum nunc exequamur munia. Judæos pellendorum Dæmonum arti incubuisse, tum ex Scriptura, cum ex Josepho docemur. Ac certe lippis & tonsoribus nota sunt illa Josephi de Salomone. Ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλιπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι: *incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur: & conjurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, ut in posterum nunquam reverti audeant. Atque hoc sanationum genus nunc usque plurimum apud nostrates pollet.* Joseph. Antiq. l. 8. c. 2. p. 257. Editæ artis hujusce specimen a nescio quodam Eleazaro coram oculis Vespasiani Imperatoris, memorat ille ipse Josephus. Modus autem curationis erat hic. Admoto naribus Dæmoniali

moniali annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatæ, ad ejus olfactum per nasum extrahebatur Dæmonium, & collapso mox homine, adjurabat id ne amplius rediret, *Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans.* Ex illa officina prodiit sacer ille liber magis probe cognitus, *clavicula Salomonis.* Atque hic Bedam, Alcuinum, Amalarium satis mirari non possum, Josepho se applicantes. *Dicit Beda,* inquit Amalarius, *in tractatu super actus Apostolorum, refert Josephus Regem Salomonem excogitasse suamque gentem docuisse modos Exorcismi.* Amal. de off. Eccl. l. 2. Crassum sane errorem, cum illi Judæorum Exorcismi naturam induerent magiæ; quod me tacente omnibus est obvium; quasi vero radicibus plantarum vis inesset pellendorum Dæmonum. Itaque filii Sevæ Sacerdotis, qui in gente sua Exorcistas agebant, magnos circulatores fuisse nullus dubito.

Observatu dignissimus est ille Matthæi locus. *Si vero ego per Spiritum Dei ejicio Dæmonia, tum pervenit in vos Regnum Dei.* Matth. 12. 28. Quibus Christus non obscure indicat, neminem hoc ante se fecisse. Miracula quidem plurima a veteri Testamento objiciuntur ante oculos. Stant aquarum acervi non secus ac montes solidissimi. Relabuntur flumina montibus arduis. Cælo ruit ignis: lepra momento sanatur; mortui resurgunt: sol frænat equos subito, præcipiente Josua; multa his similia legimus; pulsum vero ullum Dæmonem non legimus. Quo ingenti sane miraculo Christus colligit regnum cæleste in Judæos jam pervenisse. Quæ diligenter ponderata, non minimum lucis fœnerant obscuro Matthæi loco. *Si ego per Beelzebulem ejicio Dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt?* In dubio quippe est quid Christo significent υἱοὶ ὑμῶν, *filii vestri.* Apostolos indicari magni Athanasii sententia est. Αἰνίττεται δὲ αὐτοὺς, τέκνα λέγων γεννηθέντας μὲν ἐξ αὐτῶν τοὺς Ἀποστόλους, ἐκβάλλοντας δὲ τὰ δαιμόνια ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζαραίου: Quæ meo judicio sic vertenda sunt, nec enim placet vulgata versio. *Taxat vero illos, filios dicendo Apostolos ex ipsis ortos, qui Dæmones in nomine Jesu Nazarani pellebant.* Athan. de com. Essen. t. 1. p. 231. Quam explicationem pene omnes amplexi sunt. Sic Chrysostomus, Hieronymus, Jansenius, Beda noster. *De discipulis autem suis Christus hoc intelligit, quos reversos, & edita a se miracula narrantes turba audierat, potius quam Exorcistis Judæis*

ut sit firmum argumentum. At, pace doctissimorum virorum, hæc interpretatio mihi non probatur. Abstrusa quippe & forsan præpostera ratio est, cur Christus suos discipulos, Pharisæorum se verbis amaris incessentium, filios nuncupasset? Nec ullam rationis umbram, linguarum rabidarum habuisset calumnia, cum Apostoli autoritate Christi atque nomine imperarent Dæmonibus. Profecto qualis magister, tales discipuli: ut si ex consensu atque conspiratione cum Dæmonibus Christus eos ejiciebat, utique arte ab illa non dissimili, ab Apostolis pelli Dæmones existimabantur. Mea igitur est sententia, hac voce *filii vestri*, non Apostolos ipsos, sed Pharisæorum discipulos significari. Nomen quippe filiorum illis passim additur, qui magistri sectam atque instituta persequuntur. A Pharisæis autem Exorcistæ Judæorum suam artem, magiam verius dixerim, didicerant. Potest etiam *filiorum* vox sensu proprio capi, designandis illis qui ortum duxere a Pharisæis. Ea tamen lege, ut Judæos Exorcistas exercentes intelligamus. Sensus ergo verborum Christi eo redit. Cum filii vestri Dæmones ejiciunt, vos id facinoris nec magiæ refertis, nec principi Dæmonum Belzebuli: imo vero hoc veluti opus egregium multis laudibus cumulatis. Illi ergo Exorcistæ palam vos calumniæ & blasphemiæ damnabunt.

Fons charismatum atque largitor Christus, primis Ecclesiæ incunabulis, Apostolos non modo, sed, & ipsis defunctis, plurimos ex plebe infima, potestate ejiciendorum Dæmonum induerat. *Signa autem eos qui crediderint hæc consequentur: per nomen meum Dæmonia ejicient.* Marc. 16. Vigebat adhuc autoritas hæc ævo Tertulliani. *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem a Dæmone agi constet, jussus a quolibet Christiano loqui, Spiritus ille tam se Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso — nisi se Dæmones confessi non fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem effundite.* Tertull. Apol. c. 23. Similiter Cyprianus Epist. 76. p. 154. *Hodie etiam geritur ut per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus.* Exempla rebus adjunxit, dum huc atque illuc persecutionis metu a Sereniano Præside excitatæ fugiebant Christiani. *Emersit subito quadam mulier, quæ in extasi constituta, Prophetem se præferret*

præferret, & quasi sancto spiritu plena sic ageret; etiam hoc frequenter ausa est, ut invocatione non contemptibili, sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet. Unus vero de Exorcistis inspiratus Dei gratia fortiter restitit, & esse illum nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur, ostendit.

Apparet nunc atque extat, cum ex rei ipsius natura, tum ex verbis Domini, concessam priscis pellendorum Dæmonum facultatem donis extraordinariis censeri, ideoque temere Exorcistarum munus in Ordines referri. Manat ex fide vis illa sublimis imperandi spiritibus. Propterea ἀπιςίᾳ laborantes Apostolos non audiebat pertinax ille Dæmon, lunaticum puerum male afficiens. Jam vero fides uni Clericorum ordini non illigatur. Ignotum fuisse Tertulliano Exorcistarum Ordinem ex his liquet, *jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille (nequam)* cum eorum quæ indiscriminatim competunt, nullus Ordo peculiaris sit institutus. Id fatetur constitutionum Autor l. 8. c. 32. *Exorcista non ordinatur. Spontanea enim benevolentia est hoc certamen, & gratia Dei per Christum superventione Spiritus Sancti.* Habet itaque admirationem audacia Shelstratiana, quæ in pseudo-Clementem aspere invehitur. *Meminit*, inquit, *Ordinationis Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, & Exorcistarum, quamvis Exorcistas ordinatione non fieri autor somniet.* Antioch. Conc. c. 17. n. 2. p. 510. Siccine Shelstrate! Autorne somniat, qui narratorum testis est αὐλόπτης? Quæ, malum, impudentia fuisset Clementi, prædicare palam, atque scribere, *Exorcista non ordinatur*, si ordinatos novisset Exorcistas? Cui bono tam magnum tamque impudens mendacium, quo omnibus ludibrio fuisset atque contemptui? Profecto tibi de ritibus Ecclesiæ Romanæ narranti crederemus. Qua ergo de causa testi antiquo, consuetudines ævi sui candide exequenti, fidem auferremus, ac narrationes ad *somnia* amandaremus? Festivam Clementini censoris subtilitatem! *Meminit autor ordinationis Exorcistarum*, & tamen *Exorcistas ordinatione non fieri somniat.* Davus sum, non Oedippus: hæc ænigmata me non capere profiteor. Potestne Clemens meminisse *ordinationis* Exorcistarum, si ordinatione creari neget? Quid est contraria & maxime disjuncta conjungere, si hoc non est?

In dubitationem adducitur, an seculis Apostolicis indulta fuerit fidelibus

fidelibus omnibus vis ejiciendorum Dæmonum? Cardinalis Bo
& quidem initio Ecclesiæ, inquit, *communis erat hac gratia cunctis*
delibus — postea vero substracta hac potestate, constituit Ecclesia Or
nem qui Dæmonia expelleret. Bona Litur. l. 1. c. 25. n. 17. Erud
purpurati sententiæ, ad quam alii accessere, favere videntur verba cu
Christi, tum Tertulliani; *signa autem eos qui crediderint hac con*
quentur: per nomen meum Dæmonia ejicient. Præterea impudenter r
gasset Tertullianus, & impudentissime scripsisset, *edatur hic aliqu*
sub Tribunalibus vestris, quem a Dæmone agi constet, jussus a quolib
Christiano loqui spiritus ille tam se Dæmonem confitebitur de vero, qua
alibi Deum de falso. Atqui Tertullianus ab impudentiæ & menda
vitio alienissimus fuit. Hæc tamen tanti non sunt, ut vim in Dæm
nes omnibus Christianis in usum promiscuum venisse existimem
Fides quippe vel omnium Electorum communis est, vel speciali
illa salus aditur æterna, hac patrantur miracula. Illa promissio
huic innititur, *qui credit in Christum, habet vitam sempiternam.* H
in peculiari Dei pollicitatione recumbit. Illa solorum est prædest
natorum: hæc afflat & reprobos; exempli gratia Judam prodit
rem, cui & delegata fuit potestas in Dæmones ejiciendos. H
est illa fides, quam Paulus in charismata ad arbitrium Dei erog
ta retulit. *Huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii ve*
sermo cognitionis per eundem Spiritum: alteri vero fides pes eundem Sp
ritum. 1 Cor. 12. 8. Quibus constat nonnullum fidei genus es
quod in donis extraordinariis est annumerandum. Nec dubium fa
animum alicujus Christi pollicitatio. *Signa autem eos qui credid*
rint hac consequentur; per nomen meum Dæmonia ejicient: linguis l
quentur novis, serpentes tollent; & si quid lethale biberint, nequaqu
nocebit eis. Quæ omnia, non salvifica illa fides, sed peculiaris d
effecta. Chrysostomus hom. 29. in priorem ad Corinth. Πίστιν
ταύτην λέγων τὴν τῶν δογμάτων, ἀλλὰ τὴν σημείων: *fidem non ea*
dicens quæ est dogmatum: sed eam quæ est signorum. Theodoretus *fid*
hic non hanc dicit communem, sed illam de qua paulo post dicit, e
habuero omnem fidem ita ut montes transferam. Porro liquet ex Ap
tolo, ad Spiritus arbitrium charismata distribui. Nec omnibus san
tis indultam esse fidem illam, quæ miracula perpetrabat. *Alte*
inquit, *fides distribuitur per Spiritum.* Hac de causa auditum ex C
prian

priano Tertulliani discipulo; non Christianum quemlibet, *sed unum de Exorcistis Dei gratia inspiratum*, mulieri a Dæmone actæ fortiter restitisse. Itaque phrasis Tertulliani, *jussus a quolibet Christiano Spiritus*, non singulos significat, sed genus fidelium quodlibet: hoc est Clericorum vel Laïcorum, pauperum vel divitum, nobilium vel ignobilium. Quin etiam Tertullianus eo modo potest intelligi, ut vel ab imperitioribus Christianorum atque vilioribus, si in judicium sisterentur, adesseteque una homo quem a Dæmone agi constaret, cogi tum posset impurus ille Spiritus edere nomen suum, vi non communi quidem, & anticipata, sed indulta numero, ne Christus deesset occasioni, & amplitudinis gloriæque suæ amplificandæ, & idololatriæ exterminandæ.

Ut Exorcistæ Apostolici non ordinabantur, sic nullas ceremonias adhibebant pellendo Dæmoni. Id muneris sola precum mandatorumque vi exercebatur. Ancillula quædam habens Spiritum Pythonis cum clamoribus suis molesta Paulo fuisset, tum Apostolus tandem dixit, *mando tibi per nomen J. Christi, ut exeas ab ea: exiit igitur eodem illo momento.* Act. 16. 18. Nec ceremoniam ullam Christus instituit ad fugandos Dæmones. *Hoc genus Dæmoniorum*, inquit, *non ejicitur nisi oratione & jejunio*: quibus non immerito colligitur, non eadem potentia atque sævitia præditos esse Dæmones. Qui locus insignis luce nonnulla spargitur ex Historia Lausiaca. *Quodam die adolescentulus, qui supra modum graviter vexabatur a Dæmone, avectus est ad B. Antonium, habens principalem sævissimum Dæmonem.* Cum igitur adolescentem observasset magnus ille Antonius, dixit iis qui eum ducebant, *Non est hoc meum opus: κατὰ γὰρ τούτου τοῦ τάγματος τῶν δαιμόνων τοῦ ἀρχικοῦ οὔπω ἠξιώθην χαρίσματος: nam contra hunc ordinem Dæmonum, nempe principalem, nondum sum donatus gratia.* Lauf. Hist. c. 28. Ad Paulum igitur & Rusticum nuper Monachum adducto puero, Dæmon contumaciter mandanti restitit. Nec nisi vi precum multarum adhibita tandem pellitur. Nulla tunc librorum sacramentalisve ordinationis sibi comparabant auxilia. Nullus usus ceremoniarum ab Exorcistis Ecclesiæ Rom. usurpatarum. *Sacerdos exorcizaturus, stola violacei coloris supra superpelliceum uti debet, cui assistent aliqui de Clero tenentes crucem parvam cum candela accensa & aqua benedicta. Intrepide vero &*

constanter incipit exorcismos, circumposita parte stolæ ad collum obses Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ. Manu. de Exorcis. p.13 Sed lepidum memoratu & festivum est acroama, *conjuratio* il quæ adhibetur terrendo Dæmoni. *Per istius libri orationes & per omn earum virtutes, & per omnia signa, & verba Salvatoris nostri, & p omnes orationes quæ fiunt in cœlo & in terra, & per omnes virtut cœlorum in virtute & per virtutem sanctorum Dei nominum, præc pio vobis ut deinceps hic manere non debeatis, nec possitis, sed facia quæcunque vobis jusserimus; alioquin in stagnum ignis & sulphuris v præcipitabimus æternaliter cremandos.* Graves minas, ad quas Dæmo nes expavescunt merito. *Præcipio ut hic manere non debeatis, ali quin in stagnum ignis vos præcipitabimus.* Quasi vero, ante fatalia constituta torquendis spiritibus tempora, in gehennam deturba possent. Contumaciam sane Dæmonibus non exoptare non possi mus, ut immorigeri illi spiritus ab Exorcistis *æternaliter creman præcipitentur.* Sic mortales liberarentur obsidione Diabolorum atqu assultibus; quod commodo nostro longe maximo fieret. Ne ver ratio hæc pellendorum Dæmonum, stola scilicet *violacei coloris s pra superpelliceum cum aliquibus de Clero tenentibus crucem parvam candelam accensam & aquam benedictam*, ludibrio esset, cavit Be larminus potentissima hac ratione. *Nam Dæmon ubi crucem vid mox recordatur Christi cruce se victum, spoliatum, ligatum, & enervatu fuisse. Inde crucem timet & fugit, quomodo canis fugit lapidem & b culum quo percussus fuit.* Bellar. de imag. l. 2. c. 30. p. 1028. Subtil ter admodum atque acute. Sed unus mihi injectus est scrupulu quamobrem antiqui illi, qui frequentissime pugnam cum Dæmon bus committebant, *stola violacei coloris, parva cruce, candela accens* telisque ejusmodi non utebantur. Hæc auxilia sibi non adjunxit pe celebris ille Monachus, cui Petro nomen fuit; cujus in patrand miraculis gratiam mater Theodoreti non semel experta est. *Cu ea aliquando adduxisset obsonatorem famulum, a malo Dæmone vex tum, rogavit ut ei suum non negaret auxilium. Cum precatus aute esset vir divinus, jussit Dæmoni ut diceret causam cur haberet potestate in Dei creaturam; qua memorata statim aufugit, liberatusque est f mulus.* Theodor. Hist. pat. c. 9. Quid plura? non ostensa cruc accensaque candela, sed uno precum adminiculo, furentes Dæm

n

nes Sanctus Martinus abegit Energumenis. Testis est Sulpitius Dial. 3. c. 6. Admotis Energumenis cæteros jubebat abscedere, ac foribus obseratis in medio Ecclesiæ cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat. *Tum vero cerneres miseros diverso exitu perurgeri: hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum: at in parte alia videres sine interrogatione vexatos, & sua crimina confitentes, nomina etiam nullo interrogante prodebant: ille se Jovem, iste Mercurium fatebatur.* Quod pene omiseram, Origenes pellendis Dæmonibus solum Christi nomen adhiberi memorat contra Cels. l. 1. ἔοικε δὲ σαφῶς συκοφαντεῖν τὸν λόγον, οὐ γὰρ κατακλήσεσιν ἰσχύειν δοκοῦσιν, ἀλλὰ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ: *quod quidem manifestam præ se fert calumniam, non enim incantationibus pellere videntur, sed nomine Jesu.* Exorcistarum duplex olim usus fuit in Ecclesia. Nam & ad liberandos Dæmoniacos, & ad purgandos Catechumenos adhibebantur. Nec vero semel duntaxat exsufflabantur atque exorcizabantur Catechumeni: sed post singulas Catecheses discincti & excalceati deducebantur ad Exorcistam, ut ab eo purgarentur. Cyrillus, τοὺς ἐξορκισμοὺς δέχου μετὰ σπουδῆς, κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐπορκισθῇς, σωτηρίαν σοι τὸ πρᾶγμα νόμισον εἶναι: *Exorcismos studiose suscipe, etiamsi inspiratus jam sis & exorcizatus: salubris enim est res ista.* Cyrilli Præf. Catech. p. 4.

Ad multam me traduxit admirationem Isidorus. *In primo ordine & ministerio Ecclesiæ esse Exorcistas secundum officia quæ in Templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispertita, invenimus, eosque quod Esdras Actores memorat Templi, nunc esse Exorcistas in Ecclesia Dei.* Ad Actorum, de quibus verba fecit Isidorus, similitudinem accedere Exorcistas nullus capio. Quid muneris fuerit Actor, describit Isidorus? *Nullam aliam curam habebant Actores Templi, nisi ad sarta tecta reficienda, ut quæcunque fuissent vexata in ædificio Templi, aut delapsa, per eosdem Actores de Thesauris Dominicis reficerentur atque excolerentur.* Atqui cura Templi reparandi a potestate pellendi Dæmones multum discrepat. Sed nec Exorcistæ Apostolici, qui vi indulta divinitus imperabant spiritibus, similitudinem arripiunt Exorcistarum qui in Ecclesiasticis Ordinibus annumerantur. Creandis Exorcistis hæc adhibebatur ceremonia. *Exorcista cum or-*

dinatur, accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dice te sibi Episcopo, accipe & commenda memoria, & habeto potestatem i ponendi manus super Energumenum sive Baptizatum, sive Catechum num. Cart. 4. c. 7. Sanandis morbis manum fuisse impositam s mus & tenemus. Vincunt hoc Christi verba exemplaque Apost lorum. *Factum est autem ut pater Publii febribus & dysenteria dete tus decumberet, ad quem Paulus ingressus & precatus impositis ei manil sanavit eum.* Act. 28. 8. Christum quidem male valentibus manu imponi jussit, hanc vero ceremoniam pellendo Dæmoni adhib non jussit. Itaque nec ab Apostolo usurpata est ad liberandam a cillulam Spiritum Pythonis habentem. Quærat aliquis fortasse, c potius sanando ægro adhibita χειροθεσία, quam ejiciendo Dæmon Discriminis causam hanc suppeditamus. Majorum consuetudinem lo go intervallo observatam referebat usurpata illa sanandis ægris χε ροθεσία. Idcirco oblato surdo, ut imponeret manum Christus r gatus est ex veteri more, quod recte a Maldonato observatun *Manus surdo a Christo imponi postulabant, aut quod scirent eum manuu impositione alios ægrotos multos curavisse, aut quia vetus erat Prophetaru & sanctorum virorum consuetudo, ut impositis sanarent manibus; qu ne gentiles quidem ignorabant, ut Naaman ille Syrus indicio est. H ducti consuetudine alii etiam idem ut faceret Christum rogarunt.* At no moris erat manus imponere arreptitiis, qui nullo vestigio reperiu tur in V. Testamento. Nec in Historia Evangelica ejusmodi h minibus imposuisse usquam gentium legitur. Jam vero Exorcist in mandatis habebant manum imponere. Carth. 4. c. 90. *Omni d Exorcistæ Energumenis manum imponant.* Pars etiam officii Exorcist rum fuit, alimenta Energumenis distribuere. *Energumenis in don Dei assidentibus victus quotidianus per Exorcistas tempore ministretur.* c. 9

Existit hoc loco subdifficilis quæstio, undenam tantus ille E nergumenorum numerus, qui veterum monumenta legentibus pa sim incidit? Apparent etenim rari hodie Dæmoniaci. Qui vero Monachis circumducuntur, larvati sunt ut plurimum subditique E nergumeni, qui gestum agunt in scena. Quocirca viros graves pu duit Marthæ Brosseriæ, arreptitiæ sibi personam aptantis in magn Lutetiæ Parisiorum Theatro. Dictum itaque de hac muliere. *Fact multa, pauca a morbo, nulla a Dæmonio.* Hoc addebant acuti homi

ne

nes; *tradenda Rapinio*, qui Prætoris fungebatur officio, ut non flagris illis spiritualibus Cypriani, sed tortoris virgis Diabolum ejiceret. At Energumenorum examina objiciuntur ante oculos, in veteri Ecclesia. Legantur Apostolorum c. 78. Eliber. c. 29, Arausic. 1. c. 14. Cassianus coll. 7. c. 29. Crediderim Energumenos Patribus esse illos non solum quorum corpus incolit Dæmon, quod arreptitiorum genus rarissimum est, Dei beneficio ac munere; sed etiam quoslibet qui impetu, commotione, affectione animi, vel morbo insolito ad corpora a numine misso, laborabant. Profecto Energumeni illi multum dissimiles videntur iis quos Christus vi sua liberavit olim. Carthaginensium Patrum scitum est, *Pavimenta domorum Dei Energumeni verrant.* Fallor an id officii potuisset mandari Dæmoniacis quos Christus sanaverat. Judæis olim moris fuit insolitos violentosque morbos ascribere Dæmonibus, quod observatum a Lightfootio. *Judais usitatissimum erat morbos quosdam graviores, eos præsertim quibus vel distortum est corpus, vel mens turbata & agitata phrenesi, malis Spiritibus attribuere. Maimon. in Gerushin* מי שהיה רוח רעה מבעתת אותו ואחר כשהתחיל בר החולי *si quis vexatus Spiritu malo dixerit, cum illum primo invaserit iste morbus, conscribite libellum repudii uxori meæ.* Ligtfoot. Hor. Heb. in Matth. 17. p. 314. In cogitationem haud dissimilem Patres incidisse, mihi fit verosimillimum. Hinc magnus ille Energumenorum numerus in Ecclesia assidentium, quod morbi, quos contraxerant, a Dæmonibus immitti crederentur, quod & nonnunquam accidit. Sic *perturbabat Saulem Spiritus malus a Domino.* 1 Sam. 16. Τὸν Σάουλον δὲ περιήρχετο πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα: *Saulus vero in morbum Dæmoniacum incidit, ita ut suffocari & strangulari.* Joseph. Ant. l. 6. c. 9. p. 187. Itaque servi Saulis in Musica putaverunt aliquid esse, quod Regi esset levamento, & spei respondit successus. Atqui Musica, quæ res est corporea, Dæmonem suis sedibus pellere non potest, nec ullus germanus Dæmoniacus tali remedio a potestate Dæmonis liberatur; alioquin *digito Dei* vique cælesti Spiritus nil opus fuisset ad restituendos arreptitios, ac in libertatem vindicandos, sed fidibus solum & musicis. Vox itaque Energumenorum ambigua; significat enim vel homines quorum corporibus Dæmon habitat, vel quoscunque quorum affectus

 movet

movet. Quibus & naturæ viribus aliquid auxilii parari poteſt mitigatis ſpiritibus quibus Dæmon vim incutiebat. Cum pellendi Dæmones vis magna ſit atque inſignis, movet admirationem quo Exorciſtæ ad infimos ordines relegati ſint. Cujus rei cauſam hanc eſſe cenſemus, quod Dei gloriæ amplificandæ ſimplicioribus gratia hæc indulgebatur: teſte Origene l. 7. in Celſum. ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι: *nam plerumque homines plebeii ſimplices & idiotæ hoc faciunt.*

De Acolythis. An hodierni Acolythi antiquorum ſimiles? Acolythos Cyprianicos a Carthaginenſibus multum eſſe diverſos. Argumento eſt cereorum uſus qui olim interdiu non adhibebantur in officio Eccleſiaſtico celebrando. Quid rei eſſet Acolythus ævi Cypriani, dictu difficillimum. Notarii functum eſſe munere apud Epiſcopum non improbabile. An Orientalis Eccleſia Acolythos Ordinibus olim inſeruerit? Affirmans Shelſtrati aliorumque ſententia refellitur. Euſebium huic ſententiæ non favere oſtenditur.

JAm ad Acolythos vocamur. Adultam quidem antiquitatem iſtius officii ſibi vindicare facilis patiar, ultimam negabo. Cyprianus *Nicephorum Acolythum* memorat. Epiſtola 42. p. 57. *Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum a me miſſum, & Nicephorum Acolythum tranſmiſi.* Et Eccleſia Romana, ſedente Cornelio anno Dom. 251, *Acolythis quadraginta* duobus florebat. An vero Acolythi illi ſimiles illorum eſſent quos novit ætas poſterior, jure in dubitationem adducitur. Quid muneris Acolythi geſſerint a Carthaginenſibus docemur. *Acolythus cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum, ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.* Cart. 4. c. 6. Cujus muneris myſterium ſic Alcuinus aperuit. *Acolythus Græce, Latine Ceroferarius, id eſt cereum ferens. Illorum officium eſt, ut deportent cereos ante Diaconum*

quand

quando legitur Evangelium in Ecclesia, & non ad effugandas tenebras, præsertim cum sol in die rutilet, sed ut demonstretur quod de tenebris infidelitatis venimus ad lucem fidei, & ut signum lætitiæ sit, quatenus sub typo corporalis luminis lux illa in memoria habeatur de qua dicitur, erat lux vera. Id officii porro a Mosaico Tabernaculo demittitur, si creditur Latinis. Acoluthi, inquit Mimatensis, *aliique ab Aron & filiis ejus ministerii sui sumpserunt exemplum, juxta illud Exodi: præcipe filiis Aron, ut offerant oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo testimonii.* Mitto & absurdum, oleum pilo contusum, & Scripturæ corruptionem, *præcipe filiis Aron* pro filiis *Israel*; ad exemplum Sacerdotum V. Testamenti, Acolythorum officium existimabimusne? Cerofe-rarii dicuntur a ferendis cereis. Atqui ejusmodi munus a Tabernaculo Mosaico procul absuit, ubi ceræ mellisve nullus usus. Sed & Sacerdotes ipsi extinctas lucernas suscitabant, non Ordo quidem inferior. Ut dignitatem ad Acolythos afferant, eorum munus Christum gessisse perhibet Ivo Carnotensis sermone de excellentia Sacrorum Ordinum. *Hoc*, inquit, *officium Dominus se habere testatur in Evangelio dicens, ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulabit in tenebris.*

Hac ex Acolythorum descriptione, apparet longe posteriores illos ab antiquis discrepare, quorum mentionem injecere Cyprianus atque Cornelius. Nulla quippe lumina interdiu accendebantur ad celebrandam Eucharistiam, legendumve Evangelium, Cypriani temporibus. Ritus hic posterioribus seculis debetur. *O nos merito damnandos!* (verba sunt Tertulliani) *cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii expungimus? cur die læto non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus?* Tertul. Apolog. c. 35. Hæccine scripsisset Tertullianus, si tum lumina diurna usurpata fuissent in cultu publico? *Nec lucernis diem infringimus*, Septimianum dicterium est in diurna lumina invehens: eadem & mente atque spiritu idem ille Tertullianus compellat Idololatras, *accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla est — tu lumen es mundi.* De Idolol. c. 15. Quæ luce clarius indicant, moris tum Christianis non fuisse, accendere faces interdiu. Tertulliano accedat Lactantius l. 6. c. 11. *Vel si cæleste lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint, jam sentient quod non indigeat*

indigeat lucernis eorum Deus, qui in usum hominis tam claram tan candidam lucem dedit. Eo loci quo res sunt in Ecclesia Latinorum lucernæ diurnæ, nisi omni pudore posito, Ethnicis non objicerentur. Quin etiam usum diurnum luminum nondum invaluisse in Occidente quarto seculo præcipiti non obscure indicatur ab Hieronymo. Sic enim urget Vigilantium, *Absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Omissis Occidentalibus, cur solius Orientis mentionem injecisset Hieronymus, si Occidentales Ecclesiæ de die luminaria accendendi jam coluissent disciplinam? Sed de his pluribus alibi. Quid ergo muneris Acolythis injungebatur ævo Cypriani? Obscurum atque cæcum mihi est id officii. Itaque hac de re divinandum. Crediderim Acolythos Notarii munere apud Episcopum functos fuisse, quod munus gessit Athanasius. De quo sic Sozomenus: Μετὰ πολὺ δὲ, ὁμοδίαιτον καὶ ὑπογραφέα τὸν Ἀθανάσιον εἶχεν: *non multo post Athanasium in contubernium suum adscivit, eumque Notarium deinceps habuit.* Soz. l. 2. c. 19. Similiter Proclus, τὰ πολλὰ παρῆν τ[ῷ] ἐπισκόπῳ Ἀττικῷ ὑπογραφεὺς αὐτοῦ τῶν λόγων γενόμενος: *versabatur assidue cum Attico Episcopo, ejusque Notarius fuit.* Socr. l. 7. c. 41. Nec Acolythi nomen, nec functiones, id explicationis repudiant. Legebat Scripturas coram Episcopo, Epistolasque & scribebat & ferebat. Cyprianus Epist. 46. *Hac igitur, frater charissime, eadem hora, eodem momento ad te scripta transmisimus, & Nicephorum Acolythum, descendere ad navigandum festinantem, de statione ad vos statim dimisi.*

Quæstionis est an Orientalis Ecclesia Acolythos Ordinibus inseruerit? Qua de re sic censet Eruditus Shelstratus. *De Acolythorum Ordine tanquam usu in Oriente recepto testimonium addidit lib. 3. de vit. Const. c. 9. Dum narrat, sacro Nicano Concilio adfuisse ex omni orbe Catholico Episcopos complures. Si tot Acolythi adfuerint Nicano Concilio, cui Orientis præsertim interfuerunt Episcopi, quis dubitabit post hoc Eusebii testimonium, quin plures Orientis Acolythi adfuerint cum Orientis Episcopis?* Shelst. can. 10. Ant. c. 17. n. 8. p. 528. Sed Shelstratus, Goar, aliique in ejusmodi sententiam concedentes ambagibus ludunt nos. Sic habent Græca Eusebii, Ἑπομένων δὲ πλείστοι

Πρεσ

Πρεσβυτέρων καὶ Διακόνων, ἀκολούθων τε πλείστων ὅσων ἑτέρων, οὐδ' ἦν ἀριθμὸς εἰς κατάληψιν: *Presbyterorum vero qui eos comitati sunt, Diaconorum, Acoluthorum* (sic vertit Valesius) *aliorumque complurium numerus iniri vox potest.* Quo jure in verbis Eusebii suos Acolythos invenerint, ipsi viderint. Græcis ἀκόλουθος assectator est, & comes. Lucianus in Nigr. φορτικὸς ἀκολούθων ὄχλος. Xenoph. ἀκόλουθοι τῶν συνδείπνων. Quidni igitur optime verteretur *Assectarum*, non *Acoluthorum?* Imo non magis proprie verti potuit. Etenim qua de caussa omissis Subdiaconis, qui Acolythis antecellebant, horum mentionem agitasset? Lucem explicationi nostræ fœnerant illa Presbyterorum Marcoticorum apud Athanasium. Καὶ οὐδέποτε μόνος περιέρχεται, ἀλλὰ μετὰ πάντων ἡμῶν τῶν Πρεσβυτέρων καὶ τῶν Διακόνων, καὶ λαῶν ἱκανῶν: *neque enim* Episcopus noster *solus itinera obire solet, sed comites secum trahere Presbyteros, & Diaconos, & non paucos e plebe.* Athan. t. 1. p. 792. Tum si officium Ecclesiasticum Græcis Ecclesiis familiare & pervulgatum Eusebius habebat in animo, nonne prodigio simile est, quod in nulla antiquorum Liturgia, nullo in Canone Synodorum Orientalium, usquam gentium munus reperiatur Acolythi? Imperante Constantio, cui Constantinus magnus decesserat, celebrata est Antiochena Synodus. Si tantus Acolythorum numerus ex Ecclesiæ Græcæ Ordinibus Nicenæ interfuit Synodo, mirum de Acolythorum ordinatione ne verbum quidem haberi in Canone officia Ecclesiastica recensente. Chorepiscopis horum officiorum adscribitur ordinatio. ἀναγνώστων, ὑποδιακόνων, ἐφορκιστῶν: *Lectorum, Subdiaconorum, Exorcistarum.* Concil. Laodiceni c. 24. prohibet *Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, Ostiarios in cauponas ingredi.* Quid sibi vult profundum de Acolythis silentium? Profecto si qua machina adhiberetur ad eruendos ex verbis Eusebianis Acolythos, nulla necessitate astringeremur alios intelligere quam Occidentalis Ecclesiæ Acolythos, quos jam ante Synodum Nicenam in usu fuisse scimus & tenemus.

De Subdiaconis. Id officii ducentis amplius annis Ecclesiæ fuisse incognitum multis probatur. An Gregorii magni ævo in sacris majoribusque Ordinibus Subdiaconatus annumeratus fuerit? Affirmantis Shelstra-

ti sententia refellitur. An Subdiaconatus a Nethina ortus? Isidori Hisp. atque ὁμοδόξων error rejicitur.

UNo verbo Subdiaconos absolvam. Quod officium non ante t tium seculum emersit e tenebris. Optatum Christi Confessor novo hoc Subdiaconi titulo Cyprianus decoravit. Tertullianum n neris hujusce insolentem fuisse, apparet ex Libro de præscriptio bus c. 41. *Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ita alius hodie Episcopus, cras alius. Hodie Diaconus qui cras Lector, ho Presbyter qui cras Laïcus.* Quamobrem Lectoris mentionem mov non Subdiaconi? In conversione rerum atque perturbatione, q adversus omne genus officiorum grassabatur apud Hæreticos, ho creatum fuisse Presbyterum qui cras Subdiaconus erat, non est dubio; concesso Subdiaconatum jam institutum fuisse. Hoccine d simulasset acer ille Septimius? Audiatur adhuc Libro de Baptisn *Jus dandi baptismum summus sacerdos habet, dehinc etiam Presby ri, & Diaconi.* Cur hic subsistit? Nonne competit & Subdiaco facultas ministrandi baptismi, absente vel Presbytero, vel Dia no? Cum itaque nomen Subdiaconi post defunctum Tertullian usurpari cœperit, merito colligimus, Ecclesiam ducentis ampl annis officio Subdiaconi vacasse; nisi hoc Latini velint, princi rerum fuisse omnia illa quæ reperiuntur apud Autores qui adu jam tertio seculo floruere; nec novis ullis institutis formasse di plinam Ecclesiæ: qua de re temere affirmaretur. Aliud agebat e ditissimus Blondellus inter scribendum *A. D. 251. nullos tum in u Subdiaconos fuisse.* Præfat. Apol. p. 38. cum in Cleri Rom. συνη μαλ Cornelius Subdiaconos diserte annumerarit. Profecto ce moniæ ad ordinandum Subdiaconum adhibitæ speciem atque c nionem ritus Apostolis incogniti præbent. *Subdiaconus cum ordi tur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi m accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi ceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Qui quidem ritus tiquam simplicitatem dedecent. Quin etiam ab institutis Apost cis nominatim Subdiaconatum excludi ex eo constat, quod abs χειροθεσία creatur ille qui donatur hoc munere. Quod a pervulg Apostolorum more quam longissime alienum est, cum manu

imposi

impositio benedictiones omnes subiret, veluti mutæ orationis quoddam genus, qua auxilium Dei implorabant & flagitabant: ut in creandis Subdiaconis χειροθεσίας omissio toti Ecclesiæ offensioni fuisset.

A consuetudine majorum convertit tandem Subdiaconos autoritas Ecclesiæ Rom. in sacris Ordinibus Subdiaconatus olim non annumerabatur; quod omnibus est in confesso. Hodie vero sacris majoribusque Ordinibus inseritur. Quo vero tempore mutatio hæc contigerit, opinionum dissensione discrepant inter se eruditi. Shelstrato de sacris ordinationibus infixa hæc est sententia; *Quidquid sit de initio Ecclesiæ post institutum circa postrema Apostolorum tempora Subdiaconatum, manifestum sit ab ipsius Gregorii ævo Ordinem illum majoribus, aut sacris fuisse annumeratum.* Can. 10. Antioch. c. 17. n. 7. p. 517. Quæ sententia temeritatis & inconsiderantiæ plena est. Quasi vero Lombardus ignorasset quinam essent Ordines sacri necne? Aut opinionis Latinorum omnium animos ævo suo opplentis testis infirmus esse potuerit? Atqui a majoribus Ordinibus tum Subdiaconatus exulabat. Disertiora sunt Magistri sententiarum verba, quam ut ullis tenebris obscurari, aut vitiligatoris acumine dissolvi possint. *Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breviter elocuti, quid ad quemquam pertineat insinuavimus. Cumque omnes spirituales sint & sacri, excellenter tamen Canones duos tantum sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus Episcopos & Presbyteros ordinaverunt. Levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus: quorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos vero & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Lomb. l. 4. dist. 24. 1. Si Apostoli sanctitatem Subdiaconatui non addiderunt affinxeruntve, Pontifici Romano non ea autoritas inest, ut muneri huic eam adjungat dignitatem, quæ ad Ordinem majorem & sacrum constituendum necessaria est. Vertente seculo duodecimo Subdiaconatus ad sublimiorem sanctitatis gradum ascendit, ut ab eruditissimo Hugone Menardo fuit observatum. Etenim Petrus Cantor, qui tempore Innocentii III. ad finem seculi 12. floruit, scriptum reliquit, *prima autem manus impositio debetur Diaconibus ordinandis. De novo enim institutum est, Subdiaconatum esse sacrum Ordinem:*

dinem: ut & hinc contundi possit Patrum Tridentinorum audac *Subdiaconatus*, inquiunt, *ad majores Ordines a Patribus & sacris Co ciliis refertur.* Quod longe falsissimum. Ex Latinorum sentent continentiæ votum sacro & majori Ordini affigitur necessario. Ja vero certo certius est, Carthaginense Concilium secundum usu uxorum Subdiaconis non abdicasse. Sic enim sciscit c. 2. *Placet Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant pudici custodes etiam se ab uxoribus contineant.* Integrum ergo & illibatu fuit Subdiaconorum matrimonium, quibus continentia perinde Diaconis non imperatur. Sed & Matisconensis Synodus secunda ci annum 585. celebrata satis indicat Subdiacono concessam tum fu se nuptiarum contrahendarum facultatem. *Illud quoque rectum no visum est disponere, ut quæ uxor Subdiaconi, vel Exorcistæ, vel A lythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio.* c. 1 De Diaconi vidua nil sciscunt Matisconenses*, quia maritos tum D conos non noverant. Sed cœlibatus professio sacro constituen Ordini non satis est. Alioquin Ostiariatus, lata lege de continent & in honorem majoris Ordinis facillime adduceretur. Functio officii perinde atque institutio attendi debent. Tanti vero esse n videntur munia hæc, *deferre calicem & patenam ad altare, urceol quoque cum aqua, mantile, & manutergium tenere, Episcopo & Pres teris & Levitis pro lavandis manibus aquam præbere*, ut sacri majo que Ordinis titulo decorari debeat. Mutata Subdiaconi dignita mutari debuit & consecrationis suæ ritus. Quod & factum est. *remonia qua ordinabatur* (Maldonati verba sunt) *non erat quæ n est in Ecclesia. Nunc enim imponit illi Episcopus amictum ad castig dam vocem, & manipulum ad significandum ministerium, & bona o ra, & albam ad significandum illum esse ascitum in numerum eor qui ministrant ad altare, & qui debent servare castitatem. Olim autem que imponebatur amictus, neque dabatur manipulus, neque indueba alba.* Maldon. de Ordi. c. 6.

Laodicena Synodus c. 21. Sic sciscit, *Non oportet Subdiaconos cum habere in Diaconico, & Dominica vasa contingere.* Cui conse Agathensis c. 66. *Quoniam non oportet non sacratos ministros lic tiam habere in Secretarium, quod Græci vocant Διακονικὸν, ingredi, contingere vasa Dominica.* Quibus canonibus Subdiaconatus e ce sacrorum Ordinum eximitur. Absurdum quippe est, atque ex

modi

modum absonum, tam dure, tam injuriose, tractari sacrosanctum Ordinem. Non invenusta est eruditi Cabassutii observatio, qua Canones in speciem pugnantes una conspirant. *His tamen vasis sacris non contingendis obstare videtur inprimis Concilii 4. Carthaginensis c. 5. statuens ut qui Subdiaconus ordinatur calicem vacuum, patenamque vacuam sumat de manibus Episcopi. Deinde Concilium Bracarense allegatum in Decreto c. non liceat dist. 23. interdicit inferioribus Clericis vasa sacra perferre nisi Subdiaconis. Sed distinguendum cum Theodoro Balsamone; Subdiaconis quidem inhiberi sacrorum vasorum contrectationem dum divina continent Sacramenta, non vero si his vacua sint. Quin imo horum vacuorum contrectationem ad ipsorum munus & officium pertinere.* Cabass. Not. Eccl. p. 154.

Admiratione prorsus obstupesio, hæc legendo apud Isidorum, *Subdiaconi, qui apud Græcos Hypodiaconi vocantur, in Esdra inveniuntur, appellantur ibi Nathinnai, id est in humilitate Deo servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael qui in Evangelio Joannis divina proditione commonitus salutem meruit consiteri.* De Offic. Eccl. l. 7. c. 10. Qui crassus Isidori error posteriorum pene omnium scripta invasit. Profecto quicunque linguam Hebræorum a primo limine salutarunt, sciunt Nethinæos longe aliud quam humiles sonare. *Servi erant publici, publicis angariis obeundis in domo Dei pro toto cœtu dediti quasi dedititii,* docente secundum Scripturam Buxtorfio. *Primum quidem Gibeonitæ fuerunt a Josua ordinati, postmodum a Davide ad ministerium Levitarum dediti.* Quocirca in fraudis suæ pœnam id officii illis injunctum est. *Ut quid decepistis nos dicendo, procul habitamus a vobis? & nunc maledicti estis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cadens, aquasque comportans in domum Domini.* Jos. 9. 22. נתינים derivatum est a verbo נתן *tradidit.* Viderint igitur quomodo & a Nethinæis suos Subdiaconos deducant, & Nathanaelem Nethinæis inferant? De hujusce viri origine aliud censebat Christus, *ecce vere Israelita.* Non igitur ex Nethinæorum grege Nathanael. L. Bona Cardinalis sic censet de Ordinibus, *Contigit Ecclesiæ quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat; si vero reditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores & spectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc &*

latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum ministris. Cr scente autem credentium multitudine & auctis facultatibus ex fideliu oblationibus, cum soli Diaconi non possent omnibus incumbere, diver onera & officia diversis personis distributa sunt: ex quo factum est splendidiori & augustiori apparatu Ecclesiasticarum functionum ceremon peragerentur. Bona Liturg. l. 1. c. 25. Atqui ex incremento Ecclesi non officia, sed ministri crescere debuerunt. Tutiusque & sapienti fuisset, ne ad latum unguem a disciplina Apostolica discedere.

AN. XLIV. NUM. LXXXVI.

De ceremoniis Ethnicorum ad Ecclesiam derivati Latinorum de ceremoniis sententia. Audax Bella mini opinio de potestate Ecclesiæ in ritibus institue dis ad effectus ex opere operato edendos. Cerem niæ a prisca antiquorum simplicitate, nec non germ na Evangelii indole alienæ. Quo jacto fundamen novitatis & imprudentiæ damnatur Baronii sente tia de ritibus Ethnicorum pie in Ecclesiæ discip nam introductis. Ab hac præpostera sapientia P tres omnes Constantino magno antiquiores alien fuisse, probatur ex Tertulliano, Minucio Felice, liisque. Imo nec Ambrosio, nec Augustino arrisisse ha Latinorum prudentiam. Argumentis experien ductis ostenditur tercentum amplius annis, thu in cultu publico, festorum, imaginum, musicæ, minarium, Ecclesiam fuisse insolentem. De Can Elibertino 34. prohibente per diem cereos in c meteriis incendi. In germanum obscuri decreti in lectum inquiritur. Quid rei sit Patrum illa præscr tio? Cabassutii hunc ritum ad sacra magica refer tis explicatio rejicitur. An eo consilio sanci

sit ille Canon, ne Pagani Martyrum corpora abducerent? Mendozæ Garcias sententia impugnatur. Verisimilior explicatio, ex Clemente Alex. Nazianzenoque illustrata. Rationes Baronianæ ex Theodoreto, Gregorioque magno de introductis in Ecclesiam gentium ritibus petitæ, ex Augustino confutatæ. Solemnitates epulares ad Sanctorum memorias ab Ambrosio improbatæ. Misso Baronio, cum clarissimis Marshamo, Spenceroque certamen committitur, de ritibus gentilium ad Hebræos derivatis. Argumentis compluribus derivationem hanc cum & sapientia numinis, & scopo ejus in instituenda veteris Ecclesiæ disciplina, & facto non consentire demonstratur. Spenceri plurima παροράματα. Ad confutandam adversariorum sententiam, duo etiam atque etiam observanda. Alterum, plurimas esse ceremonias naturales ab ipsa natura quodammodo institutas: alterum, ante legem a Mose latam, plurimas viguisse ceremonias, ab Hebræorum legislatore renovatas. Ante Mosem sacrificia publica, festa, ἐμπυρισμὸν victimarum, discrimen animantium mundorum & immundorum, genera sacrificiorum, ritum offerendi, ablutiones, decimas, suscitationem seminis per defuncti fratrem palam in usu fuisse. Unde colligitur plurimas & ceremonias, quarum mentio non injicitur, etiam a Patriarchis fuisse usurpatas: ut disciplina Mosaica ceremonialis, solis circumstantiis & numero rituum ab illa antiqua Patrum differre, sit longe probabilissimum. Fundamentum Marshami & Spenceri, in subdita ceremoniarum Ægyptiacarum vetustate male collocatum, cum a Patriarchis consensus

sensus ille rituum deductus sit. Præcipua a Spencero exempla allata examinantur. De origine sacrificiorum quæstio examini subjicitur. Non a pia mortalium simplicitate, sed ab ipso Deo, usum descendis sacrificiorum contra bene multos ostenditur. 1°. Ex Sacerdotali munere, in quod mortalium nemo, ne Christo quidem excepto, involare debuit. 2°. Ex natura cruentorum sacrificiorum, a quibus cessante Dei mandato ratio abhorret. 3°. Ex addita cultus divini qualitate. 4°. Ex sacrificiorum vi, quam nullus ipsis incutere potuit. 5°. Ex fide offerentium. 6°. Ex respectu victimarum ad Christum. Hugonis Grotii & Spenceri lapsus circa Chrysostomum. 7°. Ex disertis a Deo additis mandatis de sacrificiis diu ante Mosen offerendis. 8°. Ex Eusebio, Athanasio, Augustino.

IN materiam & luculentam, & ingentem ad dicendum, nunc ingredior. *De gentilitiis scilicet ritibus in Ecclesiam aliquando translatis.* Ut stabiliori fundamento maneat dissertatio nostra, qualem de ceremoniis Latini animis affixere sententiam paucis dicendum. Audiamus Bellarminum, quo nemo aut clarius, aut doctius de hac quæstione tulit judicium. *Potest*, inquit, *Ecclesia instituere novas ceremonias non quidem ad justificandum impium, sed ad alios effectus spirituales. Nota pro explicatione, ceremonias ab Ecclesia institutas, tribus modis posse esse utiles: primo ad ornandum & repræsentandum aliquod mysterium Religionis, & eo modo juvandos rudiores. 2°. ad morbos curandos, & Dæmones pellendos, & peccata venialia purganda, & alia id genus, idque per modum impetrationis, ut cum Ecclesia benedicit candelas, palmas, agnos. Ista enim valent ad effectus illos ad quos instituuntur ex vi orationum Ecclesiæ, quæ sine dubio exaudiuntur. 3° modo probabile est, posse Ecclesiam instituere ejusmodi ceremonias ad eosdem effectus, per applicationem Christi meritorum, ita ut ex opere operato illos effectus producant, quomodo Sacramenta ex opere operato justificant..*. Quæ si vera sunt, inest Ecclesiæ potestas Sacramentorum

rum instituendorum ceremoniis adjungendo Christi merita, edendis *ex opere operato* effectibus. Etenim constituendo Sacramento, aliud requiritur, quam sacrum signum, cui Christi meritum tam arcto nodo est copulatum, ut simul recipientibus communicentur. Quid est involare in Dei autoritatem, si hoc non est? Absonam hanc de vi atque efficacia ceremoniarum opinionem Thomas suffragio suo ornare noluit: *Non potuit Christus autoritatis potestatem cuiquam] conferre, sicut nec Divinam essentiam; sed excellentiæ potestatem potuit ministris suis communicare, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, & solo imperio, absque Sacramentorum ritu, effectum Sacramenti conferrent.* Quid autem Christus cum ministris suis communicarit audiamus: *Christo in quantum est caput Ecclesiæ, competit ut ipsa gratia derivetur ad alios, secundum illud Joannis; De plenitudine ejus nos omnes accepimus: sed hoc non fuit aliis communicabile, quia sic Ecclesia esset monstruosa, multa capita habens.* Vim porro ceremoniis incutere ut agant *ex opere operato*, ad potestatis excellentiam pertinet, quam Christus derivavit in neminem mortalium: *Dicendum quod ad hoc inconveniens evitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare.* Sum. Thom. 3. p. q. 64. a. 4.

Non omnibus arridebit, opinor, audax illa Bellarmini sententia, sed nullus est qui calculum album non adjiciat effato Purpurati: *Ceremoniæ non sunt res indifferentes, sed utiles, meritoriæ, & pars quædam cultus Divini.* Hoc addunt: *Cum intramus Basilicas ornatas & mundas, & crucibus ac sacris imaginibus, & aris instructas, & accensis lampadibus, devotionem facillime concipimus: contra autem cum ingredimur Templa hæreticorum, ubi nihil est nisi sedes ad concionandum, & mensa lignea ad cœnam faciendam, videmur ingredi profanam aulam, non domum Dei.* Macte animo Bellarmine, juste & pie accusas non modo hæreticos; sed etiam Apostolos, quibus consentiunt boni illi viri, quibus ignominiam imponis: scilicet, domus Marci ubi conventus suos agitabat Ecclesia Hierosolymitana; Cœnaculum ubi Spiritus Sanctus in Apostolos illapsus est, *aula profana fuit, non sancta Dei domus*; cum nil nisi Purputati oculis, ingratum, dignumque contemptu videretur, *sedes scilicet ad concionandum, & men-*

sa lignea ad cœnam faciendam: nullæ imagines, nullæ cruces, aræ nullæ, nulla Latinæ pietatis nutrimenta cernebantur, incutiendæ Religioni. Illudebat & Bellarminianæ devotionis adminicula Minutius Felix: *Quanta vero de Diis vestris animalia muta naturaliter judicant: mures, hirundines, milvi non sentire eos sciunt, norunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant. Araneæ vero faciem ejus intexunt, & de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos quos facitis protegitis & timetis.* Hæc sunt Religionum ludibria, non pietatis honos.

Min Fel. p. 20.

Utinam, iterumque utinam, sanctissima Christi verba mortalium memoriæ insiderent! *Venit tempus & nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent.* Joan. 4. Quid sit adorare Spiritu & veritate, omnibus obvium est, atque perspicuum. Interrogatio Samaritanæ mulieris, Christique responsio aperte declarant, significari cultum umbris expeditum, atque ceremoniis, quibus Judæorum scatebat Religio. Quid? induetne cultus Spiritualis naturam Latinorum pietas, si e Tabernaculi Mosaïci penetralibus ceciderunt in cultum suum umbræ omnes Judæorum, atque figuræ? Lampades, Thura, Oleum, Sal, Chrisma, nec non Ecclesiastici Ordines. In Sacro Hierosolymitano Concilio hæc sciscunt Apostoli; *Visum est Spiritui Sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis onus, præter hac necessaria, videlicet, ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulachris, & sanguine, & suffocato.* Resistunt igitur & repugnant contra voluntatem Numinis, qui nova ceremoniarum onera Christianorum imponunt humeris. Profecto, si ingens ille ceremoniarum apparatus emolumento fuisset pietati, confidenter dicam, Apostoli defuissent officio suo, cum Religionem tradiderunt ritibus simplicem; nec impertivissent prudentiam suam ad ædificationem Judæorum Ethnicorumque. Placuisset omnibus pompa ceremoniarum atque majestas: esca hac tentassent Judæorum & Græcorum animos, quibus sordebat inops decoris & luminis mundani cultus ille Apostolicus. Viri illi θεόπνευστοι optime præsagiebant futuras hominum querelas: *Cur nullas aras habent, Templa nulla, nulla nota simulachra—unde autem vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Judæorum*

daorum sola & misera gentilitas unum & ipsi Deum, sed palam, sed Templis, aris, victimis, ceremoniisque coluerunt. Quæ Cecilius olim jactabat apud Minucium. p. 8. Nec Idololatriæ metu, ab instituendis ceremoniis temperaverunt Apostoli, cum ritibus Judaicis nulla tum idololatriæ vel tenuis umbra incubaret. Rationem ex rerum natura petitam attulit Lactantius quamobrem cultus Christianorum pompa rituum vacabat: *Non Templa Deo congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore. Vestes igitur, gemmas, & cætera quæ habentur in pretio, si quis putet Deo cara, is plane quid sit Deus nescit, cui putat voluptati esse eas res, quas etiam homo si quis contempserit, jure laudabitur..... Itaque Deo utrumque incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi, Sacrificium, laus, hymnus.*

Captus ceremoniarum amore Baronius, Lectores suos sic affatur: *Quid, non licuit quæ apud gentes superstitioso cultu impie agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre, ut majori Diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur?* Egregiam sane sapientiam! miram novamque artem imponendæ Dæmonibus injuriæ! Interroganti Baronio; *Extincto autem penitus jam diu superstitioso Idolorum cultu, cum omnis simul cessasse videretur occasio offendiculi, cur aliquibus ex illis uti non liceret?* Respondet Octavius: *Sic in auro & argento avaritia consecrata est: sic statuarum inanium consignata forma: sic nata Romana superstitio, quorum ritus si percenseas, ridenda quam multa, multa etiam miseranda sunt. Nudi cruda Hyeme discurrunt, alii incedunt pileati.... Mendicantes vicatim Deos ducunt; quid qui sanguine suo libat, & vulneribus supplicat, non profanus melius esset quam sic religiosus.* Ut non modo ad vitandum scandalum Ethnicorum ceremoniæ in Ecclesiam non sint introducendæ, sed etiam ad honorem Religionis tuendum exterminandæ, quia ritus illi sapientibus debent ludibrium. Pœnitentium flagra, Divorum imagines, processiones Latinorum, omnino ad similitudinem accedunt Ceremoniarum in quibus, Octavio judice, inerant *ridenda quam multa, multa etiam miseranda.* Min. fel. p. 20. Respondet & Purpurato Tertullianus: *Sed quoniam unum aliquod attigimus vacua observationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda est; si quidem sine ullius aut Dominici, aut Aposto-* Tertul. de Orat. c. 12.

 lici

lici præcepti autoritate fiunt. Hujuſmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputantur, affectata, & coacta, & curioſi potius quam rationalis officii; certe eo coercenda, quod gentilibus adæquent. Inſignis locus, quo veluti capaci plenaque pharetra, potentiſſima tela depromuntur. Hinc etenim ritus illi configuntur, qu Apoſtolico aut Dominico loco non orti ſunt. Deinde, ex ſententia Tertulliani, Chriſtiani *gentibus adæquari non debent*; nedum induxerit in animum, Chriſtum ſic *majori cum Diaboli contumelia honorari.* Turpe quidem atque indecorum eſt, gratum Dæmoni cultum cum Deo communicare. Quaſi hic & ille incredibili mod conſpirarent, & in eandem rem probandam propenderent: qua maxima Numinis injuria eſt.

Aug. Januario Ep. 119. Reſpondet etiam Purpurato Auguſtinus: *Quod autem inſtituitu præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare no poſſum; etiam ſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius improbare no audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris ſaluberrim præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſun omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepeliverit.* Nonne Sanctus ille Pater effuſus fuiſſet in lachrymas ad conſpectum Latinorum diſciplinæ? Aqua ill luſtralis, quam vulgus benedictam appellat, pro ſigno habetur rei ſacræ quo uſurpato, non pœnas culparum modo, ſed & culpæ quoqu veniales remittuntur, ut Melchiori Cano fit probabiliſſimum. Qui ſibi volunt publicæ illæ orationes, in conſecranda ejuſmodi aqu ad Deum fuſæ? *Virtutem benedictionis infunde, ut creatura myſterii tuis ſerviens, ad abjiciendos Dæmones, morboſque pellendos, divina gratia ſumat effectum; ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium, hæ unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa.* De ſign crucis quid referam? *Tribus modis operatur in Dæmonibus terrendi 1°. Ex apprehenſione ipſorum Dæmonum. 2°. Ex devotione hominis 3°. Idque potiſſimum ex inſtituto Dei, atque adeo ex opere operat* Bellar. de effic. Sacr. l. 2. c. 31. Hæccine non ſunt quaſi *obſervati Sacramenti*, quod Auguſtinus improbat? Nonne gravius & in Sacerdotem matrimonii fœdera ineuntem, quam alienas uxores ſuba gitantem

gitantem; & in Laïcum Quadragesimæ diebus bubulam gustantem, quam sacrum Dei nomen insultantem vindicant? Id quereretur Augustinus ille, qui *dolebat quod gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepeliverit.*

Denique, interroganti Baronio satisfaciet & Prudentius, infelici Purpurati prudentiæ, auxilia Religionis ex adytis Dæmonum accersenti, cultum Dei λόγικον & spiritualem opponens hoc in aureo carmine:

Cognostis ipsum? Nunc colendi agnoscite Prud Hymn. 10.
Ritum modumque quale sit Templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria;
Quæ vota poscat, quos Sacerdotes velit;
Quod mandet illi Nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit,
Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem.
Illic Sacerdos stat sacrato in limine.
Floresque primas virgo custodit fides
Innexa crines vinculis regalibus.
Poscit litari victimas Christo & Patri.
Quas scit placere, candidatas simplicis
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Oris quietem, castitatem corporis
Dei timorem regulam scientiæ.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem Balsami, thuris, croci.

Profecto, si in *Diaboli contumeliam cedit*, quod Christus iis ritibus colatur, quibus ejus hostis voluit adorari, mirum est prisci ævi Patres, ad talem sapientiam animum non appulisse, qua & lætior floruisset Ecclesia, & prosperis Ethnicis usa fuisset. Atqui Pompa illa ceremoniarum & ornamentorum, qua spectata est & nobilitata Latinorum Religio, trecentis amplius annis Ecclesiæ incognita fuit. Thuris odores adolere tandem solemne fuit: at ante Constantinum Magnum, nullus thuris usus erat in cultu publico Ecclesiæ: audiatur Tertullianus: *Offero opimam & majorem hostiam quam ipse mandavit;* Tert. Apol. c. 30.

orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto pro-fectam. Non grana thuris unius assis, Arabica arboris lachrymas. Arnob. l. 6. *In hac consuestis parte*, (verba sunt Arnobii) *crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicujus simulachrum constituamus, aut formam, aut altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animantium demus, non thura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus. Quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare, vel facere, tanquam impias geramus & sceleratas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in Deos desperatione contemptum: sed quod eos arbitramur & credimus, si modo Di certi sunt, & nominis hujus eminentia præditi, honorum hæc genera aut risui habere, si rideant; aut indigne perpeti, si motibus exasperentu irarum.* Thuris quidem bonis Christiani tum utebantur, sed extra cultum Religionis publicum: *Thura plane non emimus? Si Arabiæ quæruntur, scient Sabæi, pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Tertul. Apol. c. 30.

Festa quod attinet, Anno æræ Dom. ducentesimo non viguiss in Ecclesia, potentissimus testis est Clemens ille Alex. σέβειν δ δεῖν ἐγκελευόμεθα καὶ τιμᾶν τὸν αὐτὸν, καὶ λόγον Σωτῆρα τε αὐτὸν, κα ἡγέμονα εἶναι πεισθέντες, καὶ δι αὐτοῦ τὸν πατέρα οὐκ ἐν ἐξαιρέτοις ἡμέραις ὥσπερ ἄλλοι τινες, ἀλλὰ συνεχῶς τὸν ὅλον βίον τοῦτο πράττοντες καὶ κατὰ πάντα τρόπον — ὅθεν οὔτε ὡρισμένον τόπον, οὐδὲ ἐξαίρετον ἱερον, οὐδὲ μὴν ἑορτάς τινας καὶ ἡμέρας ἀποτεταγμένας, ἀλλὰ τὸν πάντα βίον ὁ γνωστικὸς ἐν παντὶ τόπῳ, κἂν καθ' ἑαυτὸν μόνος ὢν τυγχάνῃ καὶ ὅπου τινὰς ἂν τῶν ὁμοίως πεπιστευκότων ἔχῃ τιμᾷ τὸν θεὸν — πάντα τοίνυν τὸν βίον ἑορτὴν ἄγοντες: *jubemur autem colere & honorare eundem, quem & Verbum esse, & Servatorem, & ducem habemus persuasum; & per ipsum, Patrem, non selectis diebus ut aliqui alii, se continenter per totam vitam hoc agentes, & modis omnibus; unde ne in definito loco, neque in Templo selecto, neque diebus aliquibus festis sed per totam vitam Deum honorat, qui Dei præditus est notitia.... Per totam ergo vitam diem festum agentes* &c. Clem. Strom. l. 7. p. 51

Altarium hodiernorum pervulgatus usus, primis seculis incognitus fuit: ἔστι γοῦν τὸ παρ' ἡμῖν θυσιαστήριον ἐνθαῦτα τὸ ἐπίγειον, ἄθροισμα τῶν ταῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴ

κοιν

κοινὴν, καὶ μίαν γνώμην: *est ergo quod est hic apud nos altare terrestre, congregatio eorum qui sunt dedicati orationibus, qui veluti unam vocem habent communem, & unam mentem.* Clem. Strom. l. 7. p. 515. *Cur nullas aras habent, templa nulla?* Quæ ab Ethnicis non semel, perinde atque a Cecilio objiciebantur Christianis. De crudeli Christianorum vexatione deplorans Athanasius: *In Sacrosanctam mensam, proh! quanta impietas, & facinora commissa: vidisses enim eos aves, & nuces pineas offerre, idola sua laudibus efferre.* Quæ sacrilegia, jubente Philagrio Præfecto, Alexandriæ ab Ethnicis sunt perpetrata. Talibus sane donis altare potius struxissent, quam mensam, si altaria immolandis veris Sacrificiis tum extruxisset Ecclesia.

Imagines quæ in pretio sunt Latinis, Christianorum Proseuchis exulabant: aurea sunt verba Lactantii, quibus tanquam fulminis ictu, simulachra deflagrant: *Etenim hominis imago necessaria tum videtur cum procul abest, supervacua futura cum præsto est: Deus autem cujus Spiritus ac Numen ubique diffusum, abesse numquam potest. Semper utique imago supervacua est —— Dei autem in æternum viventis, vivum & sensibile debet esse simulachrum. Quod si a similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulachra Deo similia judicari, quæ nihil sentiunt, nec moventur.* Ne vero quispiam ad Dei imagines a quibus viri graves abhorrent, id merito pertinere dicat; Lactantii hæc attendere jubeo: *Nec intelligunt homines ineptissimi, quod si sentire simulachra, & moveri possint, ultro adoratura homines fuissent, a quibus sunt expolita —— adorant ergo insensibilia qui sentiunt; irrationalia qui sapiunt; exanima qui vivunt; terrena qui oriuntur e cælo. Juvat ergo velut in sublimi specula constitutum, unde universi exaudire possint, Persianum illud proclamare:*

O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes. Lact. l. 2. c. 2.

Concentibus & vocum & instrumentorum Templa personant Latinorum: atqui Musica tum effeminata illa, & impudicis modis fracta, cum gravis atque virilis, ab Ecclesiis priscorum procul abfuit; testis ille Clemens, qui secundum Romam in florentissima totius Orbis Ecclesia munus exercebat Presbyteri: ἑνὶ δὲ ὀργάνῳ τῷ λόγῳ μόνῳ τῷ εἰρηνικῷ ἡμεῖς κεχρήμεθα, ᾧ γεραίρομεν τὸν θεὸν, οὐκ ἔτι τῷ ψαλτηρίῳ τῷ παλαιῷ, καὶ τῇ σάλπιγγι, καὶ τυμπάνῳ, καὶ αὐλῷ: *uno ergo instrumento verbo solo pacifico nos utimur, quo*

Deum

Deum honoramus, non amplius veteri Psalterio, & tuba, & tympano, & tibia. Clem. Pædag. l. 2. c. 4. Quin etiam annis a Clemente plusquam ducentis, scripsit Theodoretus: *Ita & musica instrumenta passus est esse, non qui illorum concentu, suas ipse aures oblectaret, sed ita paulatim idolorum præstigia surrepturus.* Theodor. de Sacrif. l. 7. Ut concentus illi quibus Templum Hierosolymitanum reboabat ad infantilem Ecclesiæ ætatem cui se Deus accomodabat, sint referendi.

Videntur diurno tempore faces in Templis Latinorum, cum Missa celebratur, *non ad lucem tantum inducendam, sed ad pium Religionis cultum amplificandum, vel ad honorem Numini exhibendum:* Bar. An. 58. n. 70. Id ceremoniæ annis amplius ter centum nescivit Ecclesia. Ab hoc ritu alienam mentem gerebant Patres Elibertani: *Cereos per diem placuit in cæmeteria non incendi.* Quacunque de causa hoc facere prohibuerint, constat rutilante Sole nullum in cæmeteriis accensum fuisse lumen; quod a consuetudine Latinorum quam longissime discrepat. Cæterum, cum in hunc obscurissimum locum inciderimus, age aliqua interpretatione ad conjecturam revocemus Canonem, cui explicando, doctissimi viri operam multam navarunt: *Cereos per diem placuit in coemeteriis non incendi; inquietandi enim non sunt Sanctorum Spiritus. Qui hac non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* Eliber. c. 34. Qua de re sic censet eruditus Cabassutius: *Observa non prohiberi cereos intra Ecclesiam incendi, in quibus neque tempore Concilii Illiberitani, neque subsecutis temporibus corpora fidelium sepeliri permittebantur: sed in solis cæmeteriis. Quia Canon iste non ceremonias divini cultus, sed Necromanticæ impietatis, aut divinationis Dæmoniacæ præstigias interdicit, quibus utebantur multi, qui ex schola Simonis Magi, discipulorumque ipsius, Basilidis, Menandri, Saturnini, vipereorum geniminum prodierunt ---- Visum porro est Illiberitanis Patribus, verbum inquietandi hic usurpari, quia Samuelis effigies similibus præstigiis evocata, eodem usa est verbo: Quare inquietasti me ut suscitarer?* Solerti quidem invento verisimilitudinem affert verbum *inquietandi*, quod a Samuelis umbra præstigiis evocata adhibitum est: at expensis diligenter & ponderatis verbis Canonis, calculum album Cabassutianæ explicationi non possum adjicere. Nec enim eo insaniæ delapsi erant Christiani, ut accensis facibus, Sacra magica *de die* in cœmeteriis, atque palam

Cabass. Notit. Eccles. p. 75.

in

in ore atque oculis omnium perpetrarent. Magia ſane amat ſilentia noctis. Ovid. Metamor. l. 7.

> *Nox ait arcanis fidiſſima quaque diurnis,*
> *Aurea cum Luna ſuccedditis ignibus aſtra,*
> *Tuque triplex Hecate, quæ cœptis conſcia noſtris,*
> *Adjutrix venis, cantuſque arteſque magorum.*

Itaque nox & ſilentium myſteriis magicis apta ſunt, atque connexa. Incredibile ſane eſt, Simonianos, infamia apud Chriſtianos laborantes, cœmeteria publica omnium oculis ſubjecta, facinoribus ſuis perpetrandis elegiſſe. Inſuper, ſi Illiberitanis Patribus inſidebat animo Simonianas artes præſtigiasque proſcribere, non minus de *nocte*, quam *de die*, *cereos incendi* vetaſſent, ut ab Eccleſiæ penatibus, ſceleratos omnes ritus & diurnos, & nocturnos exterminarent. Denique, Patres ea oppleverat opinio, Sanctorum ſpiritus, accenſis hiſce funalibus *inquietari.* Atqui in animum ſibi non induxerunt, Simonianorum præſtigiis, Beatorum, Sanctorumque Spiritus commoveri, aut beata ſede evocari. Jactabat ſe quidem Medea de ſua in animas poteſtate:

> *Et mugire ſolum, maneſque exire ſepulchris.*

At Epiſcopi quos inter eminebat Oſius, tam abſurda opinione non laborabant, ut Sanctos Spiritus triſti magorum ſervitio ſubjicerent. Vim firmat argumentorum, quod miſer ille Saul, noctu ad ſagam acceſſerat: העלי *aſcendere fac*, evoca *mihi eum quem dixero*; quod & intempeſta nocte factum. Aſcendit umbra Samuelis *ex terra*, cujus in medullis Sanctorum Spirituum ſedes non collocatur. Sic apud Plutarchum Theanor talia voce refert: *Cum eſſem ab incolis recta ad ſepulchrum Lyſidis deductus*, ἑσπέρας ἤδη χοὰς ἐχεόμην. ἀνακαλούμενος τὴν Λύσιδος ψυχὴν κατελθεῖν ἀποθεσπίζουσαν ὡς χρὴ ταῦτα πράσσειν, προϊούσης δὲ τῆς νυκτὸς εἶδον μὲν οὐδὲν: *libavi jam veſpere facto, Lyſidis animam evocans, quæ quid quove modo agendum eſſet, vaticinaretur, adoleſcente nocte, nil vidi.* Plutarch. de gen. ſocr. p. 585. Itaque nulla adhiberi poteſt machina, ad probandum quod Eliberitana Synodus Sacra magica prohibuerit.

Placuit nonnullis Clariſſimi Franciſci mendozæ Garcias explicatio: *Prohiberi ne interdiu cerei in cœmeteriis a piis fidelibus incenderentur, ne lucentibus tot luminibus, Gentes de martyrum ſepulchris redde-*

rentur certiores, indeque Sanctorum corpora abducerent, & Clericorum Spiritus majori custodia periculo, & solicitudine urgerentur. Ingenio admodum *enodatio*, inquit vir doctus: an etiam solida? Certe phrasis hæc, *Spiritus Sanctorum*, ad significandos Clericos admodum dura est, atque insolens. De Clericis frequens in hac Synodo mentio injecta est, præcipue C. 19. 20. sed proprio germanoque nomine designantur. Itaque sanxissent Patres: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi, inquietandi enim non sunt Clerici.* Præterea, nec verisimile est furorem Ethnicorum eo processisse, ut in Martyrum corpora jam sepulta, atque pene resoluta, violatis sepulchris involarent, cum erga silentum tumulos, religio quædam vel Ethnicos incesseret. Juliani quidem temporibus, veluti relaxatis frenis, effervescens in omnem sævitiam feritas Pagana, Baptistæ sepulchrum invaserat, ac ossa dispersserat: sed id raro accidit. Denique, frustra & insipienter ita præcautum, atque ita provisum esset a Synodo, *ne lucentibus tot luminibus Gentes de Martyrum sepulchris redderentur certiores*: cum ex conventibus Christianorum ad Martyrum tumulos agitatis, satis superque sepulchra sua dignoscerentur, absque cereorum auxilio. Ingens illa hominum multitudo ad Sacras exuvias confluentium, recitatæ ibi homiliæ, cantati Psalmi, fusæ preces, Eucharistia celebrata, judicium sepultorum ibi Martyrum tam patens fuit ut accensum *de die* lumen, ad loca in quibus sacra corpora requiescebant, deprehendenda nil conferret.

Ex Clemente Alex. obscura Canonis luce quadam respergere tentabimus, ut non nihil albescant. *Existimant nil referre, an hæc animas Deos, an Angelos dicamus. Jam vero qui sunt eorum doctrinæ periti, in multis Templis, tanquam Deorum statuas omnes fere mortuorum loculos posuere.* Δαίμονας μὲν τὰς τούτων ψυχὰς καλοῦντες θρησκεύεσθαι δὲ πρὸς ἀνθρώπων διδάσκοντες, ὡς ἂν ἐξουσίαν λαβούσας διὰ καθαρότητα τοῦ βίου τῇ θείᾳ προνοίᾳ εἰς τὴν ἀνθρώπων λειτουργίαν τὸν περίγειον περιπολεῖν τόπον: *Dæmones quidem vocantes eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, ut quæ divina providentia propter vitæ puritatem, potestatem acceperint, ut ad hominum ministerium, locum qui est circa terram obirent.* Eo sane delapsus est eximius Theologus Nazianzenus, ut fratris sui Cæsarii spiritum coram oculis sibi adduci putaverit: Τότε Καισάριον αὐτὸν ὄψομαι — ὑψηλὸν οἷς

(Clem. Alex. Strom. l. 6.)

μ

μοι κατὰ ὄναρ ὤφθης πολλάκις ὦ φίλτατε ἀδελφῶν μοι, καὶ φιλαδελφότατε, εἴτε τοῦ βούλεσθαι τοῦτο ἀναπλάττοντος, εἴτε τῆς ἀληθείας: *tunc Cæsarium videbo ---- excelsum, qualis sæpe mihi in somnis visus es, o Fratrum charissime, sive voluntate mea, sive ipsa veritate hoc informante.* Naz. Orat. 10. p. 174. De Basilio vero sic scribit: ᾧ καὶ νῦν ἐπὶ νουθετοῦμαι, καὶ σωφρονίζομαι διὰ νυκτερινῶν ὄψεων εἴ ποτε τοῦ δέοντος ἔξω πέσοιμι: *a quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor, & castigor, si quando ab officio recessero.* Orat. 20. 372. Otia somni accepienti Theodosio Magno, visi sunt adesse duo viri candido vestitu amicti, equis vecti albis; Imperatorem bono esse animo jubent; nam se auxiliares ad eum missos: alterum esse Joannem Evangelistam, alterum Philippum Apostolum. Theodor. Hist. l. 5. Huic opinioni de Sanctorum animis ad hominum ministerium terram frequentantibus, Eliberitanam Synodum favisse, verosimillimum; cum quarto seculo (quo rudi celebrata est) palam & aperte regnaverit: quo admisso in laudato Canone, nil est obscuri.

Cereis accensis Sanctorum Spiritus *inquietari* Concilium existimavit, quia ejusmodi ritus jam ad superstitionem accesserat, injecta Sanctorum Spirituum veneratione animas corpore solutas, quas circa homines, tumulosque oberrare imaginabantur, conturbari accensis ad earum venerationem cereis, nil miri. Nonne Apostoli Paulus & Barnabas ad insaniam Lycaonensium adducentium tauros vittatos, ut ipsis quasi Jovi ac Mercurio sacrificarent, diruptis palliis suis, insilierunt in turbam? An pergratum Angelo faciebat Joannes ad genua procumbens; nonne Sanctus ille Spiritus *inquietabatur:* cum maximum exclamaret, *cave facias?* Vigilantium non delectabant cerei illi quibus Martyres honorabantur: *Magnum præbent hujusmodi homines Beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari.* Imo nec ipsi Hieronymo, licet voce magna in Vigilantium tonanti, admodum placuere. *Quod si,* inquit, *aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe Religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere, confiteor Dei zelum habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Profecto honor qui & ab imperitia, & ab imprudenti zelo ortum habet, nullis laudibus est afficiendus, sed coercendus est, & reprimendus.

 Ex

Ex his omnibus colligimus, veterem Ecclesiam simplicis cultu amantem, Luminarium diurnorum, musicæ, imaginum, altarium, festorum, thuris prorsus insolentem, a Baroniana sententia quam longissime abfuisse. Quasi vero e Dæmonum ritibus, in Ecclesiam ceremonias derivare honestum arbitrarentur illi, qui a musica Mosaica, thure, luminibusque abstinendum esse censuerunt, licet omnia hæc absque ulla idololatriæ ignominia usurpare possent. Beatis hisce seculis inerat adhuc scintilla Spiritus Apostolici, atque particula: placebat Christianis prisca avorum simplicitas; nec immerito cum eo magis ad cælestium similitudinem accedat Ecclesia, quæ ceremoniarum immunis est. Nec sapientia Christi figuras umbrasque Mosaicas, licet volente Deo institutas, abrogavit, ut partim restituerentur, partim vero ab Ethnicis aliæ desumerentur. Lene quidem consilium de Anglorum gente, Augustino dederat Gregorius Papa sed immaturum: quod abjecerant Apostoli, nec non Tertulliani Clementes, Minucii, Arnobii, Lactantii, qui vi veritatis atque efficacia, non autem artibus aulicis, aut inconsulta συγκαταβάσει Ethnicos in cognitionem Religionis adduci voluere. *Idolorum fan* (verba sunt Gregorii) *in Anglorum gente destitui minime debent: se ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Nam si fana eadem bene constructa sunt, a cultu Dæmonum in obsequium veri Dei commutari debent ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum agnoscens & adorans, ad loca quæ consuevit familiarius concurrat.* Huc usque non male, sequentia vero non probamus; *& quia boves in sacrificio & festo Dæmonum multos occidere solent, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari;* *die Dedicationis, vel Natalitio Sanctorum omnium, Tabernacula si circa Ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facian & religiosis conviviis solemnitatem celebrent; nec Diabolo jam animal immolent, sed ad laudem Dei in esu suo occidant.* Solemnitas immutari non debuit, sed funditus abrogari: hac quippe infelici prudentia, lux Religionis in tenebras conversa est.

Probandæ opinioni suæ Baronius Gregorii Nisseni, Theodoretique autoritatem adhibuit. *Pro Pandiis & Diasiis, & Dionysiis, hoc est Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque Sanctis Martyribus solemnitat*

tates populari epulo peraguntur. Quæ leguntur apud Theodoretum, De Curand. Græc. affect. l. 8. Atqui Baroni, hæccine jure concessa sint, quæstionis est? Aliam coluisse disciplinam qui Constantinum antecessere, scimus & tenemus. Quin etiam solemnitates has epulares diserte ab Augustino novimus improbatas. *Itaque cum ad memorias Sanctorum sicut in Africa solebat, pultes & merum attulisset Monica; atque ab Ostiario prohiberetur; ubi hoc Episcopum vetuisse novit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer ---- Itaque ubi comperit a præclaro prædicatore, atque Antistite pietatis præceptum esse ista non fieri, nec ab eis qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis; & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissime, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad martyrum memorias offerre didicerat.* A Gregoriana concessione procul hæc sunt remota: quæ si observasset bonus ille Præsul, epulari, ac stenas struere in Sanctorum Natalibus, indubitate Anglis non permisisset; quia & occasio dabatur ebriosis ingurgitandi se, & cum parentalibus Ethnicorum illa conspirabant. Sed nec Theodoreto consentit Augustinus, cujus hic autoritas potior est: Ille, *pro turpi*, inquit, *obscenitate ac impudentia, fiunt modestæ, castæ, ac temperantiæ plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ.* Theod. l. 8. Augustinus vero: *Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non Sacra vel Sacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt quas cum apposuerint, orant, & auferunt ut vescantur: vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum.* August. de Civit. l. 8. c. 27.

Hæc Augustini etiam atque etiam sunt observanda, *illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima*; quæ Ambrosio causa fuit abrogandi populares epulas ad memorias Martyrum. Quibus luce clarius est, ab opinione Latinorum alienum fuisse Mediolanensem Præsulem, nec illi pergratum ritus Ethnicos derivari in

Christi Religionem. Hunc & errorem doctissimus Vives palam con questus est: *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod Di vos Divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod Gen tiles putabant de suis Diis.* Viv. Annot. in l. 8. c. 27. de Civi Addam ex abundanti doctissimi Cassandri testimonium: *Non diss teor postremis hisce temporibus, una cum ignorantia, avaritia, & am bitione, superstitiosos quoque nonnullos cultus & ritus, in Ecclesiam i repsisse, ita ut vitium ipsis rebus inhareat, ipsorumque observatio fid integritati officiat. Hos ut publice per eos quorum in Ecclesia summa p testas est tollendos, ita privatim cuique vitium agnoscenti cavendos n minem inficiaturum puto.* Felix Ecclesia, si rigidæ priscorum Disc plinæ adhærens, Ethnicorum ritus nunquam adoptasset sibi!

Cassan. de Offic. viri pii, p. 785.

Misso nunc Baronio, cum viris doctissimis Marshamo, Spencero que manus conferam. Movere mihi admirationem Spenceria hæc: *Huic veritati Baronius testimonium perhibet: In multis Gentiu institutis contigit ut superstitionis eorum usus Sacris ritibus expiatus Sacrosanctus redditus in Dei Ecclesiam laudabiliter introductus sit.* Deu immortalem! hoccine humanum factum atque inceptum, auto tate Baronii uti, antiquæ Evangelicorum sententiæ profligand: Hem! purioris Religionis alumnum fateri atque profiteri, supe titiones Ethnicorum expiatas, laudabiliter in Ecclesiam introdu tas fuisse! Cum itaque quæstio hæc implicita cum Baroniana se tentia sit, atque cohærens; operæ prætium est fundamenta Spe ceriana diligenter examinare; flagitat hoc & fama Autoris, & n teriæ dignitas. Si Deus ipse Ethnicorum ritus atque instituta de vavit in Ecclesiam, utique magnum exemplum præbuisse vide ad imitandum; nec succensere jure possumus præposteræ prud tiæ hominum, qui sibi idololatrarum consuetudines ascivere, il trandæ Religioni: contra vero si Deus Paganorum instituta n quam adoptavit sibi, dirigere ad hanc normam facta sua Præsi debuere.

Æstimanti res ex veritate, rituum Ethnicorum ad Ecclesiam rivatio Deum autorem habere non potuit, prohibente ejus sap tia. *Recens egressi ex Ægypto Hebræi, gens fuit idolis addictissima,* t

cum Spencero, tum experientiâ. An igitur ex re consuluisset fons ille sapientiæ inexhaustus, si ex intimis idololatriæ visceribus, petivisset instituta tradenda populo suo? Profecto, hac agendi ratione allexisset & excitasset studia Hebræorum, ad renovandam pristinam superstitionem: sed & odium in idololatriam, quod incendi maxime debuit, sic mitigatum fuisset, ex earumdem ceremoniarum commercio. Præterea, Dei disciplinam Mosaïcam instituenti id consilii fuit, ut Hebræi a cæteris terrarum Orbis gentibus, atque populis, magno intervallo distinguerentur; quocirca cultus ceremonialis Mosis, τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, *intergerini parietis septum*, *inimicitiaque* nomen a Paulo habuit; Ephes. 2. 14. Hinc nefas Judæo fuit, *propius adjungere se, aut accedere ad alienigenam*. Act. 10. An ad propositum sibi finem pervenisset Deus, desumptis ex gentili disciplina ceremoniis, ad constituendam Hebræorum Religionem? cum nihil æque jungat animos & consuetudines, quam similis cultus, ex eodem fonte manantis professio. Itaque Tacitus, consilio Mosaïco actus optime cohærentes, ascribit. *Moses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta — Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Judæi mente sola, unumque Numen intelligunt profanos qui Deûm imagines, mortalibus materiis, & in species hominum effingant*. Tacit. Hist. l. 5.

Profecto sapientiæ Dei minus convenire videtur, ut a Dæmonibus mutuetur sanctissimæ Religionis instituta, quasi laboraret penuria consilii, nec satis illi ingenii esset, ad ritus sibi proprios inveniendos: diabolum Dei hic egisse simiam longe verisimilius; quod visum Tertulliano: *Sed quæritur a quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreses faciant? A Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem: ipsas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulatur: tinguit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos*. Tert. de Præsc. c. 40. Id consilii subdolæ Dæmonum indoli consentaneum est, quo mysteriis suis concilient aliquanto plus venerationis. Ultima antiquitas non infirmum est veritatis criterium; recte siquidem dictum est a Tertulliano; *Id esse verum, quodcunque primum, id esse adulterum, quodcunque posterius*. Idcirco Christus Tert. in Præsc. c. 2.

ipse ex antiquitate petit argumenta, coarguendo errori, ac fir
mandæ veritati: *Non erat sic ab initio.* Nec mirum, cum error n
aliud rei sit, quam corruptio veritatis. Jam vero si ad Hebræc
derivati sunt ritus Ethnici, cultus ipse Dei, a superstitionibus Dæ
monum antiquitate superatur; quo & honos ipsis conciliabatur, no
sine Sanctissimæ Religionis contemptu, ac detrimento; quipp
quæ novitatis insimulare: sic enim Dei cultores insultassent idolol:
træ; Vos, ô boni, instituta nostra proscinditis, veluti nefanda atq
a pietate abhorrentia: atqui vobis ritus fœneravimus, qui vest
disciplinæ ornamento sunt, atque decori. Si Sacra nostra damna
da sunt, atque prophana; cur Deus ille vester hæc adoptav
sibi?

Cananæorum instituta odio fuisse Numini, testis est Moses: it
que Lege & officio præscriptum est, supellectilia suæ Religionis eve
tere funditus. *Hæc facietis eis, aras eorum subvertite, & confringit statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite: quia populus Sanct es Domino.* Deut. 7. Quantum mutatus ab illo Legislatore, qui n
per Ethnicis ritibus adeo indulgebat, ut eos in cultus sui part
asciсceret; nunc ferro flammisque monumenta omnia superstitio
abolet. Nuper idololatrarum instituta, utcunque expiata, sua fac
bat; nunc vel innocuis Naturæ ipsius operibus, quæ in comm
dum cedebant atque ornatum, altam securim impingit. Quanto
tius erat novo sacroque usu nemora induere, quam Ægyptior
ritus nonnihil castigatos, in Religionem Hebræorum induce
Quis finget sibi hoc cogitatione, Deum qui ne arboribus quid
pepercit, quod idololatriæ nonnunquam inservierant; multas tan
ceremonias superstitionis labe aspersas, ac a Dæmonibus ort
voluisse & curasse, propriis illis ut potiretur? Quærerem lube
quo fine atque consilio, Deus ad securim ignesque damnav
lucos Cananæorum? Nulla sane melior ratio atque congruen
objicitur menti, quam hæc, quæ subito ad animum appellit: c
nem idololatriæ fomitem extinctum, horrorem superstitionum E
nicarum Deus inductum voluit. Simili porro de causa, cere
nias Ægyptiacas, in censum bonorum suorum transferre prohib
est. Peccavit impurus ille Achas in extruendo altare ad instar A
Damascenæ fabricatum. Qua in re nil errasse censendus esset, c

Dei Mosisque exempla imitaretur; imo facto huic Regio aliquid sapientiæ inerat, si creditur adversariis: sic enim & paci Regni, & Religionis gloriæ consulebatur, & faciliores Ethnici ad Hebræorum disciplinam deducebantur.

Fateor, quæ mea est ingenii tarditas, Spencerum cum Spencero consiliare nequeo. *In Sacro codice nempe sæpe cautum est, ne Israelitæ ad Ægypti semitas deflecterent, ne in Ægyptum descenderent, aut iis quidquam commercii cum Ægyptiis intercederet: inde vero facile colligendum est, nihil Ægypti moribus & institutis corruptius, & a vera sapientia remotius fuisse, vel seculis illis antiquissimis.* Spen. l. 2. c. 4. An ergo rationi consentaneum, ex impuro illo fonte Deum in cultum suum ritus bene multos transtulisse? Siccine sapientissimus Legislator Hebræorum & Ægyptiorum prohibuit commercia? Quid enim sunt ritus illi derivati ab Ægyptiis ad Hebræos, nisi vincula amoris, atque concordiæ, cum simile simili gaudeat? Quanto sapientior furens illa Dido:

Tum vos o Tyrii, stirpem & genus omne futurum,
Exercete odiis, cinerique hac mittite nostro
Munera, nullus amor populis, nec fœdera sunto:
Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor.

Eruditionem Spencerianam suscipiunt omnes, & ego quoque miror, verum pace cinerum dixerim, agitavit magis cum animo, omnem scientiæ suæ penum ad nos congerere, quam probationes legitimas attendere, aut firma fundamenta collocare. Usus est autore Gregorio Magno, Anglis concedente, *ut Tabernacula circa Ecclesias de ramis arborum facerent, & religiosis conviviis solemnitatem celebrarent.* Potuitne vir doctissimus ignorare, displicuisse Augustino, qui Gregorio & antiquior, & sapientior fuit, ritus ejusmodi, quod *illa quasi parentalia, superstitioni Gentilium essent simillima*: ut adversus Baronium perspicue demonstravimus. Insuper, idem ille Spencerus, Magnum Casaubonum testem suppeditavit: *Baronio*, inquit, *hac in re cum adversario suo convenit.* Hem! convenit cum adversario? Atqui non convenit si totus exscribatur: *An hoc consilium*, (verba sunt Casauboni) *pro tempore utile, in damnum veritatis postea verterit, non hic disputo. Fuerunt sane jam inde a principio Ecclesia,* Casaub. Exerc. 16. p. 481.

clesia, *viri magni qui ritus Paganicos in Ecclesiam invehi quererentur & invectos eo ipso nomine respuerent*, *quia apud idola celebrarentur.* Confidenter dicam, in illo annorum spatio, quod ab Apostoli ad Constantinum usque protenditur, nemo Patrum Ethnicos ritu in Ecclesiam introduci probavit, ut fuse satis in Baronium ostendimus.

In argumentis porro colligendis adeo negligens est, ut legentibus moveat admirationem, ne risum dicam. Exemplo sit lepida

Spencer. l. 3. Dissert. 1. S. 2. 16.

hæc conjectura: *Ille rituum consensus in causa forsan erat, quod Judæi olim Ægyptii, prout Christiani postea Judæi, non raro dicerentur. Nam Sanctus Paulus apud Lucam, pro Judæo Ægyptius appellatur.* Mirum sane conjiciendi genus! sic invicem tituli Librorum *de bello Judaico*, substitui poterat *de bello Ægyptiaco*: sic apud Tacitum, *Judæi mente sola, unumque numen intelligunt*, in locum verbi *Judæi*, scribatur *Ægyptii* fundetur quidem sensus jocularis. Quidni sic scribi potuit, cum erudito viro creditur, ex rituum consensu *Judæi olim Ægyptii non raro dicerentur.* Siccine Sacra Scriptura tractanda est, ut vel obtorto collo commentis nostris inserviat? Ægyptius erat ille sicarius de quo mentionem injiecit Claudius Lysias; cui cum Paulus ignotus esset, quid miri si Apostolum Judæum, cum Ægyptio sicario permiscuerit? Audiatur Josephus: *Eodem tempore, quidam ex Ægypto*

Joseph. Ant. l. 20. c. 6.

venit Hierosolyma vatem se esse profitens: & plebi suadens, ut secum se in montem Oliveti ascenderet, qui e regione urbis ad quintum abest stadium. Illic enim visuros suo jussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in civitatem pateat. Itaque cum Paulus criminum multorum a Judæis postularetur, Lysias in hanc cogitationem incidit, quod ab Ægyptio non esset diversus. Quia etiam Judæi complures Patria erant Ægyptii, non Religione; talem vero Ægyptium animo sibi repræsentasse Lysiam, non dubitandum, cum Ægyptius idololatra, in Judæa seditionem inducere de Religione nec curasset, nec potuisset. Multi id genus argumenta in libro Spenceriano colligi possunt.

Nunc ad fontes erroris Spenceriani digitum intendam. Constituendæ opinionis suæ fundamentum, in consensu rituum jactum est. *Unde factum est*, inquit, *quod Ægyptii & Hebræi, cætera divisi in*

xime regionibus, linguis, studiis, legibus, cultus objectis, toto cœlo ab invicem separati, rituum tam similium usu conspirarent? Re mecum pertractata, hoc tantum ad nodum tam perplexum explicandum dicendum arbitror: Israelitæ, per multas annorum vices, facillimo & conjunctissime vixere cum Ægyptiis, & e longo usu mores Ægypti studio & affectu pertinaci persecuti sunt; Deus itaque ritus Ægypti plurimos, splendore præsertim aliquo plebem fascinantes, Israelitis concessit & conservavit; ne populus ille moris antiqui tenax, Sacris novis aut rudibus offensus, a legis institutis ad Ægypti superstitionem resiliret. Quod fundamentum si convellero, utique de hac nova sententia conclamatum est.

Confutandæ huic opinioni, duo diligenter sunt observanda. Ac primum ceremoniæ ipsæ accurate discerni debent: nonnulla quippe sunt Instituta, quæ ex illimi fonte rationis prorumpunt, veluti signa quædam ab ipsa Natura posita; quocirca conspiratione omnium gentium, atque consensu recipiuntur, quia in ipsis ceremoniis ratio inest quamobrem admittantur; quod erudite ab ipso Bellarmino scripto proditum fuit: *Quædam sunt ab ipsa Natura quodammodo instituta ceremonia, quæ Naturales dici possunt; quale est respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus: ista enim Natura ipsa docet, unde etiam communes sunt etiam Gentilibus, & quibuscunque Sectis.* Bell. de Effic. Sacr. l. 2. c. 29. Quæ quidem ceremoniæ verba sunt visibilia, quibus mentis affectus indicantur. Sic jejunia, vestes sordidæ, signa sunt gravissimi doloris, quo mens attingitur. Cæterum, ritus illi *Naturales*, ut vocem Bellarminianam usurpem, quique eorum similitudinem arripiunt, ex Ethnicis derivari non debent: fons alius patet, ex quo vel Ægyptii Instituta ejusmodi hauserunt: ipsa nempe Natura, sive lumen rationis, quod cum ab ipso Deo fuerit accensum, ex suis sane Thesauris, non ex gentium institutis, ritus Mosaicos suppeditavit Religioni. Atque hoc ex principio deducendæ sunt ceremoniæ complures, quæ Hebræis communes fuere cum Ægyptiis ac in observatione ponebantur qua aptæ atque cohærentes erant rationi, in illa infantili disciplina ad quam Israelitæ erudiebantur, non qua ab Ægyptiis celebratæ.

Est & insuper etiam atque etiam observandum, Noachi ævo plurimas viguisse ceremonias, quas veluti futurorum bonorum umbras,

bras, Deus ipse instituerat. *Et ædificavit Noe altare, & accepit* *omnibus pecoribus mundis, & de omnibus volatilibus mundis, & obtu* *lit holocaustum super altare.* Ecce jam aræ, holocausta, discrime munda animalia inter, & immunda, abstinentia sanguinis. Ratio nem forte si quæras cur hoc Sacrificium perpetraverit Noe: re pondet Chrysostomus: *In hoc nostræ infirmitatis habetur ratio: qu* *enim homines paulatim a vero Dei cultu defecturi erant, & propri* *Deos effecturi, quibus Sacrificia immolarent, prius voluit ut sibi dor* *offerrentur, quo vel sic a proposito depelleret pernicioso errore illiciendo* Chrys. in Gen. Hom. 26. Exemplo paterno monitos Noachi liber obtulisse & Sacrificia, poni non potest in dubio. Ab hoc itaque prin cipio manavit ubique terrarum Sacrificiorum ritus: nec mihi Cle mentis Alex. sententia probatur: *σαρκοφαγιῶν δ' οἶμαι προφάσει* *θυσίαι τοῖς ἀνθρώποις ἐπινενόηνται*: *ejus autem carnium, ut arbitror, præ* *textu, excogitata sunt hominibus Sacrificia.* In holocausto nulla *κρεο* *φαγία*, & extra Sacrificia usum fas erat carnibus vesci. At scit additum ab eodem Clemente: *αἱ μὲν γὰρ κατὰ τὸν νόμον θυσίαι τ* *περὶ ἡμᾶς εὐσέβειαν ἀλληγοροῦσιν*: *quæ enim ex lege fiunt Sacrificia, a* *legorice nostram significant religionem.* Noachi pietatis hæres Abraha mus, paterna Religione ceremoniisque Sacra confecerat. Atqu quoad Josephus vixerat hac casti manserant in disciplina nepote Abrahami, Ægyptum incolentes; donec rerum vicibus mutati gens Hebræorum triste servitutis passa jugum, paternæ disciplin immemor, Dominorum superstitionibus sese accomodavit. Itaqu divino afflatu ac numine, priscæ Religionis rudera rediviva op Mosis excitantur: Paucis antiquæ religioni additis, explication atque determinationis loco; At ipsum religionis corpus idem omni no erat: eadem Sacrificia, animalia eadem, *σχέσις* eadem ad Chris Sacrificium, eædem ablutiones; aræ extructæ in illis locis ubi sign non obscura præsentiæ suæ Deus ostenderat. Profecto ab Ægyptii Sacrificandi notitia Abrahamus instrui non potuit, cum plures ara ante ædificasse legatur, quam in Ægyptum contenderet: Gen. 12 4. 5. ex antiquissima hac, atque paterna Patriarcharum disciplina Deus ritus Mosaïcos derivavit ad Hebræos, non ex Ægyptiorun Institutis. Consensus vero ille magnus Judæos inter & Ægyptios quem eruditissimi Marshamus, Spencerus, aliique nonnulli urgent

Clem. Strom. l. 7.

probanda

probandæ ſuæ ſententiæ, argumentum eſt derivatæ a Noacho Traditionis cujus veſtigia non omnino delevit inoleſcens lapſu temporis idololatria. Quis neget miſtraijm Noachi nepotem multum antiqui ritus in Ægyptum invexiſſe? Atque vel uno hoc exemplo, diſcendum quam male rerum ſuarum adverſarii ſatagant. Spenceri theſis eſt, *gentium morem & ruditatem, Sacrificiis Moſaïcis cauſam præbuiße.* Quidni potius in Religioni Patriarcharum, quibus Hebræi orti erant, incunabula reperiuntur Sacrificiorum? Qua de cauſa de Barbarorum idololatrarumque ritibus exemplum alienum cepiſſet Deus, cum domeſticum haberet, & Sanctum, in Abrahamo, & Jacobo, quibus ſati erant Hebræi? Nonne Moſaïcæ oblationis ad ſimilitudinem Sacrificiorum Abelis & Noachi magis accedebant, quam Ægyptiorum? Si Deus Hebræis Sacrificia conceſſit Ægyptiorum ad morem, præſcribere etiam debuit nihil niſi maſcula animalia immolare, quod ab Ægyptiis maxime obſervatum eſt. Τοὺς μὲν νῦν καθαροὺς ἔρσενας τῶν βοῶν, καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι, τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν: Herod. l. a. c. 41: *boves mundos, eoſque mares ac vitulos univerſi Ægyptii immolant, fœminas vero immolare ipſis non licet.* At Hebræi etiam fœminas admittebant in Sacrificiis pacificis: Levit. 3. 1. *Quod ſi Sacrificium Eucharisticum oblatio ejus erit, cum ex bobus offert ſive marem, ſive fœminam integram, offerto eam] coram Jehova.*

Ut porro jacta jam fundamenta firmiora ſint, apertius oſtendendum eſt, omnes pene Hebræorum ceremonias, priſcam fuiſſe Patriarcharum diſciplinam, à Moſe renovatam, inductis ſolum novis quibuſdam circumſtantiis, quibus rei ipſius natura non immutabatur. Non omnes quidem ceremonias in Geneſeos libro diſerte legi, nil miri; cum ſtilo contractiori ſcriptus ſit, ut duo annorum millia & in tanto temporis intervallo res geſtas memoria complectatur. Apparent nihilominus prima jam, præcipuaque cultus Moſaïci Elementa, unde de cæteris fieri judicium facillime poteſt. Uſum Sacrificiorum peccato mortalium pene coævum eſſe, par fratrum Deo immolantium, ſatis ſuperque docet. *Et fuit* מקץ ימים *in fide dierum* ויבא *& adduxit Cain de fructu terræ munus Jehovæ, & ipſe quoque Abel* הביא *adduxit de primogenitis gregis ſui, & de adipe eorum: reſpexitque Jehova ad Abelem & ad munus ejus, ad Cainum*

& ad munus ejus non respexit. Gen. 4. Ex hoc insigni loco, ap ret instituta jam fuisse Sacrificia publica, certis & locis, & dic offerenda. Nec de Sacrificiis domesticis & privatis, usurpata fi set vox הב'א, qua stilo Mosaico, adductæ ad portam Taber culi victimæ, a Sacerdotibus immolandæ, significantur. Sic Le 44. יהב'א את הפר *& adducet juvencum ad ostium Tabernacu* quæ vox passim & ubique legitur, præcipue Lev. 9. Sed & pul cum locum innuit favor Dei quo Abel imbutus est, conspicit te Caino, cujus munus spretum fuit. מקץ ימים viris præstanti mis Tremellio, Junio, aliis, *post dies multos* significat; cui proba dæ explicationi, Marci phrasin adhibuere, *δι ἡμερῶν* Mar. 2. Sed Mosis intellectum, versio hæc non assequitur. קץ ימים reddi debuit *anno vertente*, argumentoque est vox קץ quæ *fin* significat: proindeque juncta cum ימים, non magis proprie ve potuit, quam *anni exitu.* קץ ימים, & תקפות הימים, unum idem esse, nemo non videt. Atqui annum revolutus, ultima ha phrasi designatur, 1 Sam. 1. v. 20. Quin etiam ימים simplicite non semel *annum* significat ימים תהיה גאלתו de verbo ad ve bum, *diebus erit redemptio.* Levit. 25. 29. Jam vero annum esse i telligendum, ex versu sequente ostenditur עד מלאה לו שנה *du completur annus integer.* Itaque קץ, & ימים simul juncta, ne possunt alium intellectum fundere; quæ observatio non est nihi

Clarissimus Marshamus, eruditione non magis quam Natalib illustris, Ægyptiis Festorum atque Sacrificiorum originem ascribi *Ægyptii qui primi πανηγυρίας Diis instituerunt, Sacrificiaque curarun & Assyriis, Græcisque ritus Sacros commonstrarunt, etiam primi fu qui dies ἑορτασίμας celebrarunt.* Marsham. Secul. 9. 186. Hæc a vero lo gissime abhorrere, aperte ostendit locus ille Mosis quem tractamu nisi forsan Caino & Abele, Ægyptio antiquiores esse fingamus. teneris mundi unguiculis agitata jam fuisse Festa, indicio sunt pu blica fratrum Sacrificia, vertente anno oblata, gemente tonsis arc frugibus, par erat grates dignos Deo referri a colonis, quod dein ceps Hebræis in usu fuit: *Festum collectionis in exitu cujusque an observato.* Ex. 23. 16. & 34. 20. Sabbatam diu ante Mosem agitatun fuisse, nobis est verosimillimum, cum nulla astringamur necessi tate πρόληψιν admittere in verbis Geneseωs, *Diei 7°. Deus benedixi illumqu*

illamque sanctificavit. Non rerum natura, non ratione id anticipationis agnoscere cogimur, imo rationi maxime consentaneum videtur, a mundi incunabulis Sabbatum custoditum fuisse, & observatum. Quid enim est Sabbatum nisi aperta mundi conditi professio, cui fides, pietas, Dei amor innititur. Itaque solemni hujusce diei institutione, impietati mortalium ortum mundi negantium, mature intercessum est. Præterea, Deum non solo cultu domestico & privato, sed & publico coli, longe est æquissimum: idcirco concordia & conspiratione mortalium omnium, cœtus solemnes agitantur ad venerandum Numen. Fingemusne animo Patriarcharum Religionem nullo Dei cultu publico floruisse, qui sine stato die consistere nequit, aut vagum fuisse diem illum ad colentium arbitrium? Vix in animum induco meum Patriarchas nescivisse, *Deum sex diebus condidisse cœlum & terram, septimo autem quievisse.* Jam vero id sibi cogitatione depingere non poterant, quin impellente conscientia ingens beneficium mundo collatum, grato animo palam & publice celebrarent: proindeque dies ad id bene fieri clavo trabali figendum, illa ipsa dies in qua Deus quieverat, eligi debuit ut esset τοῦ πρώτης ἀρχῆς ἐκμαγεῖον: *primi rerum initii exemplar.* Profecto alendæ pietati, Sabbati institutio magis necessaria fuit quam animantium in munda & immunda distinctio, quæ ævo Noachi jam introducta. Quin etiam primogenita Deo tum esse propria, atque dicata, vincit Abelis munus, *de primogenitis gregis sui.* Solemnes porro oblatis hisce Sacrificiis intervenisse ceremonias, vestes sacras, aliaque ejusmodi, non ponendum in dubio; nec enim illotis manibus, Adamus qui familiæ suæ Sacerdotem exercebat, Sacrificia Numini immolabat. Nec dubium facit animum alicujus signum illud publicum, quo gratia Dei in Abelem effusa est. *Quæritur,* inquit Magnus ille Bochartus, *quo indicio Deus hoc testimonium perhibuerit: an visibili aliquo signo, aut cælesti oraculo, aut Angelo misso e cœlis, qui Abeli dixerit, quomodo Danieli, Vir Deo desideriorum es, id est,* Deo *gratus & acceptus? Si credimus Aben Esra* יתכן שירדת אש ודשנה מנחת הבל ולא מנחת קין *Vero consentaneum est ignem e cœlo descendisse, & Abelis quidem oblationem in cineres redegisse: sed* Caini *oblationem non item—Cujus sententiæ vetustissimus autor est* Theodotion, *qui verba Mosis sic reddiderat;* Καὶ ἐνεπύρισεν, Boch. Hieroz l. 2. c. 44.

&

& inflammavit Dominus super Abel & super Sacrificium ejus : su Cain vero , & super Sacrificium ejus ὐκ ἐνεπύρισεν, non infla mavit. Profecto Moses voce *respexit* , innuit atque indicat , lud favoris indicium quod in Sacrificiis Deus ostendebat ; qu que Israelitis probe notum erat. Divini porro favoris pervulgati hoc erat signum, cum ignis ὐρανόπετὴς sponte victimam incen bat. Exempla habentur in Sacrificio Mosis Levit. 9. 24. Davi ad pestem amoliendam, 1 Par. 21. 26. Salomonis in Templi cæniis. Unde est quod Israelitæ Davidi Regi suo fausta apprecant inter cætera bona hoc quoque petunt, Psal. 20. 4. ut omnium ol tionum ejus Deus sit memor , & ejus holocausta ידשנה in cir rem redigat. Ad eliciendum hanc Dei benevolentiam mundicies terna atque typica, tum erat necessaria.

Discrimen animalium mundorum & immundorum , ante leg a Mose latam, jam in usu fuisse, aperte declarat mandatum No cho datum. *Ex omnibus pecudibus mundis accipito septenas tibi, mar & fœminam ejus, ex iis vero bestiis quæ non sunt mundæ, binas, mar & fœminam ejus.* Mundicies animantium Mosi nota, illa est q ad vescendum utilia aptaque ostendebantur; id est, bestiæ quæ minant, ungulamque divisam & fissam habent , puta bos , ov capra: cæteræ a mensis semotæ, tanquam immundæ. Ex mun præter carnem, etiam lac comedebatur , & butyrum , & ade Deut. 32. 14. & medulla : sed sanguinem attingere nefas , c quia in sanguine est anima, id est, vita pecudis; tum quia De sanguinem destinaverat ad expiationem. Ceremonias in Sacrific Mosaïcis adhibitas, & ab Abrahamo fuisse usurpatas , ex his sc facillime potest. Dixerat Deus Abrahamo; *Offer mihi vitulam trie nem, & capram triennem , & arietem triennem , turturemque cu pullo columbarum. Quæ cum dissecuisset per medium , posuit dim diatam cujusque partem e regione suæ alterius ; aves vero non dissecu rat.* Quo exemplo manavit ad Hebræos suus sacrificandi ritu *Cum offeret quisquis e vobis oblationem Domino , ex bobus aut ex o bus, sive capris, offertote oblationem vestram — dividetque illa in me bra sua cum capite ejus, & intestinis ejus; & disponet ea Sacerdos per ligna.* Levit. 22. 12. *Sin autem ex aliqua volucri holocaustum offe Domino , tum offeret e turturibus, aut e pullis columbæ Sacrifici*

sui

suum: avem autem non separabit. Ablutionum Jacobum insolentem non fuisse, verba vincunt quibus familiam compellebat suam: *Removete Deos alienos, & mundate vos, ac mutate vestimenta vestra.* Quæ ceremonia capessebatur a Jacobi familia, contendente in Bethel, ubi signa præsentiæ suæ Deus exhibuerat. Exemplo hoc atque instituto Jacobi faciebant Israelitæ, cum Numen in montem Sinaïticum descendere voluit: *Ito ad populum ut sanctifices eos hodie & cras, & lavent vestimenta.* Exod. 19. 10. Usus decimarum tempore Abrahami jam invaluerat; quippe quæ Melchisedeci persolutæ sunt. Suscitatio seminis per defuncti fratrem iisdem temporibus obtinebat: *Dixit Juda Onani; Congredere cum uxore fratris tui, & fratris nomine duc eam; sic excita semen fratri tuo.* Gen. 38. Viguit & unctio olei rebus consecrandis, cum erectum lapidem Jacobus consecrarit superfuso oleo. Ex his non obscure colligitur, ceremonias multas tum in usu fuisse apud Patriarchas, licet earum mentio non injecta sit. De condimentis Sacrificiorum, hoc nemo inficiabitur, nisi frontem perfricuerit. An prophanis vestibus Patriarchæ ad altare Numinis accedebant? scilicet, Jacobi liberi vestes mutavere, ut patris adessent Sacrificio Bethelico; & ipse Sacerdos qui Dei aræ adolebat honorem, gausapatus, aut pannosus Sacra confecisset! Preciosissimas vestes induit Esau assequendæ Isaaci benedictioni, nec Patriarchis fuere Sacræ vestes implendo muneri suo, ac alliciendo Patris cælestis animo ad benevolentiam. Quin etiam salem condiendo Sacrificio omissum non esse, videtur longe certissimum ex mandato Mosaïco: *Omnem oblationem muneris tui sale salito: neque cessare finito salem fœderis Dei tui a munere tuo: cum omni oblatione tua offerto salem.* Levit. 2. 13. Carnes insipidas Deo oblatas esse a Patriarchis, rationi non est consentaneum. Quin etiam cum maxima Patriarchas incesseret Religio, nec cessarent in vota precesque, mihi admodum verosimile est, Abrahami & Jacobi familiam Nazareatus ignaram non fuisse. Pro certo quidem habendum numerum festorum, Sacrificiorumque a Mose fuisse multiplicatum, sed verissime dici potest, materiam Sacrificiorum, formam, conventus publicos statis diebus, denique cultus Mosaïci substantiam, ante latam Legem invaluisse. Itaque vero abhorrent clarissimi viri qui ex fontibus Ægyptiacis ceremonialem Judæorum cultum Deum

derivasse imaginantur : cum & discrimen animantium, & Sacrif cia publica, & offerendi modum & victimarum genus, & di festos, & ablutiones, servitus Hebræorum Ægyptiaca exceperit. perspicere quid in hac re verum sincerumque sit voluerimus, a Hebræis ad Ægyptios, rituum consensum manasse dicendum exist mandum est, non ab Ægyptiis ad Hebræos. Argumento potenti simo est vasta illa potentia quam olim Josephus Hebræus in Æ gypto exercuerat: consummatam hujusce Viri sapientiam Aula Ph raonis mirata fuerat: dictum a Rege; *An invenire possimus huic pare virum, in quo Spiritus Dei sit?* Hoc & additum a Pharaone compe lante Josephum: *Quandoquidem nota fecit Deus tibi omnia hæc, nei est prudens & sapiens sicut tu. Tu præeris Domui meæ, & ad os osculabitur universus populus meus : tantummodo hoc solio major te f turus sum.* Gen. 41. In Josepho duas causas reperimus cur ceremi nias a se observatas in Ægyptios manaverint, adultam autorit tem cum præclara sapientia conjunctam; quæ maxima vi po lent instillandæ religioni. Vix potuerunt illi quibus Josephus dom nabatur, eum veluti θεόπνευστον mirari atque ac suspicere, quin S cra more Hebræorum conficientem, exprimerent atque redderer

Hæc sunt opinionis nostræ fundamenta, quibus & illa fucus op nantium ab imo convelluntur; cum quæ laudantur Ægyptiorum c remoniæ, Hebræis ritibus simillimæ, vel ex naturæ fontibus ori sint; vel ex Dei institutione, ope nepotum Noachi, aut ministe Josephi, in disciplinam Ægyptiorum influxerint. Adjuvant & a versariorum errorum suum de antiquitate rituum Ægyptiacorum pr judicium: hinc illud Spencerianum; *Mos ille comam solemniter ale di, & Deo consecrandi, diu ante Mosis ætatem apud Ægyptios obtin* Quo teste certissimo & potentissimo hæc probabuntur, cum n autores Mose sint longe posteriores, ac ea quæ ex priscis temp ribus suppeditant, putidas fabulas redoleant? Mosis antiquitatem c monstravit olim Josephus efficacissima ratione: φημὶ τοίνυν τὸν ἡμ έτερον νομοθέτην τῶν ὁπουδηποτοῦν μνημονευομένων νομοθετῶν προάγειν ἀ ρχαιότητι. Λυκοῦργοι γὰρ, καὶ Σόλωνες, καὶ Ζάλευκος, ὁ τῶν Λοκρῶν, κ πάντες οἱ θαυμαζόμενοι παρὰ τοῖς ἕλλησιν, ὡς ἐχθὲς δὴ καὶ πρώην, πρὸς ἐκεῖνον παραβαλλόμενοι φαίνονται, γεγονότες, ὅπου γε μηδ᾽ αὐ τοὔνομα πάλαι ἐγινώσκετο παρὰ τοῖς Ἕλλησι : *dico igitur nostrum legis tore*

torem, quoslibet qui memorantur Legislatores, antiquitate præcedere. Lycurgus enim, & Solon, & Zaleucus Locriensis, & omnes qui apud Græcos mirabiles sunt, novelli atque recentes, quantum ad illum comparati, esse noscuntur. Quando nec ipsum nomen legis fuisse olim apud Græcos agnoscitur. Josephus l.2.cont. Ap.p.1070.

Percurram brevi præcipua adversariorum exempla, ut vel de his ostendam nil male jacta fuisse fundamenta opinionis de ritibus Ethnicorum ad Ecclesiam derivatis. *Antiquis ante Mosem seculis* (verba sunt Spenceri) *cornu roboris & imperii, Sanctitatis insuper & Religionis, nota vel insigne censebatur, & altaribus, ni fallor, diu ante Mosis ætatem, tanquam excellentia singularis, & humanum excedentis, indicium & documentum addebatur. — Probandum igitur cornua locum honorificum in Gentium altaribus, diu ante Mosis ætatem habuisse.* Provinciam cepit duram vir eruditus, nec video quibus monumentis, libris, nummis, altaribus constructis ante Mosem, tam adultam antiquitatem ararum Ethnicarum cornibus adjungeret, si negaretur. Sed concedatur: nostra omnis lis est de origine cornuum, quæ & a Dei institutis, & ab ipsius Naturæ fonte, ad ipsos Ethnicos manasse verissimum est. Usum Sacrificiorum ab ipso Numine descendisse, mihi persuasissimum, atque mox demonstrabitur. Quo consequens est, & altaria quæ victimas oblatas consecrabant, ab eadem origine deduci. Imperatum fuisse Jacobo altare in Bethele extruendum, testificatur Moses: *Edixit autem Deus Jacobo, surge, ascende Bethelem, & fac ibi altare Deo illi forti qui apparuit tibi.* Gen. 35. 1. Cæterum, non immerito altarium extrema, figuram exprimebant cornuum; apertum quippe omnibus est, atque obvium, vires gregis cornigeri stare in cornibus, quibus avulsis, subducitur robur atque ornamentum. Itaque ex ipsa rerum natura, petitæ sunt ejusmodi phrases, *concidit in ira* כל קרן ישראל *omne cornu Israel.* Lament. 2. 3. hoc est gloria, viresque, quibus bene beateque vixerat. Sic Zacharias omnium laudum cumulo Deum extollens; ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν: *erexit nobis cornu salutis.* Luc. 1. 69. id est, cornu salutare, *ut scilicet non solum nos tueatur ab hostibus, sed etiam salutem adferat. Per cornu autem significari metaphorice solet potentia & robur, eo quod animalia cornuta totum in cornibus offendendi ac tuendi robur habeant*; ut docte simul ac breviter hæc

Spencer. l. 3. Dissert. 1. 53.

commentatus est Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus. Cornu igitur sapientissime altaribus a Deo imperatis addita, ut essen partim ornamento, partim commodo, ne res impositæ caderent quocirca cornua hæc sursum erigebantur. *Ita ipsum Ariel quatuor cu bitorum, ab ipso denique Ariele sursum versus, cornua quatuor.* Ezech 43. 15. Hic *Ariel* altare est. Nec male id nomen altari impositum אריאל proprie est *Leo Dei*, sive Leo magnus; recte autem altar cum fera confertur, quia oblatas omnes a populo victimas, vora bat ignis ille perpetuus altari accensus, feræ rapacis instar. Partin denique quatuor hæc altaris cornua vim, gloriam, decus Sacerdoti Christi, servandæ ex quatuor mundi partibus Ecclesiæ congregatæ obscurius adumbrabant. Quam ergo figuram habuit altare Mosaicum ea desumebatur ex prisca Dei institutione, quæ signa illa mut ex cornibus animalium mutuabatur, ad mysteria nostra delineanda

Aliud exemplum orti ex Ægyptiis ritus a Spencero subjicitur Spencer. l. 3. D. sser. 1. 5. 2. *Morem Gentium*, inquit, *Ægypti præcipue, vesti Sacerdotum linea principium dedisse, probatur testimoniis & aliis argumentis.* Ab hac sen tentia mea variat atque diffidet. Ab ipso quippe Deo, Adamo primum cum reliquis Sacrorum ritibus traditum esse vestis linea usum, qui ad Noachum usque cum pervenisset, ab hujus nepoti bus in omnes simul Orbis terrarum partes dispersum fuisse credide rim; nec vana fides, si probaverimus Sacrificia a primo mortaliun parente oblata, Deum autorem habuisse. In ipsa rerum natura ra tio apta inest quamobrem inter sacrificandum albæ vestes adhibe rentur; candor quippe naturale puritatis, decoris, lætitiæ signum est, cum ad Solis accedat similitudinem. Christus-ne, cujus vesti menta in Transfiguratione facta sunt *coruscantia, & candida valde, u nix*; & Angeli indumentis paribus amicti, ritus Ethnicos imitaban tur atque adumbrabant? Mexicani sane Sacerdotes albis incedere vestibus, non sunt ab Ægyptiis eruditi atque moniti. De hisce Indorum Sacrificulis a Gomara perhibetur: *Fusa toga nivea ex gossipio amicti sunt. Quin etiam in Templis, æternos ignes fovent, qui non sine tristi omine extinguuntur.* Materiam vero Sacerdotalium vestium quod attinet, linum videlicet, in ea aliquid etiam causæ fuit, cur lanæ præferretur, quam innuit Apulejus in Apol. *Ne cui sit mirum hominem illum Sacra quadam lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis vela-*

velamentum. Quippe lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exortas, non modo indutui & amictui Sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus Sacris usurpatur. His accedit, quod lana vermes facillime procreantur, non lino: quocirca aptius fuit designandæ puritati, & Sacerdotum, & Christi Summi Pontificis, cujus Sanctitas ad summum evasit. Lineis vestibus Adamum Deo sacrificasse, mihi non est in dubio: Tunicisne pelliceis indutus Sacra confecisset? Altari, Sacrificio, quæ sancta erant, vestes Sacerdotis respondere debebant: nec ulla indumenta aut parabiliora erant, aut aptiora mysteriis Religionis significandis. Ut ab brevia redeam, ab hac origine, Natura scilicet & institutione Dei, quæ geminæ causæ in Sacramentis requiruntur & reperiuntur, ritus Mosaici sunt deducendi, non ex Ethnicorum fontibus.

Sed ne gratis in eam opinionem venisse existimemur, quod ab ipso Deo primus Sacrificiorum usus descenderit, hoc solidissimis argumentis est astruendum; in eo quippe rei cardo vertitur, fatente eruditissimo Spencero. *Sentiunt*, inquit, *adversarii nostri, Sanctos illos, & simplices viros*, Patriarchas, *animantium carnem, & adipis nidorem, cultus & obsequii loco, Deo offerre minime potuisse, nisi Deus hoc rituum genus instituisset, & hujus munera se pergrata habiturum revelatione aliqua docuisset. Atque hoc principio posito, sibi facile persuadent, Sacrificii legem non tam sancitam sub Mose, quam renovatam: & Sacrificia non ob seculi morem & populi rudioris infirmitatem permissa; sed ob rationes arcanas quidem, sed momentosas instituta. Cum autem hæc objectio tam speciosa sit, & sententiam nostram maxime urgere videatur, cum ea non desultorie confligendum est. Probabo itaque Abelem, Noachum, & cæteros qui ante Legem Deum sacrificio coluere, id muneris nullo Dei explicato jussu, sed pia animi sui inductione præstitisse.* Quam in sententiam, duram profecto & incommodam, Spencerum, Outramum, aliosque viros doctissimos descendisse miror, cum hac minus accurata Theologia, mirum quantum pestilentissimo Socino gratificentur: admissa etenim sua opinione, necessario consequitur, quod priscæ Patriarcharum immolationes, cruenti J. Christi Sacrificii vere ἱλάσιμοι, nec figuræ fuerint, nec pignora, Spencer. l. 3. Diss. 2. c. 4.

 vim

vim ejus cum peccatoribus communicantia. Breviter itaque demoı ſtrandum eſt, Sacrificiorum legem, non ſancitam ſub Moſe, ſe renovatam : proindeque *Ethnicorum ritus in Eccleſiam introductos n eſſe.*

Adamum ante natos liberos jam ſacrificaſſe, ex Moſe colligitu *Fecit Jehova Deus Adamo, & uxori ejus, tunicas pelliceas, quibus ve tivit eos.* Unde enim illæ animantium exuviæ, niſi ex victimis, qu rum pelles, Dei munere, Sacerdotum Moſaïcorum autoramentu fuere, Levit. 7. 8. Ut a principio rerum, Adam talibus indument veſtitus, & mortificationis ſigna, & imaginem juſtitiæ Chriſti, vi timæ peccatorum, ad ſuam nuditatem tegendam neceſſario induei dæ, palam geſtaret. Sacrificia quidem Abelis & Caïn aperte o tendunt, jam inveteraſſe ſacrificandi diſciplinam, quam a Paren didicerant. Quæſtionis igitur eſt, an *pia quadam ſimplicitate duct* ſacrificia perpetrarint? An vero præcipiente Deo, ſive arcano in pulſu, ſive mandato externo? Apoſtoli ſcitum eſt; *Omnis Pontif ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ agen ſunt apud Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis.* Hebr. 5. : Sapientiſſime: nec enim ordinis perturbatio atque confuſio, De unquam gratiſſima fuit: quocirca Paulo obſervatum, Chriſtum d lectiſſimum Filium, in munus ſuum Pontificale non involaſſe, ſe illud obiiſſe accitum voce Patris atque oraculis. Credibile-ne igit eſt, Adamum officium Sacerdotale ſuo nutu ac arbitrio, & inſt tuiſſe, & uſurpaſſe? Si nulla ad immolandum Dei præſcriptio r quiſita fuit, ſed *pia ſimplicitate* primi mortalium ducti, ſuas vict mas obtulere; quidni mulieres Sacerdotum officio fungebantur? A ſolos viros decuit pius ille gratusque animus, cui luculentius teſt ficando, partem aliquam facultatum quas Dei bonitati debebant illius honori conſecrabant? Creentur ergo Sacerdotes matres-fam lias, & viduæ ad immolandas pro ſua domo victimas, donec minc res annos filii ſui depoſuerint.

Præterea, longe abſurdiſſimum eſt, ut ceſſante Dei mandato, e cogitationis Adamus delapſus ſit, pecudum lanienam, ſanguiner fuſum, ambuſtas carnes, fumum adipum, aliaque ejusmodi, a favorem Numinis alliciendum apta eſſe & convenientia. Furor e atque inſania tam abſurda cogitatio, nec Deo, nec rationi conſent

ne:

nea. Apposite sane dictum a Clemente Alex. *εἰ δὲ τῷ ὄντι ἡ κνίσσα γέρας ἐστὶ θεῶν τῶν παρ' ἕλλησιν, οὐκ ἂν φθάνοιεν, καὶ τοὺς μαγείρους θεοποιοῦντες, οἱ τῆς ἴσης εὐδαιμονίας ἀξιοῦνται, καὶ τὸν ἰτμὸν αὐτὸν προσεχέστεραν γεγενημένην τῇ κνίσσῃ τῇ πολυτιμήτῳ: sin autem revera nidor munus Deorum qui sunt apud Græcos, cur non prius quoque coquos in Deos referunt, qui æquali dignantur beatitudine; & non ipsum adorant caminum, qui est huic venerabili nidori propinquior?* Profecto, si rationem capiamus arbitram, abstinendum erat ab hac Sacrificiorum laniena, nisi Deus sapienti consilio eam imperasset Adamo. Clem. Strom. l. 7.

Quid meruistis oves, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines? Pleno quæ fertis in ubere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velamine lanas
Præbetis? vitaque magis quam morte juvatis.
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores.
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi dempto modo pondere aratri
Ruri colam mactare suum. Metam. l. 15.

Hanc in Pythagoræ cogitationem incidisset Adamus, in prisca mundi nascentis origine, nisi præcepto suo Deus illi præluxisset, de sacrificandis ovibus & bobus, ad ostendendum, & deberi mortem peccatori, & placandum esse Deum sanguine fuso.

A pia simplicitate mortalium orta non fuisse Sacrificia, hinc confirmari potest, quod naturam cultus religiosi induerant Deo pergrati; cum confectis hisce ceremoniis, benignissime gratiam suam, cum offerentibus communicaret: porro mandatis *hominum frustra Deus colitur*. Qua sola ratione, Pharisæorum ablutiones, quæ nonnullam honesti speciem induebant, aspernebantur. Pia sane illa simplicitas, ab hisce Antiquorum institutis non abfuit. Ad corporis munditiem conducebant, ac signa erant mentis puræ atque candidæ. Ut hoc uno nomine Christo ingratæ fuerint, quod ex disciplina humana, Dei Religionem Patres Pharisæorum fabricassent; quod non est ferendum: propterea cultus Dei, nomen *mandati* habuit; & aspere in ritus invehitur ea de causa, *quod Deus non præceparat, neque ei venerat in mentem*. Jer. 32. 35. Absurdam rationem, si excogitata ab hominibus Dei colendi ratio, ei delectationem afferat.

ferat. Eo minus Adamo permitti debuit excogitatus Sacrificiorum cultus, quo ejus acumen delirasse, satis superque lamentabili casu exploratum erat. Omissa quidem Dei præscriptione, qua certam habemus regulam vera & falsa indicandi, viri & sapientissimi & sanctissimi in errorem delapsi sunt in obsequendo rationi suæ, teste Gideone, cujus Ephod & ipsi, & familiæ offendiculo fuit. Præterea, in ipsis Sacrificiis nonnulla vis inerat & placandi Deum, & ejus favorem alliciendi: id porro efficaciæ ab ipso Numine in Sacrificia induci debuit. Disertissima sunt verba Mosis: *Anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietur pro animabus vestris.* Levit. 17. 2. Sapienter Vossius ὁ πάνυ; *Si Sacrificia adumbrabant ac significabant ablationem reatus æterni, necesse est substernatur effectus temporalis, per quem Spiritualis ille effectus repræsentetur, is vero est ablatio reatus ratione pœnæ temporalis. Quod ita esse non difficulter probatur; nam Lex quatenus est instrumentum civilis Societatis, ab beatitudinem πολιτικὴν ordinatum, longævam iis vitam pollicetur, qui secundum legem vivunt, ut Levit.* 18. 5. *Ut autem vitam diuturnam Legis observantibus Deus promittit, ita violentam ejus transgressoribus mortem minatur, ut cognoscimus ex Exod.* 20. 7. *Verum misericors Deus, summus νομοθέτης, ne peccantium suppliciis paulatim populus omnis deleretur, statuit ut atrociora quidem delicta non nisi morte expiarentur: sed pro hominibus carne immundis, vel minori peccato contaminatis, victima mactarentur.* Si verum volumus, gemina Sacrificiis Mosaïcis vis est contribuenda: altera impuritatem legalem accessu Tabernaculi prohibentem, expiabat: altera pœnæ temporalis peccatis debitæ vincula relaxabat; quæ legentibus Scripturam plana sunt & certa. *Cum quispiam tetigerit rem immundam aut, cadaver feræ immundæ — aut cum quispiam juraverit effutiendo labiis se male aut bene facturum, secundum omnia quæ effutire solet homo juramento, & abditum fuerit ab eo, deinde cognoverit se reum esse unius ex istis, adducet victimam suam Domino propter peccatum suum quo peccavit, lactantem ovem aut capram; ita expiabit eum Sacerdos a peccato suo.* Levit. 5. 31. 6. 8. 4. Jam vero vis illa piandi pœnas temporales meritas, indita erat Sacrificiis ante legem oblatis; qua de causa amicos Jobi Deus sic compellavit: *Adite servum meum Jobum, ut offerendum curetis holocaustum pro vobis, ne afficiam vos pœna.* Job. 42. 8.

Voss. Resp. ad Ravensp. c. 24.

42. 8. Sed & facto Noachi sacrificio, *Deus odoratus est odorem quietis*, qua metaphora, iræ placatio significatur, Levit. 9. Placebat pietate sua Noachus; nec Deus sine grato animo, in bonam partem accepisset oblatum a justitiæ Præcone holocaustum. Sed non solum immolantis affectum attendisse eo constat, quod vis placandi iram divinam ipsi sacrificio ascribitur, non pietati immolantis: nec in illa animantium penuria sapienter a Noacho vita bestiarum aviumque incendio dispersa fuisset, si nulla hac in oblatione efficacia ad molliendas iras Numinis. Itaque rem acu tetigisse non videntur Chrysostomus Theodoretusque, qui interno spiritualique sacrificio Noachi id placamenti ascribunt. Aliud sibi volunt verba Mosis: *Extruxit Noachus altare Domino, & accipiens ex omnibus mundis pecudibus, & ex omnibus volucribus mundis, obtulit holocausta in altari, & odoratus est Dominus gratum odorem.* Potuitne disertius immolationis efficacia declarari? Qua de causa non ante, sed post deflagrata incendio animantia, mundi judex pro certo mortalibus pollicetur atque confirmat nil a diluvio dein esse timendum? An non *odoratus est Dominus*, respectum habet ad undantem sacrificii fumum? An sapientis erat effectum sacrificio ascribere quem non præstiterat, & pietati Noachi non vindicare, quod ediderat? Nec solida est Theodoreti ratio; *Non quidem hoc nidore delectatus est Deus, nihil enim pejus olet quam ossa exusta*: Quæst. 43. Simpliciter quidem & natura sua hæc Deo non grata sunt, sed ex instituto, atque respectu ad Christi sacrificium quod sacrificia hæc adumbrabant, Numini pergrata fuisse, non est negandum: cum a Deo mandata sint, addita placationis promissione, cujus munus confecit sæpius, misso cælitus igne.

His accedit, quod laudibus cumulata & fides Abelis in oblatione sua sese exorens: quo insigni testimonio apparet & promptum est, sacrificia a Deo mandante descendisse. Quid rei sit fides aperuit Apostolus: *Fides est ex auditu, auditus ex verbo Dei.* Nulla itaque fidei suæ signa in sacrificando dedisset Abel, nisi sub monitore Deo opus immolandi fecisset. Illudit certo Spencerus & sibi, & nobis, sua descriptione fidei: *Fides illa, persuasio fuit tam firma & alte fixa de propenso Dei in omnes affectu, quod vitam ejus ad pietatis regulas instituerit.* Atqui Spencere, fides Abelis in sacrificio suo sese

 exercuit.

exercuit: testis est Paulus; *Fide obtulit Abel sacrificium præstantius*. Ullane fides est Apostolo, quæ in revelante Deo non recumbat? *Per fidem divinitus admonitus* Noë *de iis quæ nondum videbantur veritus, construxit arcam. Per fidem vocatus Abrahamus auscultavit Deo.* Hæccine mandata Dei non includunt! Egregiam vero fidem, cui verbum Dei non prosternitur. Itaque fidei Abelis vis justificandi ascribitur a Patribus; argumento fidem hanc Deo revelanti adhæsisse. *Hos ergo cum etiam ante legem fides justificasset, constituit hæredes divinæ promissionis*: quæ de Patriarcharum fide leguntur apud Clementem Alex. Strom. l. 2. p. 266. Profecto, si usus sacrificiorum a Deo præcipiente non descendit, mente concipi nequit, quomodo per fidem Abel obtulit; ex sententia quippe adversariorum, quod ex pia animi simplicitate orta sint prisca mortalium sacrificia, Abel sic animum instituere ad cogitandum debuit;

> *Quod ex simplici pietatis affectu offertur, vel cessante Dei patefactione ac mandato, illud Deo esse pergratum, certe & certo scio.*
> *Atqui ex simplici pietatis affectu offero sacrificium:*
> *Certe igitur & certo scio, vel cessante Dei patefactione & mandato, Sacrificium meum Deo esse pergratum.*

Qua ratiocinatione quid tam falsum tumve absurdum fingi potest? Sic totum sapientiæ lumen extinguitur: sic quidquid Zelus cœcus suppeditabit, Dei rationibus inferetur: sic piis, ut ajunt, intentionibus, campus latus prosternitur. Ex pio affectu David in Dei honorem Templum extruere sibi proposuerat: id consilii a Domino non admissum. Ex pio affectu, Ephod a Gedeone fabricatum, factum prospero successu caruit. Sacrificia a Deo instituta fuisse, argumento est χέσις illa quam ad Christum habuere, nec enim Abel aut mortalium quispiam, hunc victimis habitum inducere potuit. Quid igitur? Negabimus-ne Patriarcharum sacrificia ad Christum referri? Atqui negari non potest, nisi proculcata Scriptura, ratione, antiquitate. Christus Agnus est ille mactatus ἀπὸ καταβολῆς κοσμοῦ: *a jacto mundi fundamento*. Apoc. 13. Quomodo? utique in signis atque sacrificiis, cruentam ejus mortem adumbrantibus. Hisce imaginibus fidem alebant suam, pascebant oculos, efficaciam mortis Dominicæ sibi

sibi applicabant. Hinc Augustinus c. 20. adversus Faustum: *Offerentes Deo, in victimis pecorum celebrabant futuram victimam quam Christus obtulit.* l. 20. c. 18. legatur Hieron. in Ephes. c. 2. jam vero hæc illa significatio a solo Deo sacrificiis affigi potuit.

Ut modum ponam orationi, adjungam disertissima Dei mandata immolandis victimis diu ante Legem Patribus data. Sanctus erat Abrahamus ac ab Idolorum cultu quam longissime abhorrens. Accepit tamen præcepta sacrificiorum: *Edixerat Deus Abrahamo, offer mihi vitulam triennem, & capram triennem, turturemque cum pullo columbarum.* Gen. 15. Sanctus erat Jacobus, & a vulgi stoliditate alienus: atqui ei datum in mandatis munus offerre sacrificii: *Surge, ascende Bethelem, conside ibi, & fac ibi altare Deo illi forti qui apparuit tibi.* Quo consilio jussus est vir ille pius extruere altare, nisi ad offerendas victimas? Sed nullus est locus illustrior, quam ille Jobi: huic lux eripi, & quasi nox quædam offundi nequit: *Edixit Dominus Eliphazo Themanita; Accensa est ira mea in te, & in duos amicos tuos: quamobrem nunc sumite vobis septem juvencos, septemque arietes, & adite servum meum Jobum, ut offerendum curetis holocaustum pro vobis, ne afficiam vos pœna.* Job. 42. 8. Quid requiritur, quid flagitatur ad demonstrationem sententiæ nostræ, cum tam certa ac necessaria ratione comprobetur? Præceptum immolandi? Sapientibus dicitur, *sumite.* Sacerdoti munus injunctum? Jobo munus defertur sacrificandi. Victima? Legimus, *sumite vobis juvencos septem, totidem arietes.* Ritus & ceremonia? Præscribitur holocaustum. Sacrificii efficacia? Ecce dicitur; *Ne vos afficiam pœna.* Felix Justitiæ simul & Misericordiæ temperamentum, quo utraque munus peragit suum: Justitia, flagitando holocaustum; Misericordia, docendo placationis viam, exolvendis pœna sontibus. Quo exemplo monemur in redemptione mortalium, Justitiam & Misericordiam optime sibi constare. Liberantur rei, fuso innocentis victimæ sanguine: sic est, nec spes ulla veniæ concipi, nec victima in vicem sontis substitui, nisi revelante Deo, potuit, cum nec parcere teneatur, nec satisfactionem admittere. Ne ad spem inanem veniæ devolvamur, Deus nos inducere promissis debuit. Etiamnum ingeretur, pia simplicitate ductos Eliphasum ac Jobum Sacrificia obtulisse, quibus tam aperta mandata Deus dedit de victimis offerendis, ad extinguendam iram ejus? Rrrr 2 Mag-

Magnifice per ora hominum incedens Spencerus, Patrum chorum induxit probandæ opinioni suæ. Frustra omnino, cum minus accurate dicta a Tertulliano, Autore Quæstionum apud Justinum, Theodoreto, aliisque bene multis, tam luculentis Scripturæ testimoniis, rationumque momentis, concurrere nec possint, nec debeant. Sed & Chrysostomus immerito a Grotio, Spenceroque, in suam sententiam testis inductus est. Mandatum quippe Dei internum est, vel externum: internum afflatus divinus est, mentem impellens: externum constat oraculo immisso cœlitus ad aures; qualis illa vox qua rupes Sinaïticæ sonabant, præcepta Decalogi. Sive via hac, sive illa homines doceantur de cultu Religionis, utique de Deo descendit, & in Deum relabitur; nec pia hic simplicitate animus inducitur ad officium exhibendum Deo. Jam vero Chrysostomus externa quidem de Sacrificiis immolandis Dei mandata exclusit; at interna agnoscit admittitque: quod Magnum Grotium, Clarissimumque Spencerum latuisse miror. Audiatur Hom. 17. in Genes. *Iterum dico & non dicere cessabo, non quia Deus Sacrificiis indiget, sed vult & per hæc ostendi gratum animi affectum.* Luculentiora sunt quæ sequuntur: *Neque Cain doctorem habuit aliquem; neque Abel suggestorem & consiliarium: sed uterque conscientiæ suæ magisterio, & sapientia divinitus humano generi suppeditata, ad hanc oblationem incitatur.* Nec imprudenti, aliudve agenti hæc exciderunt; eadem tradit inculcatque Hom. 26. in Gen. *Et ædificavit Noë altare, & accepit de omnibus pecoribus mundis. Considera iterum diligenter, charissime, ex præsentibus verbis, quomodo in natura nostra Conditor omnium inseruit certam virtutis scientiam. Unde enim, dic oro, Justo venisset? Nullus erat alius quem videbat, & a quo disceba?*

Ex inspirante Deo origo Sacrificiorum aperte ab Eusebio deducitur. *Si divinæ Scripturæ testimonium sequimur, primum omnium de animalibus Sacrificium, priscis Deo amicis viris excogitatum fuisse, nos dicere oporteat: quam sane cogitationem temere exiisse, aut humano more exortam putandum non est, sed divino potius nutu insinuatam.* Euseb. Demonst. Evang. l. 1. c. 10. Illustrior est locus Athanasii quam ut silentio prætereatur. Ἃ γοῦν Μωσῆς ἐδίδασκε, ταῦτ᾽ Ἀβραὰμ ἐφύλαττεν, ἃ δὲ Ἀβραὰμ ἐφύλαττε, ταῦτα Νῶε, καὶ Ἐνὼχ ἐγίνωσκον, διακρίνοντες καθαρτὰ καὶ ἀκάθαρτα, καὶ εὐάρεστοι γινόμενοι τῷ θεῷ, καὶ

Athan Epist. de Nic. Syn. T. 1. p. 252.

γὰρ

γὰρ καὶ Ἄβελ οὕτως ἐμαρτύρησεν ἐπιστάμενος ταῦτα, ἅπερ ἦν μαθὼν ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ· τοῦ δὲ αὐτοῦ μαθόντος ἀπὸ Κυρίου: *Quæ enim Moses docuit, eadem Abrahamo observata sunt; quæ porro Abraham custodivit, eadem Noë & Enoch agnoverunt, distinguentes munda & immunda, & gratiosi apud Deum fuerunt. Abel quoque hujus rei testis habendus est, eorum instructus cognitione quæ ab Adamo acceperat; Adam autem magisterio Dei imbutus fuit.* Sic Religio est omnis a Deo deducta, antiquitate ac sanctitate florens. Augustinus: *Nec quod ab antiquis patribus talia Sacrificia facta sunt in victimis pecorum quæ nunc Dei populus legitime non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximos consulamus. Sacrificium ergo visibile, invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est sacrum signum.* Potuerunt-ne hæc ab Augustino scribi, si apud se statuisset & judicasset, privato mortalium nutu atque arbitrio usurpata fuisse Sacrificia, quæ principio rerum perpetrabantur? Humana piæ simplicitatis instituta sunt ne & *Sacramenta*, & *sacra* mysteriorum nostrorum signa? Diu nos quæstio tractata demorata est: id moræ debebatur & fusæ illustrique ad dicendum materiæ, & libro Viri Eruditissimi qui adversario dignus fuit.

Aug. de Civ. l. 10. c. 5.

AN. XLIV. NUM. LXXXVIII.

De ritibus qui communes Christianis fuere cum Judæis Ethnicisque, Baroniani errores plurimi. Primus circa Dionem de Pontifice Romanorum, cadavera inspicere prohibito. Secundus de Sacerdotibus Judaicis funerum insolentibus, concessum ipsis fuisse ad proximos defunctos accedere, demonstratur. An & ad uxorum cadavera? Negantis Jansenii aliorumque sententia refellitur. Soli Pontifici Maximo nefas pollui cadaveribus. Quod in summa necessitate, & illi concessum. Tertius de Episcopali mitra, quam in Ammiano Marcellino frustra Purpuratus quæsivit.

Locum Marcellini, de Sacerdotum Ethnicorum corona, intelligendum esse; probatur cum ex Tertulliano, tum ex ratione. An usus mitræ, & aureæ laminæ ab Apostolis fluxerit, & initio rerum Christianarum obtinuerit? Valesii Petaviique sententia multis rejicitur.

IN ritibus qui conjuncti atque communes Christianis cum Judæis Ethnicisque, quosdam Baronius annumeravit, qui non sunt prætereundi, cum Purpurati hæc observatio in magnis tenebris erroris & inscientiæ versetur. *Cadavera*, inquit, *aspicere, sicut antiquæ Legis Sacerdotibus, ita & Pontifici Max. superstitionis Gentilitiæ, id testante Dione, vetitum erat.* Quæ pauca in verum bis peccant: alterum errore damnabit Dio; alterum Scriptura. *Augustus tum forte quinquatribus, munus gladiatorium filiorum nomine exhibebat, is simul ac de casu Agrippæ cognovit, properato ex urbe profectus, mortuum eum invenit, corpus ejus in urbem advexit, ac in foro propositum, funebri laudatione decoravit, velo inter se & mortuum expanso. Id velum quid sibi voluerit equidem certus non sum.* εἴρηται δὲ ὅμως τοῖς μὲν, ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, τοῖς δὲ ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραττεν· οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν, οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιερεῖ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν, οὔτε τῷ τιμητῇ πλὴν ἂν τὸ τέλος τῶν ἀπογραφῶν μέλλῃ ἐπάξειν: *& proditum tamen est a quibusdam, hoc factum quia Pontifex Maximus erat; ab aliis quia Censoris munus obibat, quorum neutri recte sentiunt; nam neque Pontifici Maximo cadaveribus aspiciendis interdictum est; neque Censori, nisi cum lustrum condit. Hic enim si quod ante lustralia sacra mortuum corpus intueatur, omnia ab eo ante acta rescinduntur.* Potuit-ne clarius Baronio grandis dica erroris a Dione scribi? Alterum errorem non minus perspicue Scriptura configit. *Pro mortuo ne polluito Sacerdos, nisi pro matre sua, aut pro patre, aut pro filio, aut pro filia, aut pro fratre, aut pro sorore sua virgine.* Levit. 21. 2. Ergo Baroni, fas erat *Sacerdotibus cadavera aspicere*: non omnibus quidem, sed illis qui numero senario comprehenduntur a Mose. Cæterum, cum uxor in his non annumeretur, Eruditi quidam in ea sunt sententia, negatum fuisse Sacerdotibus, ad funus uxorum convenire ad exequias coho-

cohonestandas. *Intelligitur autem Lex ista* (verba sunt Jansenii) *generalissime, respectu quorumcunque defunctorum, sive Principis cujuscumque de populo, solis exceptis qui v. 2. & 3. excipiuntur, scilicet, patre, matre, filio, filia, fratre, & sorore virgine, ita ut non liceret Sacerdotibus lugere in morte uxorum.* Atqui non est verosimile nefas fuisse Sacerdotibus, eam conjugibus suis curam impendere, quam sororibus accomodabant, cum illæ, his longe propiores essent Sacerdotibus. Itaque uxorem verbis Mosis includi, mihi certum, planumque est. *Non polluet se nisi* לשארו הקרב אליו *pro carne sua, propinqua*; quibus uxor proprie significatur: *Relinquet unusquisque patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori, & erunt una caro:* ut si concessum Sacerdotibus justa funeri paterno solvere, multo magis & uxorio. Quod ex mandato Ezechieli Sacerdoti dato non obscure colligitur: *Fili hominis, ecce tollo a te desiderium oculorum tuorum plaga, sed ne plangito.* Ezech. 24. 16. Hac periphrasi conjux Prophetæ designabatur: v. 18. *Mortua est uxor mea.* Rarum vero casum hunc esse, atque extraordinarium, apparet ex mandato peculiari de non lugenda uxore, quo instrui Prophetam non opus erat, si ex lege perpetua Sacerdotes luctu uxorum prohiberentur. Potuerunt ergo, contra ac dixit Baronius, pollui tactu cadaveris, funeris curatione, ingressu in domum defunctorum qui sanguine ipsis propiores, verbis Mosaïcis designantur; at nullo aliorum funere pollui poterat ullus Sacerdos. Quin etiam si cadaver tangeret, domum funebrem ingrederetur, corpus efferret defuncti, flagris cædebatur. Verum enim vero quod nonnullo de casu permissum Sacerdotibus fuit, omnino negatum Pontifici Maximo. *Sacerdos autem ille qui maximus est fratrum suorum, cujus capiti infusum est oleum illud unctionis, vestimenta sua ne discindito, neque ad ulla cadavera mortui venito.* Summa tamen necessitas excipi debuit: nam si forte in cadaver Israelitæ incideret jacens in via, nec ullus tum esset qui vespillonis munere fungeretur, fas erat & Pontifici corpus mortui humo tegere.

Alia adhuc macula, observationes Baronianæ aspersæ sunt. *Mitra usus communis fuit Christianis Episcopis, & Orientalibus aliquibus Sacerdotibus, quorum meminit Philostratus.* Atque eo pertinere Marcellinum, sibi in mentem Illustrissimus Purpuratus induxit. *Ex usu*

Aposto-

Bar. An. 34. n. 298. *Apostolorum manasse certum est, ut Episcopi Christianæ Ecclesiæ, quod regali fungerentur sacerdotio, tanquam Reges & Sacerdotes, mitra in sacris uterentur pretiosa. Eam fuisse maximi pretii satis Ammianus Marcellinus demonstrat.* Verba Marcellini sic sonant, de Mascircl qui pacem obsecrando cum venia, utramque a Theodosio obtinuerat, *Militaria signa & coronam Sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus, restituit, ut præceptum est.* Atqui Purpuratus longe fallitur animi: nec enim Episcoporum mitram Marcellinus intelligit, sed coronam quam Ethnicorum Sacerdotes capite gestabant. Id moris illis fuisse aperte docetur a Tertulliano, de Corona Militis, c. 13. *Sunt & Provinciales aureæ.* & lib. de Idololatria c. 18. *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta, vel trabea, vel palmata, & corona aurea Sacerdotum Provincialium.* Nec mitram Episcopalem significari a Marcellino, constat tum ex voce *corona* quæ differt a mitra; cum ex adjuncto *Sacerdotalis* epitheto, quæ titulus insolens est Marcellino Ethnico, qui vocem Antistitis, & Episcopi frequenter usurpat, designandis Ecclesiæ Pastoribus, non *Sacerdotio.* Sic l. 15. p. 51. *Liberius, Christianæ Legis Antistes: Athanasius Episcopus eo tempore apud Alexandriam.* & l. 27. p. 362. *Antistites Provinciales.*

Cæterum, ex usu Apostolorum manasse mitrarum originem probabile satis visum viris eruditissimis, Baronio sagacioribus. Valel. Annot. in Euseb. l. 5. p. 93. *Quod autem de lamina dicit Polycrates* (verba sunt Valesii) *credibile est primos illos Christianorum Pontifices, exemplo Judaïcorum Pontificum, hoc honoris insigne gestasse. Certe & Jacobum, fratrem Domini, qui primus Hierosolymis Episcopus est ordinatus, Pontificalem laminam in fronte gestasse Autor est Epiphanius.* Atqui languidior hac in re autoritas Epiphanii est, quam ut assensum extorqueat, cum ejus narratio fabulis respersa sit, & in contradictione cubet. An Jacobo *quotannis in Sancta Sanctorum concessum est ingredi, quemadmodum Pontificibus Maximis*; si, ut ait Epiphanius, Josephi ex alia conjuge quam Maria, Jacobus filius fuit? *Illud vero non modo falsum*, inquit Petavius, *sed & contra hypothesin est. Si Josephi filius est Jacobus, Josephus autem de stirpe David, non Levitica & Sacerdotali fuit, qui tandem Sacerdos esse Jacobus potuit?* Falsum

ſum quoque prodi ab Euſebio, Πέταλον, *Bracteam Jacobo in capite geſtare licuiſſe.* Hoc de Joanne ſecundum Polycratem traditum ab Euſebio. *Præterea Joannes qui in ſinu Domini recubuit, qui etiam Sacerdos fuit*, τὸ Πέταλον πεφορεκὼς; *& laminam geſtavit.* Valeſio conſentit & Petavius: *Quod alioqui de Chriſtianorum Pontificum inſigni credibile eſt, & de Joanne teſtatum reliquit Polycrates.* Mihi vero conjectura hæc neutiquam probatur; atque in eam argumento mihi eſt ipſe Epiphanius: qua de cauſa uni Jacobo, laminam capiti imponit, ſi moris erat omnibus Apoſtolis eam geſtare? Ex dignitate Sacerdotali, quam improvide bonus ille Pater aſcribit Jacobo, privilegium & in Sancta Sanctorum, inſtar Pontificum, ingrediendi, & Bracteam geſtandi, autoritate ſua conceſſit. Quo conſequens eſt, alios quibus dignitas illa Sacerdotalis non competebat, & laminæ gerendæ expertes fuiſſe. Ex priſca ſane diſciplina, id honoris uni Petro, quaſi Summo Chriſtianorum Pontifici, contingere debuit, quem tamen capite auream laminam geſtaſſe, Veterum nullus ſcripſit. Incredibile vero eſſe primos illos Chriſtianorum Pontifices, exemplo Judaïcorum Pontificum hoc honoris inſigne ſibi accommodaſſe apparet, non modo ex Apoſtolica ſimplicitate, quæ viva Domini ſui effigies fuit, ſed etiam ex Tertulliano, coronas a Chriſtianis procul amandante. *Sunt*, inquit, *& provinciales aureæ, imaginum jam non virorum, capita majora quærentes: ſed tui ordinis, & tui magiſtratus, & ipſum curiæ nomen, Eccleſia eſt Chriſti.* Profecto, ludibrio fuiſſet Tertullianus dum in coronas Chriſtianorum tam aſpere invehitur, ſi Epiſcopi habebant coronam auream in capite: ex hoc exemplo, *Coronarii* auxilium ſibi quæſiviſſent in Septimiana illa tela: *Nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes.* Jam vero lamina Pontificalis corona fuit, teſte Joſepho: περιέρχεται δὲ σέφανος χρύσεος ἐπὶ τριςοιχίαν κεκαλκευμένος: *hunc antea corona triplici ordine circundabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba quæ apud nos vocatur Baccharus, apud Græcorum herbarios, hyoſcyamus.* Joſeph. Ant. l. 3. c. 9.

Adjiciam de Joannis petaſo conjecturam eruditiſſimi Stephani Le Moine, quo magis propendeo, *Metaphorice loquitur Polycrates, qui cum Summum Sacerdotem lamina inſtructum aurea, Sanctuarium penetraſſe, myſteria Dei & arcana explorare noviſſet, ut Joannem Apoſto-* Steph. Le Moine Obſer. ad Polycar. Epiſt. p. 28.

lum laudibus eveheret, illius exquisitam cognitionem, & Doctrinam aliorum cognitioni anteferret, illum in sinu Domini recubuisse memorat, Summum fuisse Sacerdotem, familiares cum Domino habuisse sermones, illum adyta explorasse — adeo ut videatur cœlos ipsos penetrasse, Sanctuarium ipsum ingressus, & Summi Sacerdotis functus munere in Ecclesia Christiana. Quale Joannis Sacerdotium, talis & lamina: utrumque spirituale & metaphoricum. Familiare hoc dicendi genus de Sacerdotio, Patribus fuit. Euseb. Hist. l. 10. c. 5. *Amici & Sacerdotes Dei, qui sacra tunica talari, & Sacerdotali Spiritus veste amicti estis.* Profecto, intempestiva hæc atque improvida laminæ Pontificalis imitatio, cum tristi Apostolorum conditione non congruebat. Sacra conficiebant in privatis domibus, cryptis, cœnaculis: loca ejusmodi aureæ coronæ non decebant; nec homine coronam auream gestante digna fuissent hæc Petri monita; *Mulierum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumposito auro.* 1 Petr. 3. 3. Quin etiam offensio facta esset animis Judæorum simili ornamento, quod uni Pontifici sacra celebranti, in Templo habere permittebatur.

AN. XLIV. NUM. LXXXIX.

De raptu Paulino in cœlum. Quo anno contigerit? Temeraria Baronii assertio. Quæstio illa Chronologica, in ἀπόροις *Scripturæ annumeranda. An triduo cæcitatis Paulinæ raptus illigandus? Aquinatis & Doctissimi Lud. Cappelli sententia rejicitur. An contigit raptus in lapidatione Paulina apud Lystrenses? Affirmantis Clarissimi Usherii opinio refellitur. Eruditissimi Pearsonii sententia ad examen revocata. Cestriense ex tempore datæ Epistolæ posterioris ad Corinthios petitum criterium, improbatur. Ante annum Neronis tertium Epistolam hanc missam fuisse, ostenditur. Sed & in Legatione Pauli & Barnabæ, raptus neque vola neque vestigium. An raptus Paulinus*

nus unum & idem cum extasi Hierosolymitana? Impugnatur & hæc sententia quæ multorum est. Quomodo Paulus in illo raptu se habuit? Quid sibi vult extra corpus? *Mortem non indicari pluribus ostenditur contra antiquos novosque Interpretes bene multos. Estius notatus. Quid revelatum Paulo fuerit, ignotum. Baroniana contradictio.*

Difficultates quibus Paulinus raptus in cœlum afficitur, non immerito pertimescimus, cum illas perrumpere præstantissimi viri conatu perinde magno ac inutili tentarint. Hæc Corinthiis scripta sunt a Paulo: *Novi quendam qui ante annos quatuordecim, an in corpore nescio, an extra corpus nescio, Deus novit; raptum in tertium usque cœlum.* 2 Cor. 12. Ad hanc Epocham inveniendam laborant multa Chronologi. Anno Claudii secundo, Christi 42. felicem hunc raptum contigisse Apostolo, Baronii sententia est. Argumento ipsi est Epistola posterior ad Corinthios, quam Anno Neronis secundo, Christi 56. scriptam fuisse contendit. Atqui de tempore scriptæ Epistolæ nondum constat Eruditis; nec phrasin Scripturæ Purpuratus satis attendit: dixit Paulus, πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων: *ante annos quatuordecim*; quæ sic explicantur a Baronio: *Facta dicit annis quatuordecim, ante id tempus quo posteriorem illam ad Corinthios scribebat Epistolam.* Jam vero annus decimus tertius phrasi Paulina optime intelligi potest, quo admisso, ad annum Claudii tertium perventum est. Sed & ignoratur utrum annus datæ Epistolæ in calculo Paulino comprehendatur, nec ne? ut sententia Baroniana a temeritate sejungi vix possit: *Satis certum exploratumque habetur, Claudii Anno secundo, Paulum tam mirificis esse a Deo auctum muneribus.*

In triduo Paulinæ cæcitatis raptum Paulinum contigisse censet Aquinas, cujus in sententiam bene multi concessere, præcipue Ludovicus Capellus, Vir immortalis memoriæ. Quæ sententia mihi neutiquam probari potest, cui & Scriptura, & ratione potentissime refelli videatur. An vero proximum hominem qui in triduo hoc solvebat breves pœnas pro magnis sceleribus, in paradisum fuisse translatum? Omissusve a Luca fuisset raptus tam admirabilis, cum

visio Ananiæ, menti Paulinæ objecta, silentio dissimulata non fuerit? *Et vidit per visionem virum, Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manum, ut visum reciperet.* Observabilia sunt Ananiæ verba, quibus Saulum compellavit. *Et nunc quid cunctaris? Surgens baptizator, & abluitor a peccatis tuis?* Act. 22. 16. Ergo-ne Paulus ascendit in cœlum, antequam haberet testimonium condonati peccati sui? Sapienterne diceretur homini cui cœli arcem jam Deus annuerat, *abluitor a peccatis?* Nonne manifesti favoris signum illud extraordinarium, ille raptus quo assertus Paradiso Paulus fuerat, eum jam plane certum fecerat de placatione Numinis, & ablutione peccatorum suorum? Hoc addebat Ananias, *Dominus misit me ut visum recipias, & implearis Spiritu Sancto.* Act. 9. potuitne Paulus in cœcitate positus, in dubio esse, corpore an mente, raptus fuisset in cœlum? Nondumne implectus Spiritu Sancto fuit ille qui & lucidas Beatorum regiones perambulaverat, & principibus Angelorum choris permixtus fuerat, & mysteria sublimia patulis auribus admiserat? Sed nec Chronologia sacra Capelli Aquinatisque opinioni consentit? Posterior ad Corinthios Epistola post celebratam Synodum Hierosolymitanam scripta est: atqui a vocato Paulo ad Synodum, anni non minus quatuordecim interfuere, teste ad Gal. Epistola c. 2. Proindeque ex raptu Paulino, criterium non suppeditatur Apostolicæ vocationis.

Anno Æræ Christianæ 46. Magnus Usherius Pauli raptum illigavit. *Cum Iconio & Antiochia Lystram venissent increduli Judæi, excitato tumultu furiosa plebs Paulum lapidatum extra urbem traxit quasi mortuum. Hoc anno, & hoc etiam fortasse tempore, raptus Paulus in tertium cœlum verba audivit ineffabilia.* Verum huic & opinioni aqua hæret. Nec enim hoc tempore dubitari potuit, an in corpore Pauli raptus contigisset: *Paulum lapidatum Judæi traxerant extra urbem, existimantes eum mortuum esse: cum autem circumstetissent eum discipuli, surrexit, & ingressus est urbem.* Act. 14. 19. Jam vero corpus Paulinum una non fuit in cœlo & in terra. Proindeque cum certe & certo sciret Apostolus tum adfuisse corpore in terra, affirmavit pro certo se corpore non fuisse in cœlo. Sed nec sane quadrat posteriorem ad Corinthios Epistolam scriptam fuisse post quatuordecim annos a lapidatione Paulina: hoc est, Anno Neronis sexto, vel septimo.

Cla-

Clariſſimus Pearſoneo delatus eſt opinionis, quod Æræ vulgatæ Anno 44. Claudii quarto Pauli raptus affigi debeat. *Dum Antiochiæ Prophetæ & Doctores miniſtrarent Domino, Saulus & Barnabas ſegregati ab illis ſunt in opus ad quod aſſumpſit eos Spiritus Sanctus; & tum, opinor, Saulus raptus eſt in tertium cœlum; poſt quod tempus, Anno 14. ſcripſit ſecundam ad Corinthios.* Atqui hac in Legatione, Paulini raptus neque vola, neque veſtigium; ſed & miſſio imperata, ad Paulum Barnabamque æquo jure pertinet, nec ex oraculo cœlitus edito, aut Hiſtoria a Luca narrata, Pauli potius quam Barnabæ raptus colligi poteſt. Denique, ante tertium Neronis annum poſteriorem ad Corinthios ſcriptam eſſe vero propius eſt. Hanc quippe Epiſtolam excepit illa quæ Romanis miſſa eſt. Porro, cum Apoſtolus ſcripſit ad Romanam Eccleſiam, Narciſſum nondum ultimum diem obierat: *Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi familiaribus, eos inquam qui ſunt in Domino.* Rom. 16. 11. Narciſſus ad plures abiit Anno Chriſti quarto & quinquageſimo: *Prima novo principatu mors Junii Silani Proconſulis Aſiæ — nec minus properato Narciſſus Claudii libertus, aſpera cuſtodia & neceſſitate extrema ad mortem adigitur.* Tacitus Annal. l. 13. c. 1. Nec alius fingi hic Narciſſus poteſt, quam celebris ille Narciſſus qui apud Claudium plurimum valebat. Non ſalutatur Narciſſus; argumento hunc hominem a Chriſto eſſe alienum: ſalutantur ejus domeſtici, nec omnes quidem; ſed Dominicæ diſciplinæ addicti; quibus vir inſignis potensque deſcribitur. Nec duo viri divitiis & autoritate pollentes, hoc nomine videntur apud Romanos, Neroniano ævo. Accedit quod ſi poſterior ad Corinthios Epiſtola ſcripta eſt Anno Neronis tertio, ſeptimus jam labebatur cum Paulus catenatus Romam venit; addito biennio quo in Urbe commoratus eſt, in Neronis nonum incidit. Quo conſequens eſt ex his quæ dein a Paulo geſta ſunt, Apoſtolum ultimo Neronis anno ad mortem eſſe miſſum; quæ Chronologia vacillat. Jam vero ſi poſterior Epiſtola ad Corinthios ante tertium Neronis exarata eſt, raptus Paulinus ad ejus Legationem Anno Æræ pervulgatæ quarto & quadrageſimo pertinere nequit.

Pearſ. Annal. Paul. p. 6.

Communior Eruditorum opinio Paulinum raptum cum Hieroſolymitana extaſi permiſcet. *Factum eſt mihi reverſo Hieroſolymam, cum orarem in Templo, ut raperer extra me:* Græce ἐν ἐκστάσει. Act. 22.

17. Cui sententiæ calculum album adjecerunt viri præstantissimi Jacobus Capellus, Lightfootus, Fridericus Spanhemius. Plurima tamen contra hanc opinionem argumenta congeruntur: ac primum in hac extasi, nil est quod dubium faciat animum, Paulusne, vel extra corpus, vel cum corpore raperetur? Quid rei est extasis? *Mentis contemplatio.* Nec aliquid causæ fuit, cur Paulus de raptu corporeo, aut spirituali, potius penderet animi, quam Petrus, in quem extasis inciderat. Jam vero Petrus in dubitationem non adduxit, an extra corpus, vel cum corpore, in Paradisum tum receptus fuit? Itaque cum visio Hierosolymitana Pauli, extasis diserte dicatur; raptus corporeus esse non potuit. Corporea Enochi ac Eliæ in cœlum assumptio, congruenter ne *Extasis* appelleretur? Insuper, in Templo Hierosolymitano nulla a Paulo audita verba sunt, *quæ non liceat homini loqui.* In extasi sua vidit Christum dicentem, *festina, & exi cito Hierosolymis, quoniam non excipient testimonium tuum de me.* Quibus Paulus reposuit, Judæi *sciunt me pertraxisse in carcerem, & verberibus affecisse per singulas Synagogas eos qui credunt in te; & cum effunderetur sanguis Stephani Martyris, ego quoque adstabam.* Quibus imperato exitui Paulus intercedebat; cum ad fidem Evangelio astruendam, furor ille Saulinus, potens fuerit argumentum. An vir ille qui & zelo erga Legem, & sapientia abundabat, temere, & sine causa justissima, odium plusquam Vatinianum quo flagrabat adversus Christum, misisset, inducto amore Evangelii, nisi vi cælesti mutatus ab illo Saulo fuisset, quem Christianorum sanguis sæpius infecerat? Magno hoc exemplo ad fidem Hierosolymitani induci debuere. At Christus cujus Judæorum pertinacia probe nota fuit, *exi cito Hierosolymis: nec enim contumaces illi fidem adhibebunt tibi; proficiscere, nam ego te longe ad Gentes mittam.* Hæccine sunt ἄῤῥητα ῥήματα illa, atque arcana quæ prodi non debebant? An raptum in tertium cœlum Lucas transmisisset silentio, qui palam & aperte visionem, extasin, sata Christum inter & Apostolum colloquia, tradidit? Hierosolymitanam extasin Paulus palam & aperte profitetur: raptum vero quasi invitus pandit, alienam veluti personam gerens. Illa pertinacibus Evangelii inimicis, hic fidelibus narratur. Sapienter Chrysostomus: *Magna quidem*, inquit, *hæc revelatio: non sola autem facta fuit, sed etiam multa alia. Ipse vero*

Chrys. Hom. 26. in 2 ad Cor.

unum

unum e multis ponit. Quod enim multa fuerint, audi quod dicat; Excellentia revelationum ut ne extollar. Jam dixerit quis, si occultare voluit, omnino ænigma afferendum non erat, neque tale quidquam dicendum; sin dicere voluit, manifeste dicendum. Quare igitur neque manifeste dixit, neque siluit? Ut ex hoc loco ostendat quod invitus ad hoc perveniat: propter quod qui tantopere se continuit, non jam effaretur nisi magna esset necessitas: siluisset tamen, nisi fratres pereuntes vidisset. Quæ Hierosolymitanæ extasi accomodari nequeunt. Crediderim itaque raptum Paulinum a Luca in Annales non esse relatum; atque ab omnibus visionibus quas commendavit memoriæ, diversum fuisse. Cum porro Epistola posterior ad Corinthios ultimo Anno Claudii, sive Domini quarto & quinquagesimo scripta esse videatur, raptus ille Anno primo Claudii affigi potest.

Quomodo in illo raptu Paulus sese habuerit, in dubitationem adducitur? An in corpore, an extra corpus? *Vide* (verba sunt Chrysostomi) *quanta etiam in hoc modestia sit usus. Nam alia quidem dicit, alia autem se ignorare fatetur — Quid igitur? mensne rapta est ac anima; corpus vero mortuum mansit? Num corpus raptum? Sed non dicendum est. Nam cum Paulus qui tot ac talia tanta arcana consecutus est, ignoraverit, multo magis nos.* Chrysostomo *extra corpus* animam a corpore sejunctam & separatam significat; ut in hoc intervallo corpus plane mortuum fuerit. Nec alia sententia est Ambrosiastro; *Utrumque confirmavit, quia utrumque fieri posse non negavit, ut sine corpore rapi potuisset, & in corpore.* Sic Beda, aliique bene multi ex Veteribus & Recentioribus Interpretibus, quos brevitatis causa prætereo. Mihi vero dubia illa est sententia, quæ his *extra corpus esse*, mortem significari existimat. Potuit quidem mens Paulina dulci amplexu corporis divelli, ac divulsa rursum conglutinari. Hoc unum quæritur, an hæc, *extra corpus*, intellectum fundant ejusmodi? Profecto, si anima a corpore divulsa fuit, ut raptus Paulo mortem, sic & descensus resurrectionem, attulit; ideoque miraculum miraculo extinctum est, quod non habet fidem. Sed nec Scriptura raptus ejusmodi meminit, quo anima disjungeretur a corpore. Denique, absque necessitate cogente, miracula non sunt multiplicanda. Est quippe raptus, cum animus a sensibus corporeis veluti abstractus, seorsim aliquid molitur, nullo oculorum, aurium, ac ejusmodi instrumen-

mentorum interveniente auxilio. Hic igitur status quæstionis est, an in admirabili suo raptu, Paulus sensuum ministerium adhibuerit, nec ne? Duo raptus genera Scriptura suppeditat: alter mentalis est, de quo Ezechiel, *& emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me Spiritus in terram & cœlum; & adduxit me in Jerusalem.* Ezech. 8. 3. Sic Joannes fuit ἐν πνεύματι: alter vero raptus corporeus est, cujus exemplum præbent Philippus a Candaces Dynasta separatus, Elias, Enochus. Uter obtigerit Paulo, vel Spiritualis ille, quo mens adhuc habitans apud corpus, sensibus externis non utitur ad intelligendum; ἀμέσως a Dei effecta Spiritu; vel corporeus, quo aurium oculorumque interventu, objecta se ad animum applicant, prorsus nescivit Sanctus ille Apostolus. Descendamus igitur in sanctam modestamque Augustini sententiam: *Scit ergo ante annos quatuordecim, in Christo raptum fuisse hominem ad tertium usque cœlum: hoc omnino non dubitat; nec nos ergo dubitemus: sed utrum in corpore, an extra corpus, dubitat; unde illo dubitante quis nostrum certus esse audeat?* Hic stertit acumen eruditi Estii negantis corporeum fuisse Pauli raptum. *Nam*, inquit, *si una cum corpore fuisset raptus in cœlum, utique sensibus corporeis fuisset usus ad cognoscendum quæ illic erant: vidisset ergo Christum oculis corporeis, & loquentem auribus corporeis audivisset. Nec sane ignorare potuisset se sensibus corporis ad hujusmodi actiones usum fuisse.* Quæ ratio jejuna est, viroque docto indigna: objectorum quippe quandoque appulsus ad sensus tam vehemens est, ut in dubio sit, utrum vigilemus, nec-ne? Quod Petro e vinculis Herodis liberato contigit. *Nesciebat verum esse quod fiebat, sed putabat se visum aliquod cernere.* Quanto majores causæ Paulo erant, pendentis fieri animi, cum in gloriæ immensam Abyssum penitus immergeretur!

Aug. de Gen. l. 12. c. 3.

Quid Paulus audiverit, videritve, juxta scio cum ignarissimis. Arcana illa dicuntur Apostolo ἄῤῥητα ῥήματα: *verba ineffabilia.* An quæ dici nequeant, vel quæ non debeant? ἄῤῥητον quippe hæc duo solum significat, vel id quod dici non potest, quia vel auribus admitti, vel ore proferri repugnat; vel id quod dici nefas, ne prodatur arcanum: quo sensu capiendus est Apostolicus sermo, ut his aperte ostenditur; *Quæ non licet homini loqui.* Nulla quippe visio est, ut ut gloriosa magnificaque sit, cujus divulgandæ, Paulus, Vir sapientissimus

pientiſſimus capax non fuerit. Ἄῤῥητα igitur dicuntur illa myſteria, quia ſilentio contineri debuere; cum eorum notitia inſtrui, Eccleſiæ nec utile fuerit, nec neceſſarium. Itaque conjectura Baroniana mihi non placet: *Gentium converſionem inter alia Paulo eſſe oſtenſam putamus*: imo ſibi reſiſtit Purpuratus, atque repugnat: cum Cornelium Chriſti notitia Anno 41. imbutum fuiſſe exiſtimet: quocirca vocatio Gentium Anno quarto & quadrageſimo in arcanis annumerari non potuit: jam patefacta erat atque illuſtrata. Hic in profundum ſilentium deſcendere Religione jubemur; crediti arcani cum Apoſtolus celantiſſimus fuerit, fruſtra impenderemus laborem ad obſcura hæc rimanda: itaque ex ſilentio quod in mandatis datum Paulo fuit, librum impurum cui nomen, *Revelatio Pauli*, Theophylactus merito configit. *Hinc*, inquit, *liquido apparet, Pauli Revelationem quæ ita nominatur & circumfertur, divo Paulo mendaciter & falſo eſſe inſcriptam. Quomodo enim non eſſet falſo inſcripta, ſi ſecreta haud dicenda illa fuerunt?*

FINIS.

CORRIGENDA.

P. 50. l. 22. & seqq.

DUm ab errore Baronium de uno ærarii Præfecto defendere conatus sum, ex deprehenso insigni Josephi loco vigilata delere cogor, agnitoque lapsu meo, quæ pro Baronio arma paraveram, in Baronium convertere. Legitur apud Josephum, πρότερον δ' ἦν ὑπὸ σφραγίδος τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῶν γαζοφυλάκων, καὶ πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς ἑορτῆς ἐπὶ τὸν Ῥωμαίων φρούραρχον ἀναβαίνοντες οἱ γαζοφύλακες, καὶ καταμανθάνοντες τὴν ἑαυτῶν σφραγῖδα, τὴν στολὴν ἐλάμβανον: *Olim autem stola fuerat sub sigillo Pontificis & præfectorum Gazophylacio --- pridie porro solemnis festi, præsidii Romani præfectum ærarii custodes adibant, & recognito sigillo, stolam accipiebant.* Plures igitur Sacri custodes ærarii; ideoque a vero aberrat Baronii conjectura de uno Sacri Thesauri Præfecto, *qui Pontifici Max. ordine secundus erat.*

Joseph. Ant. l. 15. c. 14.

ADDENDA.

P. 112. l. 6. *Post* Augustinus. *Adde*,

NOn me quidem fugit apud Pseudo-Clementis Constitutiones legi, οἴδαμεν γὰρ ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόβιον ἰώδη συντάξαντες βιβλία ἐπ ὀνόματι Χριστοῦ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ: *Scimus enim Simonem & Cleobium venenatos libros nomine Christi & discipulorum ejus composuisse.* Constit. l. 6. c. 16. Sed fides sit penes Autorem, quem subditum esse fatentur Eruditi; certioribus testimoniis Libros a Simone editos fuisse, mihi probari velim.

P. 183. l. 31. *Post* committendo.

AScribam verba Calvisii, quibus ea materia non minimum illustratur: *Julius Cæsar ita ordinaverat annum ut præter dies* 365. *etiam sex horas contineret, quæ horæ per singulos annos collectæ, diem* 4°. *anno*

4°. *anno post diem* 23. *Februarii intercalandum efficerent: hoc cum Pontifices minus recte intelligerent, quovis* 4°. *anno quidem diem intercalarunt, sed non* 4°. *anno exacto, ut Cæsar voluerat, sed* 4°. *anno currente: hinc fiebat ut pro horis octodecim, quæ in annis tribus collectæ erant, dies integer intercalaretur, & Kalendarium hoc modo corrumperetur.* Lege Tabulam justæ & vitiosæ intercalationis. p. 220. Tract. de An. Act. Vict.

P. 435. *l.* 32. *Post* reperimus, *addendum.*

MEmorabile autem (verba sunt præstantissimi Ezechielis Spanhemii) *quod de hac urbe*, Edessa, *refert Procopius, Christi Servatoris ad Abgarum responsum pro munimento in portis Edessæ servari: additque, ita se cogitasse hoc responsum a Christo non esse scriptum, nec pati tamen ut urbs capiatur, quia persuaserunt sibi homines, urbem esse in ejus tutela.* Spanh. de præst. Numis. p. 775.

P. 501. *l.* 15. *Post* Evacuavit, *addito:*

NOn capiam oblivionem animadversionis eruditissimi Stephani Le Moine, de Thomæ in Indiam peregrinatione. *Satis verisimile videtur Thomam qui Bactrianis, Parthis, Persis, Medis, Margianis, vel Mardis prædicaverat, etiam vicinis Caramanis remotioribus, & oram maritimam magis accedentibus Evangelium annunciasse. Unde factum ut postea ἐν Καλαμίνῃ extinctum Apostolum, & Martyrio coronatum Thomam Christiani memorarent, pro ἐν Καρμανίᾳ; qui lapsus cum vires & incrementa cepisset, tandem Calamine, urbs Indiæ ficta & excogitata, quam scilicet Thomas Apostolus sanguine suo & Martyrio nobilitaverit ---- Alii non sine quadam specie veritatis locum istum dictum existimant a καλάμῳ, seu lancea abietina qua confossus fuerit Apostolus, ut apud falsum Dorotheum videre est. Nam sicut a λόγχῃ, seu lancea quæ latus Christi in cruce vulneravit, dictus fuit a fabulonibus Longinus, sic locus in quo Thomas confossus memorabatur, dictus fuit Calamina a calamo, seu lancea qua a satellitibus fuerit variis corporis sui partibus percussus, & vulneratus. Combefixius reddit lancea abietina. Male legit ἐλαΐνῃ pro ἐλαχήδῃ: utrumque corruptum & interpolatum:* Le Moine ad Hippol. Serm. Notæ p. 1059.

ἐλάκηθη est vox nihili decurtata, & fluxit ex ἐλακιδιάσθη, laceratus est: adeo ut varia fuerit lectio, quod nimirum Thomas ἐλακιδιάσθη pro ἐλογχιάσθη, vel utrumque dixerit Hippolytus. Quod nimirum Thomas ἐλακιδιάσθη, καὶ ἐλογχιάσθη ἐν πόλει Καλαμίνῃ: sed urbs Calamina extitit tantum in Utopia, & in cerebro male feriato. Qua in observatione multa sunt eruditionis plena & acuminis. Est tamen aliquid quod mihi non probatur: nec enim Combefixius legit ἐλατίνῃ, ut sibi persuasit ὁ μακαρίτης, sed ἐλάτῃ. Nec utique legere potuit, cum ἐλατίνῃ adjectivum sit quod cum substantivo est copulandum. Quid sibi vellet *abiegna* confossus est? sed ἐλάτη *abies* est. Itaque sensus satis commode fluit, ἐλάτῃ ἐλογχιάσθη: *abietina lancea confossus est.* Quin etiam an Criticorum omnium palato sapiat Eruditissimi Viri conjectura, valde dubito. *Quod nimirum Thomas ἐλακιδιάσθη, καὶ ἐλογχιάσθη, discerptus est & lancea confossus.* Hoc quippe cogitate accurateque scribi ab Hippolyto non potuit: confossus quidem lancea discerpi potest: qui vero jam discerptus est, lancea non confoditur.

De Calamina hæc Kirkerus. *Thomas sanguinem suum fudit Maliapore, urbe Regia ac Metropoli Narsingua, quod Malabarum Annales tradunt: & si quidam in Calamine distincta India urbe hoc contigisse asserant, patebit quare, ubi quis locus fuerit Calamina prius aperuerimus. Nota itaque nullam hujus nominis urbem, teste Malabarum Chronico, nec hodie reperiri in India, nec olim repertam fuisse. Sed loco Calamina Calurmina legendum esse. Quam vocem constat Malabaricam, compositam ex calur, & mina, quarum hac supra, illa Petram significat: quasi dicat supra petram. Est autem Maliapura, eo in loco ubi Sanctus Apostolus Martyrio affectus traditur, ingens quadam petra, quam in hunc usque diem calur, Malabarica lingua, vocant. Dum igitur Malabarum fasti eum Calamine passum esse tradunt, ea voce nequaquam urbem particularem, sed vicinam Maliapora petram calur dictam, quam Apostolus, orationis gratia, quotidie ascendere solebat, & supra quam, dum orationi incumberet, postea occisus est, intelligebant.* Atqui Maliaporensis ille Thomas non unus & idem est cum Apostolo: nec fit verosimile Thomam Apostolum in Narsinguam penetrasse: qua de re lubens Rufinum capiam arbitrum: *In ea divisione Orbis terra qua ad prædicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, cum alia*

aliis

aliis provinciæ obvenissent, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu India ulterior jacet, multis variisque linguis & gentibus habitata, quam, velut longe remotam, nullus Apostolicæ prædicationis vomer impresserat. Ruf. Hist. l. 1. c. 9. Jam vero pueri sciunt Maliaporam urbem constitutam esse in India quæ trans Gangem: ideoque Kirkeriana critica non est auxilio ad Patres qui Thomæ mortis apud urbem Calaminam obitæ meminerunt.

Quod si autem, ex doctissimi Le Moine sententia, urbs Calamina, in qua Thomas Apostolus passus esse dicitur, *existit tantum in Utopia & cerebro male feriato*, cerebris igitur male feriatis inserendi sunt Hippolytus Martyr, Hieronymus, Sophronius, aliique complures. Calaminæ in India urbis veterum quidem Geographorum meminisse neminem fateor atque profiteor. Sed viderint Docti, num satis virium huic insit argumento ad debellandam antiquam Traditionem; cum Indiæ interiora veteribus Geographis non fuerint probe nota: ut nil miri sit illos de Calamina non agitasse mentionem. Equidem non omnino aspernanda est, & Hippolyti, qui natus in Arabia Indicæ Calaminæ gnarus esse potuit, & Hieronymi Geographia, qui degebat in Palæstina, & multa humaniorum literarum notitia animum imbuerat. Uterque tamen Calaminam Indiæ urbem memorat. Aliud est an ad usque Indiam Thomas pervenerit.

Sed & Kirkeri criticæ, Calaminam urbem evertentis, obstat Hippolyti, Hieronymique antiquitas, qui Thomam illum Armenum, cujus curæ debetur Indicæ renovatio fidei, circa annum Dom. 800, *in vicina Meliaporæ Petra Calur dicta, quam Apostolus orationis gratia quotidie ascendere solebat*, occidendum esse, divinare non poterant.

FINIS.

I N D E X

Locorum S. S. explicatorum.

GEnes. IV. 3. 670
XLVI. 34. 411
Exod. VIII. 26. 418
Esaias LXVI. 19. 113
Matth. VI. 2. 596
Matth. XII. 28. 629
XVII. 21. 633
Marc. XV. 43. 36
XVI. 15. 524
Luc. I. 69. 675
II. I. 184
II. 2. 191
III. 2. 53
Joan. VIII. 20. 46
Act. II. 3. 4
VII. 58. 161
VIII. 26. 127
X. I. 343
X. II. 353
XII. 10. 449
XII. 19. 460
2 Cor. VIII. 18. 376
Gal. II. 7. 538

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abgarus. 430
Abgari Epistola fabulosa. 433
Thaddæi ad Abgarum legatio An. Dom. XXIX. illiganda. 431
Thaddæi legatio ad Abgarum refellitur. 434
Abgari plures. 436
Acolythi. 638
Acolythi hodierni ab illis Veterum diversi. 638
Acolythi quales ævo Cypriani. 640
An ab Orientali Ecclesia Sacris Ordinibus inferantur Acolythi? 640
Advenæ dispersionis. 4
Africa an ab Apostolis ad fidem J. C. adducta? 516
An ab Ecclesiæ Romanæ legatis religione imbuta? 516
Ægyptiorum in Pastores odium. 410
Ejusdem causæ. 412
Ægyptii animantia sacrificabant. 417
Ægyptii Sacra animalia quandoque immolabant. 419
An omnibus Ægyptiis Pastores odio fuerint? 411
Æliensis Episcopi Privilegia. 322
Æliensis Episcopus subditus Cæsariensi. 323
Cur Episcopus Æliæ dictus, non Hierosolymæ. 327
Æthiopum Religio. 117
Andreas in Scythiam legatus. 469
Andreas an cruci decussatæ suffixus? 497
Anglicana Ecclesia a legatis Episcopi Romani condita non fuit. 30. 35
Anglia 2 seculo luce Evangelii illustrata. 32
Anglicani ritus ab illis Romanorum diversi. 35
Angliam Josephus Arimathæensis non penetravit. 27
Annus confusionis. 176
Quot dies complexus sit? 175
Antiochenæ Ecclesiæ institutio. 250
Antiochena Ecclesia a Petro condita non fuit. 250. 261
Quî Petrus Antiochenæ Ecclesiæ fundator? 257
Antiochena Ecclesia septennio a Petro administrata non fuit. 251
An Petrus Ecclesiæ Antiochenæ dignitatem Patriarchalem contribuerit? 293
Antiochenæ Cathedræ Petri festum. 328
Antipodes Patribus incogniti. 526
Apostoli non erant Episcopi. 271

Apo-

Apoſtolos inter & Epiſcopos differentia. 269
An Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi? 274
Apoſtolis legatæ Provinciæ. 496
An Apoſtoli in Americam ſe contulerint? 513
Aretas Rex Proſelytus. 163
Arculam an Cypriano Corbona ſignificet? 597
Auguſti 4. Epochæ. 176
An Auguſti regnum ab anno Cæſaris emortuali Patres numerarint? 177

B.

Baptiſmus ſimplex & ſolemnis. 78
Chriſma frontis, pars ſolemnis Baptiſmi. 86
An Baptiſmi Ceremoniæ manarint ab Apoſtolis? 79
Cur Baptiſmus ſimplex in ſolemnem mutatus? 81
Valentinianorum Baptiſmus oleo delibutus. 77
Barnabas. 393
An Evangelium Matthæi in Barnabæ ſepulchro repertum? 394
Bellarminus notatus. 42. 261. 266. 328. 445. 542. 604
Blondellus notatus. 322

C.

Cæſarea. 337
Cæſarea an vocata Sebaſte? 337
Cæſarea quando condita? 338
Candace. 114
Candaces Dynaſta. 118
Carpocratiani. 427
Caſaubonus notatus. 56. 57. 340
Catechumeni. 479
A quibus inſtituti ſint Catechumeni. 480
Ubi Catechumeni de fide fuerint eruditi? 481
Catechumenorum creandorum ritus. 481
Catechumenorum nomina. 483
Catechumenorum claſſes. 484
An panis benedictus erogaretur Catechumenis. 487
Sal Catechumenorum. 487
Ceremoniæ Competentium Catechumenorum. 488
An Catechumenis occultata olim Religionis myſteria? 489
Gradus in Eccleſia vindicati Catechumenis. 491
An Catechumeni pœnitentibus inferiores vel ſuperiores? 492
Catechumeni Alexandriæ fungebantur officio Lectorum. 625
Quota hora Catechumeni tingerentur? 494
Centurio. 327
Centurio quot militibus imperaret? 339
Centurionum requiſita. 339
Centurionum vitis. 339
Cur Ethnicorum ſalutem Centurio dedicaverit? 340
Centurio cohortalis militiæ. 342

Cerei.

Cerei. 656
Cur ab Eliberitanis cerei in cœmeteriis prohibiti? 656
Ceremoniarum vacua priscorum Christianorum disciplina. 654
Num ad Ecclesiam derivandæ Ethnicorum Ceremoniæ? 647. 663
An ab Ethnicis manarint Ceremoniæ Hebræorum? 665
Cerinthi ætas. 365
Cerinthus an autor litis in Petrum concitæ? 359
An Cerinthus fax seditionis Antiochenæ. 362
Chrisma. 79
Chrisma frontis. 81
Chrisma verticis. 79
Chrisma inusitatum seculo Apostolorum. 86
Chrisma pars Baptismi solemnis. 86
Christiani nomen additum discipulis. 425
Cur? 426
An XL. Christianorum millibus anno Dom. CCLI. Ecclesia Rom. constituta fuerit? 532
An Suetonius Chresti voce Christum significarit? 530
Christi natale geminum. 204
Verum J. C. natale anno Juliano XLI illigandum. 205.209
An hyeme J. C. editus? 230
An XXV. Decemb. J. C. ortus? 216
Vere editum fuisse Christum, probabilius. 223
Christi natale Dionysianum. 212
J. C. Epocha Dionysiana. 212
Christi Apotheosis, an flagitata a Tiberio? 139
Christi Genealogia ab Ebionæis deleta ex Matthæo. 398
Circumcisio an ab Ethnicis manarit ad Judæos? 118
An Circumcisio Ethnicis ad salutem necessaria? 587
Coccejus notatus. 409. 587
Collectæ. 594
Collectæ extraordinariæ. 598
Ex Collectis ortum S. Petri patrimonium. 599
Collecta Paschalis. 599
Cur Ecclesiis Judææ missæ potius collectæ quam aliis? 600
Confirmatio. 65
Confirmatio non manavit ab Apostolis. 76. 81
Confirmatio non omnibus est Sacramentum. 102
Confirmatio ab Apostolica χειροθεσία diversa. 67. 71
Confirmatio pars Baptismi solemnis. 83
Confirmatio non est Episcoporum propria. 93
Confirmationis Character figmentum est, antiquis incognitum. 101
Cornelius an Episcop. Cæsareæ? 353

D.

DEscriptio jubente Augusto peracta. 191
Descriptio, cujus Lucas meminit, an ad solum Herodis regnum pertinuerit? 184
Unius Descriptionis actor Quirinius. 196
Varo, non Saturnino, Syriam administrante, Augustea descriptio in Judæa peracta. 199
Dosithæus. 421
Dosithæi complures. 423
Ætas Dosithæi. 424
De Dosithæo error Scaligeri. 424
Dosithæi disciplina. 423
Dynasta Candaces. 122
Dynasta Candaces an proselytus? 123
Dynastæ Candaces Patria. 115
Dynasta Candaces legebat. 55. 129
Dynastiæ Ægyptiorum fabulosæ. 413
Δαῖμα quid? 345

E.

ECclesia quot modis fundetur? 254
Ecclesiæ Patriarchalis requisita. 297
Ecclesia Alexandrina cur Antiochenæ prælata? 296
Ecclesia Romana exemplo non fuit Alexandrino Episcopo sua vindicandi privilegia. 315
Ecclesiæ suburbicariæ. 311
Episcoporum & Apostolorum discrimen. 269
Epiphania. 220
Epiphanius emendatus. 307
Evangeliorum ordo. 370
Evangelium Lucæ ante alia conditum fuisse videtur. 372
Evangelium Matthæi an scriptum Hebraice? 387
An a Bartholomæo apud Indos perlatum. 378
An Matthæi Evangelium in Barnabæ sepulchro repertum? 393
Anno Calig. 3°. Evangelium Matthæi exaratum non fuit. 369
Tempus locusque conditi Evangelii Matthæi ignorantur. 377
Marcus ubi & quando scripserit Evangelium. 395
An scriptum Latine Marci Evangelium? 395
Evangelium Joannis an Ephesi exaratum? 381
Evangelii mira propagatio. 529
Evangelium secundum Hebræos. 400
Evangelium Nazaræorum. 400
Eusebii Chronicon erroribus affectum. 249
Ethnici sacrificabant Hierosolymis. 124
Quænam ab Ethnicis sacrificia perpetrabantur Hierosolymis? 124
Exorcistæ. 628

Judæorum Exorcistæ. 629
An Exorcistæ constituant ordinem in Ecclesia? 631
Cur nulla Exorcistis a J. C. imperata χειροθεσία? 636
An omnibus Christianis Exorcistarum vis officiumque olim impositum fuerit? 632

F.

Fames ab Agabo prædicta. 580
Cui anno hæc fames illiganda? 582
Cur fames regnante Claudio orbem invaserit? 584
Fames hæc ab illa, cui remedium attulit Helena, prorsus diversa? 581
Fasti a J. Cæsare emendati. 175
Festa ab Apostolis non sunt instituta. 654
Festum Cathedræ Petri. 329

G.

An Gallia ab Apostolis luce Evangelii illustrata? 501
Gazophylacium Hierosolymitanum. 47
Gregorius M. emendatus. 96
Gregorius M. Chrisma frontis Presbyteris concessit. 94
Grotius notatus. 59. 414. 684

H.

Helena an Christi religionem susceperit? 585
Hellenistæ. 5
Horæ Canonicæ. 549
Horæ Canonicæ an institutæ ab Apostolis? 348
Horatius explicatus. 181
Huetus notatus. 137. 193. 376

I.

An Jacobi tres. 55. 506
An Jacobus frater Domini ab Alphæi filio diversus? 507
An Jacobus frater Domini majorum gentium Apostolis inferendus? 508
Cur frater Domini dictus? 510
An decesserit Simoni Apostolo?
Jesus an significet medicum? 393
Joannes. Vide Evangelium Joannis.
Josephus Arimath. ad Provinciam non appulit. 28
Josephus Historicus nesciebat Hebraice. 388
Josephus Historicus a Vespasiano civitate donatus. 169
Josephi textus emendatus. 171. 173
Josephi versio emendata. 104. 297
Irenæus annos L. Christum implevisse censet. 235

L.

LAzarus Massiliam non venit. 14
Lazarus non egit Episcopum. 23
Launoius deffenditur. 22
Notatur. 24
Lectores. 622
Lectores Judaïci. 613
Quot annorum Lectores ordinati? 625
Lectores apud Alexandriam ex Catechumenis electi. 625
Le Moine notatus. 105.394.626
Lightfootius notatus. 5.8.10.62. 116.127.158.161.208.393. 449
Lucas an ex discipulis. Vide Evangelium? 375

M.

MAgdalena ad Provinciam non appulit. 14
Magdalenæ sepulchrum. 22
Magdalenæ reliquiæ. 25
Maldonatus notatus. 69
Maria virgo an cum Joanne venerit Ephesum? 565
Mitræ usus priscis Episcopis incognitus. 687
An Mitræ Episcopalis meminerit Am. Marcellinus? 688
Marca notatus. 501
Marshamus notatus. 113
Manuum impositio. 58
Ritus significatio. 59
Administrandi modus. 60
Variæ χειροθεσίας species. 62
Manuum impositio pars Baptismi solemnis. 83
Matthæus. V. Evangelium.
Meletius an causam dederit condendo canoni 6. Nicænæ Synodi. 303
An Meletius sacrificaverit Idolis? 305
An Metropolitani ab Apostolis instituti? 298
Metropolitani Alexandrini jura nobiliora fuere quam Romani. 315
Musicæ nullus antiquis usus in Ecclesia. 655

N.

NAzaræi Jesum Christum divinitate sua non exuebant. 398
Nazaræi Jessei non dicebantur. 399
Nazaræorum Evangelium. 400
Judæorum maledicta in Nazaræos. 429
An Nicæna Synodus canone 6. de Patriarchis mentionem fecerit? 306
Nicenæ Synodi Canon sextus explicatur. 320
De Nicenæ Synodi canonis 6. titulo. 318

O.

AN Ordinem ab Officio discriminarint Patres? 605

An

An minores Ordines ab Apostolis instituti? 607
Ordines Sacri & non Sacri. 610
De Ordinum numero Canonistarum & Theologorum lites. 616
Ostiarii. 617
Ostiarii Templi Hierosolymitani. 618
Cur a Deo instituti Ostiarii Templi? 619
Ostiariatus explicatio. 620

P.

PAchon. 216
Pagius notatus. 22. 43. 171. 176. 218. 340. 337. 465
Pamelius notatus. 139. 610
Papæ mittebantur a regibus. 39
Patriarchæ nomen. 280
Patriarcharum ante J.C. autoritas in Religione. 280
Patriarcharum autoritas paterna fuit, non Monarchica. 280
Patriarchæ Judæi post J.C. 283
An de Patriarcha Alexandriæ capiendus Vopiscus? 284
Patriarchæ definitio. 285
Patriarchæ an instituti ab Apostolis? 285. 299
Patriarcharum institutio. 290
Patriarcharum non meminit Synodus Nicæa. 302
An Pastorum ordinationes olim die Dominico celebratæ? 544
Philo anno Domini 39. Romam venit. 40
Pomponius Secundus anno Calig. IIII. Consul suffectus. 405
Pontifex Judaicus subditus regi. 41
Pontifici Romano fas erat inspicere cadavera. 686
Propheta virum Dei plenum significat. 281
Paulus ante Baptismum binominis. 167
Paulinæ conversionis annus. 151. 160
Pauli vocatio & Stephani Martyrium eidem anno debent illigari? 152
Cur Paulus νεανίας? 161
Cur in Bullis Paparum plumbeis Paulus dexter, Petrus sinister exhibeatur? 464
Paulus an contenderit in Hispaniam? 518
Petavius notatus. 5. 109. 159. 209. 251. 487
Petronius. 403
Petronii plures. 404
Petronium Judæi conveniunt. 407. 421
Philippus Tetrarcha. 169
Philippi æquitas. 170
Philippeæ præfecturæ anni. 171
Ex Philippi præfectura criterium ad inveniendum verum Christi natalem. 172. 174
Petrus an fundarit Antiochenam Ecclesiam? 257
Petrus prius Antiochiæ fuit quam Romæ. 253

Petrus an per suffectos Ecclesias condere potuerit? 258
Petrus an creatus a Christo fuerit Episcopus? 272
Petrus an Episcopum Antiochenum egerit? 264
Petrus non Episcopi, sed Apostoli titulo præfuit Ecclesiis. 273
Petrus nullum Patriarcham instituit. 293
Cur Petrus in solarium ascenderit orandi causa? 345
An die Sabbati Petrus a Cornelii legatis conventus? 350
Cur Petrus XVI. militibus custodiendus fuerit traditus? 444
An pro solo Petro captivo fusæ preces? 445
Petri vincula quadringentis amplius annis ignota. 452
An Petri catenæ Eudoxiæ donatæ? 455
An Petri custodes morte affecti? 458
An suffocati? 459
An Petrus Romam venerit regnante Claudio? 462. 533. 543
An primos Thraciæ crearit Episcopos? 469
An Petrinus adventus Romam cum anno primo Neronis sit copulandus? 561
Petrus Romæ fuit. 548

S.

AN Sacrificiorum usus ortus sit a Deo? 677
Sagan. 52
Saganis munus ἐφήμερον. 52
Anna Saganem non egit. 53
Salmasius notatus. 284. 315. 317. 326
Samaritani ævo J. C. ab idolis abhorrebant. 577
Scaliger notatus. 6. 54. 192. 199. 207. 209. 584
Scriptura ab omnibus olim legebatur. 129
Ordo legendæ Scripturæ. 133
Semo Deus. 571
Shelstratus notatus. 520. 612
Simon magus. 104
An pro summo Deo coli voluerit? 106
Simon nullas sibi posuit imagines. 107. 578
Simonis libri nulli. 112
An Simoni Romæ fuerit statua posita? 570
R. Simon notatus. 130. 281
Sirmondus notatus. 312
Stephani Martyrium XXVI. Decembris non est illigandum. 153
Spencerus notatus. 412. 662
Subdiaconi. 641
An Sacris ordinibus inferendi? 643
Subdiaconi ignoti 2. seculo. 642
An Nethinnæi fuerint Subdiaconi? 645
Symbolum an conditum ab Apostolis? 472

An Apostolus quisque suum Symbolo articulum contulerit? 474
Occasio condendi Symboli. 475
Symboli usus. 476
Symboli reddendi ratio. 478

T.

Tertullianus Natale Christi non retraxit. 233
Thesaurarii Sacri Judæorum. 49
Thomas an Maliaporam penetrarit? 499
Thuris ante Constantinum nullus in Ecclesia usus? 654
Tiberius an regnante Augusto vere collega imperii fuerit? 241
An Tiberius Christi flagitarit Apotheosim? 410
An Patres proconsularis imperii Tiberiani Epocham agnoverint? 227
Qua ratione Tiberius abnueret nomen imperatoris. 248
Tiberio regnante Christiani nomen non erat in usu. 139

V.

Valesius notatus. 290. 295. 303. 600
B. Virgo an Ephesum una cum Joanne se contulerit? 565
Ὑπερῷον quid? 345

Graviora errata, & quæ in primis vel attentum lectorem remorari possunt, sic corrigantur.
Primus numerus paginam, secundus versum indicabit.

18. 13. *emenso.* 19. 37. laudes erupit. 22. 21. *Sanctimonialis.* 23. 1. *locus in quo hic Ap.* 27. 24. defendentibus. 28. 35. claro. 30. 6. Augustino. & v. 12. lætisque. 31. 8. paucas. 41. 27. *instruebant illum*, deleto *ut*. 43. 5. an. pro ar. 47. 5. solerter. 50. 26. compluribus. 63. 6. *subito.* 64. 15. injungitur. Super consecrandi Episcopi caput, duo ... 70. 7. certam propriamque. 78. 16. 17. admistum. & v. 28. saliva. 80. 24. Baroniana. & v. 35. nondum. 83. 19. Porro, Christo. 87. 15. perinde. 96. 26. *episcopo.* 97. 31. Dele, non. 105. 33. Dele, que. 107. 19. indicio. 109. 12. laborarent, cur. & v. 18. ἀγυιαῖς. 121. 10. penitus non cessat. v. 25. Dele, non. v. 31. immensa abysso. 123. 6. habitasse. 128. 21. hæc. 135. 29. ut αὐτ. & v. 30. hæredes æquis. 139. 5. Dele, si. 142. 5. Præsidum. 152. 12. quo. 156. 27. in Diss. Hist. 157. 4. L. Asin. 158. 15. ductus. 160. 8. Saulum. 168. 35. inserat. 165. 3. & 5. Sauli. 167. 12. quantam. 168. 18. & 19. Audiamus exemplum, verius errorem &c. 173. v. ult. Distingue post fuit: & tolle distinctionem post intercedere. 175. 12. M. Antonio. 176. 28. sex mensibus amplius. & v. 29. Jul. 2. 177. 19. initium fecisse. & v. 35. Actiaca victoria tertio, Æra nostra 44° Aug. &c. 179. 1. essent, si annus. & v. 30. sed. 181. 2. 3. sex & quinq. 185. 21. loco. 189. 28. si. 190. 4. debita. 192. 21. Hueti Abrin-

E R R A T A.

Abrincensis Episc. 193. 34. Julian. XLII. 196. 6. fuit ut Sat. & v. 15. expugnata. 198. 23. Distinguo post scripta: & v. 35. Dekerius. 200. 10. in prof. 201. 28. tum. Ibid. v. 30. Dele, Suetonio teste. & v. 32. Post mitterentur, pone, Sueton. 203. 6. Cneius vero Græce per Γάμμα simplex. 204. 3. Augusti XLI. & v. 32. Calvisio, Petavio Anim. 205. 34. Dioniani. 209. 7. Julianus est XL. 210. 2. solet. 212. 7. nostræ XIIII. 213. 11. Dele, 20. 215. 12. imponatur. 219. 6. præcedentem. 221. 21. agitandæ. 223. 18. 19. decimum tertium Januar. 227. 12. & 13. duorum, sexque mensium, & viginti trium dierum. 229. 22. tutoremque. & v. 34. *Christum baptizatum esse.* 230. 9. *impletus.* 232. 6. Geminis. 237. 1. ideoque evan. 240. 15. nulla in Sulp. 244. 26. *habebat.* 251. 30. *secundum migravit.* 252. 27. contulerat. 257. 13. Dele, Barnabæque. 258. 16. prostr. 259. 18. Præscr. 260. 17. revera. 267. 20. sanctæ. 270. 4. monstraret. 276. 28. ac, vere ut. 288. 29. suburb. provinciis. & v. 35. 36. Thessalonica. 289. 5. unius. 292. 12. a Conc. 295. 36. sedi. 305. 8. pertractatæ. 307. 16. Dele, imo ipse Bev. 308. 20. munus. 311. 12. patuisset. & v. 25. universam. & 26. Notitia. & 27. Guid. 318. 3. *senectus.* & 16. *Quesnellus.* & 28. Archidiacono. 319. 7. cohærent. 328. 8. capitale. 329. 13. *Domini.* 335. 28. Caii primo. 336. 5. inquit Dio. 338. 16. Quocirca, si. 341. arcano. 342. 25. porta Prætoria. 343. 13. quid causæ sit cur. & 20. censet. & 36. datus est. 354. 16. coagmentatio. & 17. potius. 356. 1. Dele, 51. & v. 2. mille Martyres. 363. 6. Hæc est. 374. 29. nothis. 386. 19. ad subr. 392. 3. ferro flamm. 394. 31. Boerea. 395. 13. propius. 397. 4. complectentem. 401. 1. *requiescet.* & 24. 25. licent. 403. 22. *nece.* 404. 24. annis. 405. 25. *accepto.* 408. 22. solius. & 27. meteb. 413. 17. attend. 414. 12. Æthiopibus. Ibid. 23. 24. *Nobili Historico* &c. deleto, *addidit.* Ibid. 24. se comitem addidit. 416. 11. falsi. & v. 15. diuturna. 421. 17. apud Tiber. 422. 22. Probo. 423. 18. *carnis.* 434. 31. *Therik.* 439. 31. est autor vetustus apud Oecumenium. 441. 29. Non Oecum. 443. 10. clarissimis. 448. 30. Monachos. 449. 31. nova. 452. 30. catenarum. 453. 24. Regina. 455. 30. Fausto. 456. 26. August. 1. 469. 3. Traditionem. 472. 7. Dele, recti. & v. 12. plectro. 476. 22. dicebant anteq. 478. 18. ratio. 482. 18. compluribus. 483. 2. 3. consecutus. v. 5. Dele, in. 486. 7. coinquinari.

Lemmatum, quæ singulis Exercitationibus præfixa sunt, σφάλματα, initio libri in Elencho Operis correcta: item in plerisque exemplaribus, pag. 3. Ep. Ded. v. 22. *munus*, quod perperam pro *manus* fuerat excusum. Cetera, qualia sint *accomodari* pro *accommodari*, *vixisse* pro *vixiſſe*, *lavachrum*, pro *lavacrum*, & sic de aliis, candido Lectori emendanda relinquuntur.

F I N I S.